

MONUMENTA  
HUNGARIAE HISTORICA.

---

SCRIPTORES.

XIII.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

---

MAGYAR  
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

---

K I A D J A

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

---

**MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.**

---

TIZENHARMADIK KÖTET.

---

PEST, 1867.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL,

BRUTUS JÁNOS MIHÁLY

MAGYAR KIRÁLYI TÖRTÉNETIRÓ

# MAGYAR HISTÓRIÁJA

1490—1552.

---

A M. K. EGYETEMI KÖNYVTÁR EREDETI KÉZIRATÁBÓL

A SZERZŐ ÉLETÉVEL

KÖZLI

TOLDY FERENCZ,

M. AKAD. B. TAG S A TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁG ELŐADÓJA

---

MÁSODIK KÖTET.

II. LAJOS KIRÁLY TRÓNRA LÉPTÉTŐL 1537-ig.



---

PEST, 1867.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.

. . . in eo maximus mihi mei laboris fructus constabit, si, quod maxime spectandum est, fidem meam probari rebus narrandis iis, quibus cognitae et perspectae sunt; rationem scribendi quam usus, viris iisdem bonis et non imperitis, quos spero me aequos habituros, haud penitus improbari intelligam.

*BRVTVS in Praef. Florent. Hist.*



## ELŐSZÓ.

---

A jelen kötet Brutus Történetének V—VIII. könyveit hozza, szinte mint az első kötet az első négy könyvet a „Pesti Codex“-ből, ennek hézagait, ahol lehetett, a „Bécsi Codex“-ből pótolva. Különösen :

az V. könyv, mely Brutusnak előttünk már ismeretes, állandó, iródeákja<sup>1)</sup> által íratott (ezt neveztem „első kéznek“), egy levél hián, melynek ívjegye F8, teljes (l. itt a 12. lapot).

A VI. könyv, s a VII-dik nagy részt, szinte ez első kéztől vannak. Ezek már csonkábbak, hibáztván a PPIV. és v., a QQIV. és v., a VVI--8 ívjegyű levelek, s minden, mi a ZZ jegyű ív után következett. E hézagok közül az elsőnek csak felét pótolhattam a „Bécsi Codex“-ből, ez is e helyt hézagos lévén (l. itt a 158. lapot); — a másodikat egészen (l. 172—177 ll.); — a harmadikat egy levél hián (l. 239—250 ll.); — végre a ZZ. ívvel megszakadó eredetűt a második kéz folytatja, mely nem egyéb Szamosközi István, a jeles történetírónál (itt a 302—337. lapokon), de ez is megszakadván, a VII. könyv végét (337—353. l.) a „Bécsi Codex“-ből adtam. Végre

a VIII. egy helyet kivéve (468 l.) ép, s Szamosközi kezétől van. Azonban nem hallgathatom el, hogy e könyv kéziratának 22-dik lapja alján e szavak után: „Nemini enim dubium erat, quin . . . Soli-

---

<sup>1)</sup> L. az I. köt. Bevezetését a LXXXI. lapon.

manus pertinaci certamine esset urbem in potestatem redacturus“ ezen aláhuzott s rögtön megszakadó mondat eleje következik: „Exindenon apud Vngaros modo, sed apud exterasetiam gentes, pertam insignem &c.“ se lapór: „partam“ (tán victoriam), mi azt gyaníttatná, hogy itt a codex csonka; és csakugyan az utolsó beköttető (Pray) négy üres levelet tétetett e hely után; a következő lapon pedig a szöveg folytatólag így kezdődik: *Turcarum aliae naves* stb., (mikép az itt a 375. l. 8. sorában látható.) A Bécsi Codexben itt semmi hézag nincs, s így feltehető, hogy Brutus e helyt egy pótlást szőtt be, mint több helyt a Pesti Codex által képviselt második dolgozatban. De mit jelent az „&c“? A lapór „partam“ mutatja, hogy még következett valami, mit nincs már ma honnan pótolnunk.

Nem szenved kétséget, hogy a Szamosközi által irt részek, ki már a VII. könyvben váltja fel az első kezét, szinte részét tették a Brutus saját példányának, mert az ő másolataiban is találok Brutus igazító keze némely nyomaira, noha felette kevésre, s azok mindössze csak idézőjelekre, aztán a szórendet megváltoztató betűjegyekre, s nagyritkán egy-egy betűnyi vagy szótagnyi igazításra szorítkoznak. De így áll a dolog az „első kéz“ által készült másolatra nézve is már a IV-dik könyvtől kezdve, hol szinte csak a pontozatokban, áttételi jelekben, s egyes betű- és szótagjavításokban ismerünk Brutus kezére, pl. egy *quibus*, egy-egy kimaradt *et*, vagy *nam*, kisbetű nagy helyett stb.

S valóban feltűnő, hogy a 4-ik könyvtől kezdve valódi *szövegjavításokat* egyáltalában nem találunk, melyek az első három könyvben oly nagy számmal fordulnak elő, még pedig nem csak irályi, hanem dolog-

beli javítások is. Sőt sok hely arra mutat, hogy Brutus ezekben nem csak a stilnek nem adta meg az utolsó simító kezet, de még saját s a leirók valóságos hibáit sem igazította ki. Mintha első fogalmazatai e másolatait újra el sem olvasta volna, annyira darabos helyenként a nyelv, s ugyanazon szókat egy mondatban ismétlő, hol sem ékesség, sem a hatály nem kívánta. A leirói hibák gyakran a rövidítések hibás feloldásán, néha rossz olvasáson alapszanak. Szamosközi, hol az előtte volt szövegnek hibáit javítani bírta, a javításokat tartózkodván a szövegbe bevinni, azokat az oldalra vetette, s hogy teljes legyen a kiadó calamitása, ezeket is sok helyt elvágta a buta könyvkötő, ki már az I. II. III. könyvekben is Brutus sajátkezű számos oldaljavításait és pótlásait megcsontította. Így tehát itt is Brutusnak igazítatlan s megromlott szövegével van dolgunk. Ahol a hibák nem csak bizonyosak, hanem világosak is, természetesen nem volt szabad azokat igazítatlanul hagynom. <sup>2)</sup> De vannak, mint az imént érintettem, oly helyek is, hol a codex csontított, vagy átlikasztott, vagy elszennyezett: az ily *hézagokat*

<sup>2)</sup> Példák: Itt a 17. l. 20. s 21. soraiban *reprehendendos* és *regi* áll, a PC. *reprehendendo* és *regi* hibás olvasása helyett. A 23. l. 18. s. *quod omen obruat deus* állott, *abnuat* h. L. 35. 19. s. *exolevisset* *exoleviscent* h. A 26. l. al. 7. sor: *transigendis* van a codexben, *transigendi* h. A 67. l. 15. s. *verae* állt *vere* h. A 69. l. 18. s. *sic*, *si* h. A 73. l. al. 6. s. *agendam*, *agendum* h. 1 77. l. i. s. *opponat*, *opponant* h., s a végelőtti sorban viszont *intelligerent*, *intelligeret* h. A 82. l. vég szava volt *proprouit* h. A 83. l. 1. sorában *poena*, *plena* h. A 98. l. 14. s. *aluit*, *alluit* h. A 124. l. 11. s. *credebant*, *cedebant* h. A 135. l. 10. s. alul *exstitisse*, *excessisse* h. A 145. l. 15. s. *per* állott *penes* h. A 151. l. végelőtti s. *extremum*, *externum* h. A 157. l. 11. s. *quo* áll *quod* h. A 176. l. végelőtti s. *constantiam* *inconstantiam* h. A 209. l. 18. s. *defendi*, *defendendi* h. A 327. l. 20. s. *par*, *pariter* h. A 421. l. 7. és 8. sorában aulról *rerum* *gestarum*, *rebus* *gestis* h. A 452. l. al. s. *per*, *post* h. A 454. l. al. 10. s. *vivendo*, *verenda* h. A 466. l. — s. *usque maxima*, világosan *iusque maximis* h. A 467. l. *diminutum*, *diminutam* h. — s így számtalan más.

már csak sejtelmi úton lehetett, ahol lehetett, pótolni<sup>3)</sup>); több helyt kénytelen voltam a nem pótolhatott hézagokat kipontozni. Végre nem kevés helyen egész szókat hagyott ki a Brutus tisztázója; a hol a kihagyott szót sejtteni lehetett, a conjecturális pótlás zárjel közt áll<sup>4)</sup>). S ily iráshibái nem csak a Pesti Codexnek vannak, hanem a Bécsinek is; itt is tehát a conjecturális critica ugyanazon ovakodó szabadságával szabaddott, de kellett is, eljárnom<sup>5)</sup>).

Mind ez igyekvés mellett távol vagyok attól, hogy correct szöveget véljek nyújthatni. Sőt számos akad nálam is a zavart, s az igazítatlanul maradt, első dolgozásra mutató hely, melyeknek megigazítása sikertelenül kísértetett meg. Van tehát valahára Brutusunk, de romlott szövegű; s még csak azon remény maradt fenn, hogy, ha netán az eltévedt s általam eddig hiába nyomozott erdélyi-fejedelmi codex elékerülne<sup>6)</sup>, jobb kiadást érhetünk, — t. i. ha az csakugyan correctebb volt, a mit azonban eddigi tapasztalásaim után, miket nagy számú codexeink mivolta körül gyűjtöttem, kétségbe vonnom méltó okom van. Minden, mit ily felfedezéstől várhatunk: *egy teljesebb* szöveg nyerése.

<sup>3)</sup> Ilyeket lel az olvasó a 288. 291. 293. 362. lapokon.

<sup>4)</sup> Mint a 45. 166. 205. 365. 376. 408. 417. 450. lapokon.

<sup>5)</sup> Péld. a 173. l. 15. sorában *iniustas*, *inustas* h. A 238. l. végelötti sorában *regum*, *regnum* helyett. A 240. l. 2. s. *intervecti*, *interfecti* h. A 249. lapnak alulról 9. sorában *proferet* hihetőleg *pateret* h.

<sup>6)</sup> A *B.-codex* lehetett az (I. az I. kötet Bevez. a LXXVIII. l.), melyről gróf Teleki Sámuel 1802. dec. 21-kén ezeket írta Éder Józsefnek: „Das Original-Exemplar vom ganzen Werke soll vermög der Anordnung des Fürsten Stephan Báthori (tán inkább Zsigmond fejedelem) an das Capitular - Archiv von Carlsburg zur Aufbewahrung depositirt worden seyn. Es ist dort gesehen, und um die Mitte des vorigen Jahrhunderts durch manus rapaces entwendet worden. Der selige Cornides hat mich versichert, dass es durch die Jesuiten nach Wilna in Polen gekommen ist.“ (E levél-kivonatot Trausch József erdélyi szász atyánkfíának köszönöm.

De addig is, míg ily remények teljesedésbe mehetnének, örvendjünk hogy a M. Tudom. Akademia módot nyújtott három századi hányatás-vettetés után Brutust, habár csonkán s nem ritkán az érthetelenségig hibásan bírni, de bírni mégis : mert ennek, s az írónak szemére lobantott minden szaporaságnak daczára, nagy becsű forrása marad ő a XVI. század történetének.

A III. kötet nyomtatása, melyben a munka beleszen fejezve, s melyhez Brutusnak magyar érdekű Leveli, s egy név- és tárgylajstrom járúlnak, derekasán halad, s még e nyár folytán történetbarátaink kezeiben lesz.

Pest, május 1. 1867.

TOLDY FERENCZ.

## TARTALOM.

Liber Quintus . . . . .	l.	1
Liber Sextus . . . . .	„	117
Liber Septimus . . . . .	„	219
Liber Octavus . . . . .	„	357



IO. MICHAELIS BRVTI  
VNGARICARVM RERVM  
LIBER QVINCTVS.

---





## LIBER QVINCTVS.

Ludovicus annum decimum quintum agens, de more, iustis parenti solutis, iniit regnum, ut iam pridem infans sumptis regiis insignibus, ita ea aetate suscepta mole imperii, qua parere salutaria imperanti grave esset, Vngaris imperare, quorum ferocia ingenia moderari vix sapiens rex, et multorum annorum usu confirmatus recte posset, et sibi imperare adeo, quod in omni vitae parte arduum est, esset gravissimum. Itaque postea non defuerunt, qui inter infelicis regni initia memoria repetentes, illius natalem diem, ut suo loco commemoravimus, in eorum omen verterent, quae postea evenerunt. Negabant vero debere mirum videri, si cuius ortus matri occasus exstitisset, eius esset interitus pesti patriae et exitio futurus. — Alios in spem regni natos, quae speranda populis de his, quae timenda, aliquot annorum progressu in apertum ingenii indole erumpente, certa signa dedisse : ne quem falleret Ludovicum ipso statim vitae ingressu ita primam huius lucis usuram hausisse, ut Vngaris minime difficile esset divinare, qui eo capessente regnum esset rerum status in Pannonia futurus. Neque educationem rege dignam nato infelicibus auspiciis, quae si quid boni a natura inesset, perpoliret, si qua

vitia, aut tolleret aut emendaret, contigisse. Natum per matris interitum, in patris regis luctu, cui, qui plurimum faveret, unam maximam laudem impertiret, ita actae vitae, ut nemini volens prudensque incommodaret, propterea patriae non fuisset subsidio, quod voluntatem facultas agendi destitueret, certe minime dignus haberetur, cuius proles, a natura ficta ad parentis ingenium, in Vngaros, hoc est in viros fortes, obtineret imperium. Atque haec quidem nonnulli, Ladislai memoriae parum faventes. Fuit enim in Ludovico virtutis indoles; animus in primis (quamquam multa essent, quae deprimerent erigentem se naturae instinctu) ad honesta studia proclivis, elegantia morum, gravitas in puero adhuc, index regii animi, sed quae tamen popularis esset, et abesset procul a regio fastu. In eodem mite ingenium, lenitas summa, comitas, morum elegantia. Iam quae conspici maxime in rege debent in adolescentia praesertim, gloriae cupiditas, rei militaris studium, exercitatio armorum, equitandi usus assiduus, atque omnium aliarum artium peritia quae dignae maiestate regia haberentur. Quae omnia commendabat formae decus, qua nemo illi erat aequalium par; statura procera, firma latera, atque optima totius corporis constitutio. Tribuunt illi in primis fidei, et constantiae laudem, iis tegendis, quae illi arcano crederentur, sive ad se, sive ad alios pertinerent: quae in adolescente virtus eo admirabilior, quo pauciores sunt, in quibus natu etiam grandioribus non desideretur. Vnus deerat adolescentiae moderator, qui ea, quae illi natura largita esset, prolixa eo ornando atque augendo, cultura meliora redderet. Ferebantur vero in illo nonnulla, quae cum aetatis, non ingenii essent, danda opera videretur, ne tum obsessent, cum esse ingenii non aetatis crederentur.

Neque deerant, qui insidiarentur pueri aetati, improbi homines, atque earum voluptatum administri, quibus maxime adolescentia capitur, nusquam in regia satis tuta innocentia, atque adeo quamquam illa praeclare a natura, atque a domestica disciplina educationeque munita. Nam prater illam infamem assentatorum turbam, quae regum indulgentia alitur, et magnam habet illecebram ad captandos imbecilles animos, paucorum infesta melioribus potentia accedebat, per quam aditus ad regem omnes recta suadentibus obstruebantur; nonnulli enim per Ladislai inertiam regnare assueti, haud sperabant, ubi filius, immixtus sapientium hominum consilio, evaderet melior patre, quo illum natura impellebat, diutius quam ipse pateretur, regnum se praeda habituros. Itaque variis artibus se in interiorem illius consuetudinem insinuantes, non aegre ferebant lusus aetatis indulgentem sensim assuescere, ab ingenio degenerare, in rege modo agnoscere licentiam agendi quae blanda et suavia haberentur; non personae maiestatem agnoscere, non munus, non decus; in primis ab eorum congressu refugere, quorum prudentia melior fieret, totus iis deditus, qui ea, quae vellet voluptatum illecebris delinitus animus, non ea quae regem velle deceret, suaderent. Inde, exolescentibus sensim, quae praeclare a natura inchoata haberet, quae, ut ad frugem perducerentur, formatore prudenti homine, et sedulo, atque industrio indigerent, corruptum ingenium improborum assentationibus, cum se esse crederet, non qui esset, sed qui esse deberet, vitiis iis patuit, quibus, nisi opportune occurrat magna virtus, regna maxima, et principes civitates convulsae, atque eversae corruunt. Hinc bonorum assiduae querelae, quae temporum rationi opportuna, parum aequo animo acci-

piebantur, obsessis regis auribus paucorum blanditiis, qui per eius infirmam aetatem, magna quidem cum invidia, sed non minori cum impunitate, privata comoda honoresque, deiectis melioribus, captabant. Itaque, et monere inter se principes, et hortari palam non desistebant apud regem gratiosos homines, et patriae amantes (nondum enim virtus pudorque plane e regia exsulaverat), ut puerum Regem, aversum ab improborum consiliis, ad ea quae essent se digna capessenda, quae digna Vngarorum gente, qui multa praeclare audendo tantum regnum posteris reliquissent, serio de constituenda republica agerent, neu paterentur ulterius, permissum sibi regem ea aetate, quae vix cum frena acciperet posset regi, se, regnumque universum una in certam perniciem trahere. Ita in unius regis, multorum salutem verti, ut nisi sibi fulciendam pueri aetatem, viri graves sapientia et consilio starent, brevi esset verendum, ne respublica rege destituta, quod votis omnibus, precibusque esset detestandum, subito exorta a Turca hoste belli procella, pessum iret. Quibus enim viribus sperandum ab eo regium munus posse sustineri, quem nullae artes dignae tanto futuro rege commendarent; natura quidem adiuuaret, sed quae vix, cum benignius ageret, daret nobis inchoata, quae elaborata pertinaci studio, atque industria aegre perficerentur. Multa in Ludovico laudanda, quae ab ingenii indole manarent, avorum magis, maximorum regum, quam parentis similem futurum spondente; sed quae ea conditione haberet, ut nisi contento studio et sedulitate excolerentur, quemadmodum in generosis plantis accideret, quae incultae siluescerent, et in frondes luxuriarent, in vanam, atque irritam spem, utinam non in magnam multorum perniciem red-

undarent : „magna enim ingenia raro conspici sine ingenti populorum malo in summa rerum potestate, nisi ea summa virtus, et magnitudo animi moderaretur; ut in furentis manu telum praevalidum, quod numquam a viro forti, nisi pro eorum caussa, quos aequitas et ius defenderet, emitteretur.“ Dandam operam iis, qui rempublicam saluam vellent, ut regis ingenium, quod, pro excolentium studio, aut virtute aut vitio excelleret, quocumque illum, aut prava educatio flecteret, aut castior et severior disciplina, quae numquam semina virtutis iaceret sine certa spe proventus, quando propria virtus minus regni impotentem adiuuaret, aliena innixum, ut regem deceret sui officii memorem, regium munus tueretur. Ita fore, ut iusto, sancto, moderato regi Vngari parerent; rex miti, facili, atque aequabili imperio Vngaros haberet, cum iis benignitate, amore, liberalitate, et munificentia certando. Exterminatis e regia hominibus impuris, quorum illecebris, et lenociniis emollitus fatisceret regis imbecillus animus, ex omnium delectu sapientes homines evocandos, quorum consuetudine disceret rex esse; quem non genus solum, quod saepe posteri multis scelerum et flagitiorum tenebris obscurarent, sed virtus, iustitia, sapientia, sanctitas, casti mores, redderent in quavis fortuna natum regno dignum. In primis deligendum ex omni nobilitate, cuius prudentiae regis imbecilla aetas regenda, et quasi fulcienda adversus adolescentiae aestum tuto permetteretur: cum qua quidem liceret sperare corroboratam virtutem sapientium praeceptionibus, suo tempore opimos, atque uberes fructus suis edituram. Ita fore, ut neque de eius voluntate, qui ita esset educatus, neque de facultate, ubi per aetatem liceret per se obire regium munus, quisquam dubitaret. In quo duo illa

essent, ab eo facile impetratum iri, ut quamdiu sub melioris imperio hauriret bene aliis imperandi praecepta, oblitus ad tempus, se regem esse, regi se, ac flecti ad meliora vitae instituta, atque honestiora pateretur. Neque dubitari oportere, in quo esset virtus, et sapientia tanto munere digna, quin disciplinae suae alumnum, magno studio ad regium decus conformatum, haberet in potestate : numquam enim spectatam virtutem auctoritate caruisse, ubi mollia ingenia nondum, pravis consiliis a rectis virtutis studiis detorta, in scelerum et flagitiorum licentia obduruissent. In primis avertendas teneras aures a vocibus assentatorum, quibus esset aula referta. Hanc unam olim pestem nobilissimas Europae regias evertisse; hanc omnes eversuram; quas non sapientium hominum consilium, et altis stirpibus haerens animis muniret virtus. „Vt vero eius esset deploranda salus, cui, cum gravi morbo laboraret, persuasum esset, se optime valere; ita de eo omnem spem abiiciendam, qui cum ad summam virtutem contenderet, infirmis viribus, tum se crederet verticem tenere, cum vix ab imo exsurgere coepisset.“ Eiusdem aetatis maiorum memoria Hieronymum Syracusanum (facesseret tam triste omen a Ludovici regia), cum hereditate crevisset regnum peropulentum, et cuius magnitudini vix sufficeret fortissimus rex, et per se adnixa validior ac robustior virtus, reiectis meliorum consiliis, quasi sub iniusto fasce, cecidisse. Ac non illum quidem eius regis prolem, ut credi posset, vitia a genere hausisse; sed Hieronis regis, qui, et aliarum virtutum omnium clarissimum exemplar, et ad extremam usque aetatem documentum illustre regibus exteris colendae fidei exstitisset; ut, quem aemularetur rex adolescens, optimum regem



iustissimum, in suos aequae, atque in externos munificentissimum, domi haberet, magnum futurum semper ad summam laudem incitamentum. Adolescenti regi, non externos magis timendos, quam intestinos hostes: tanto enim illos infestiores, quanto tecti magis, per insidias certius et gravius laederent, ne facile vitari possent, amicorum persona, quae incautum falleret, assumpta. Sed omnium infestissimos esse, quos ipse perpetuos hostes, dies noctesque alte abditos in pectoris penetralibus haberet, effrenatos impetus mentis, et cupiditates animi, quae nullo intermisso spatio, hinc lascivientem rerum omnium opulentia, hinc ferocia exultantem, quae raro a summa potestate imperii, sine pari moderatione, abesset, ad se raperent totum, ne esset aut sui, aut regii muneris memor. In eo enim regum, quam privatorum deteriore conditionem, quod hos metus legum a maleficio retardaret, illos legibus subtraheret regia potestas, et volentibus quae leges vetarent, quantumvis tetra, flagitiosa, nefaria, dedecori sibi, privatis, et reipublicae exitio adeo futura, frena licentiae laxaret, quae pestis, capitalis iis ipsis, qui sibi omnia licere vellent, magna quondam regna, atque imperia evertisset, usque adeo quidem regnantibus infesta, ut adversus eius vim, atque impotentiam, ne satis quidem tuta essent munita pectora virtutibus omnibus, quas homines colerent; certe ut in nequitiae, et probitatis contentione, iis victoriam difficillimam redderet. Quae gravis caussa olim fuisset sapientibus, quorum consilio regia potestas esset inter homines instituta, ut cum diffiderent, cuiusquam sapientiam tantam esse, ut illi tuto committi multorum salus posset, eandem ipsam regiam potestatem, arctioribus vinculis sibi esse constringendam censerent. Inde perscriptas,

et sancitas leges populorum et gentium omnium consensu, quarum divinam vim, atque aeternam, ad praemium recte hominum factis, ad poenam sceleribus imminuentem, mortales in terris venerati horrerent: e quorum numero non nobilitas quemquam, non copiae, non regia maiestas eximium, cui leges parcerent, haberet. Additum delectorum hominum consilium, in quibus fidem sapientia, sapientiam fides, utramque virtus par, et constantia tueretur: accedere scripta veterum, et antiquitatis monumenta, quae omnia excogitata, a prudentibus hominibus, et litteris prodita essent; ut haberent populi, quibus impares hominum vires administrandis summis imperiis, quasi virtutis firmioribus vinculis vincientes, confirmarent. Quid sperari de puero debere, qui ea aetate regnaret, qua vix esset credendum tuto posse a tutorum latere sine discrimine avelli? Vsu iam pridem tritum, ut, „qui male velit regno ominari, illi aut regem puerum, aut feminam precetur: in altero enim aetatem, in altera sexum obesse, quorum utrum esset hominum rebus pestilentius, haud facile posset diiudicari.“

Haec a rerum peritis hominibus, magno cum assensu, audiebantur; sed quod minus ea sententia vinceret, quae et honestior, et tutior erat, nonnullorum ambitio efficiebat, qui eadem quidem, sed alia ratione, et consilio, cum non idem propositum finem haberent, suadebant: moderanda enim Ludovici aetate, verbo prospicere communi saluti videbantur, moderatore actatis constituendo, cum potentium quisque per tutelae speciosum titulum munire sibi viam ad regnum crederetur, id quod minime iis poterat probari, qui cum patria pietate coniunctam prudentiam, atque usum rerum haberent. Vigebat tum in omnium ore recens Ludovici Sfortiae

scelus, qui, matre pupilli deiecta tutela atque imperii procuratione, Insubrum regnum Joanni Galeatio fratris filio ademptum tutelae nomine invaserat, ne quando aetate, animi virtute, et studio ingenuarum artium corroborata repeteret iura paterni imperii, molli educatione, et perniciose indulgentia depravato, atque a cura regni averso. Quod hominis scelus, non prius aliis, quam illi ipsi exitio fuit, cum quidem insigni cum hominum invidia, violato divino, atque humano iure, per suorum ruinam, sibi viam ad iniustum imperium stravisset. Atque in his, qui hoc acrius urgerent, ii maxime ferebantur, qui Scepusium, aut necessitudine aliqua, aut familiaritate attingebant, facilem calumniae viam viri potentia, et auctoritate aperiente. Alia erat factio, qui contra atque alii sentirent, neque detrahendum quidquam de regis maiestate, et eundem tamen regno imparem muniendum auctoritate legum, ac prudentium hominum consilio tutelae iure minime astringendum censebant: ita fore contententes, ut maturius quam ferret aetas, assuesceret rex esse, et munera regia obeundo tuto disceret regnare. In unius tutoris moderatione non regi solum, sed populis etiam multa esse metuenda, qui ipse exlex, regem, qui quantus esset minus nosset, haberet in potestate. Quae impunitas quasi quaedam ad peccandum illecebra potenti homini obiecta (verisimile enim, cui tantum munus deferretur virum principem delectum iri) non aliis solum, sed ei etiam ipsi, cuius tutelae praeesset, pestem atque exitium importaret. „Ambitionem enim, quo animi morbo fere potentes homines laborarent, ita ingenerare in magnis animis regnandi cupiditatem, ut cui per tutelae occasionem quantum vellet liceret, conciliatis variis artibus eorum animis, in quos ius imperii obtineret,

vix crederetur tantam adeptus potestatem a scelere et malificio temperaturus. Nam tametsi interdum in principibus viris excitata virtus, ad officii respectum sui potentes excitaret: saepius tamen eam ipsam in magnis animis invictam virtutem ambitioni cedere; unde semina ingentium malorum, quae hominum vitam infestam haberent, iacerentur. Lubricam quidem, et periculosam rationem esse aliena invidia et periculo regnare, ut si tutor male rem administret, tegat pupilli nomen, quod speciosum in primis in reipublicae procuratione iactatur, quidquid male administratum sit; si quid ex sententia, in tutoris laudem vertat, cuius ductu, alienis auspiciis est res praeclare gesta; quam fallaciam, etsi prudentes homines non ignorarent, non tenere tamen imperitos, qui cum numero bene sentientes longe superarent, sibi rerum iudicium sumerent, magno rerum humanarum incommodo . . . . . \*)

Ergo Sigismundus, cognitis Vngarorum postulatis, iis ita respondit, ut ingentibus gratiis actis, quod de se tam honorificum iudicium fecissent (non enim deesse e suis, qui virtutis, et generis splendore clari, pares tanto muneri haberentur), diceret, se primo quoque tempore, quemadmodum illos velle intellexisset, legatos in Vngariam, qui iis, quae sua esset sententia, significaret, missurum. Sumpserat vero hoc ad deliberandum spatium, non alienus quidem a suscipienda Ludovici tutela, quem fratris filium, ut aequum erat, statuerat sibi filii loco habendum, sed Vngarorum constantiae diffusus: quorum propter domestica discidia, et veteres simultates, ita erant variae de republica sententiae, ut non ignoraret suo ingenio esse aversos a regni procuratione exteris tradenda, tametsi nonnulli

\*) (Itt a „Pesti Codex“-ben egy ívrét levél, F. 8., hiányzik).

viderentur privato consilio secus statuuisse. Neque vero eundem fugiebat, quamquam temporis caussa dissimularent, quid de Maximiliano Vngari sentirent, a cuius amicitia, et affinitate, praeter insitum in Germanos odium, semper supra omnem fidem abhorruissent, praepotentis principis, et cuius non solum opes, quae essent tantae, sed voluntatem etiam, quam agendi facultas, et vires pares consequerentur, sibi cavendum statuebant. Favebat porro Sigismundus sua sponte Maximiliano solito impensius; tum quod existimabat ad minuendam Vngarorum principum potentiam, quae Ludovici securitati officiebat, maiore auctoritate innitendum; tum quod sperabat per suam suffragationem sibi conciliatum, aequiorem in iungenda secum affinitate habiturum: mortua enim per idem tempus fere Barbara regina, Scepusii sorore, relicta insigni probitatis, et pudicitiae fama, ambiebat Eleonorae nuptias, quam Philippus Maximiliani filius, ex Ioanna Hispaniarum regina, susceperat. Haec est Eleonora, quae postea Emanueli Lusitanorum regi, atque eo vita functo, Francisco regi gallorum nupsit. Quae cum ita se haberent: destinatos iam in Vngariam legatos Ioannem Laschium, Archiepiscopum Gnesnensem, et Christophorum Schidloviczium regni Cancellarium, summae homines dignitatis accelerare iter in Vngariam iubet, datis ad illos e Litvania litteris, quarum sententiam, ut adhuc exstat in Polonorum monumentis, huc placuit transferri: Certiorem se factum Ioannis Karnkowszkj litteris, sui apud Ludovicum regem legati, rogare principes Vngaros, ut, ex mortui regis sententia, quae illi cum vita postrema fuisset, filii pupilli tutelam, et regni procurationem susciperet; quod quidem, ut generis, et sanguinis propinquitas, atque eximium adeo suum in

Vngaros studium abesset, cuius a prima usque adolescentia, praeclara documenta iis dedisset, hoc unum se plurimum movisset, quod intelligeret quam gravis, et acerbus casus propinqui regis esset : qui quidem orbus, pupillus, puer, cum magnis regnis, et multis populis imperaret, ne quando oppressus mole imperii succumberet, esset aliena fide, et sapientia sustinendus. Atque esse quidem tanti honoris percipidos multos, sed ut in quibus insignis esset voluntas, et fides, quod fere accidere consuevisset, sapientia desideraretur, in quibus prudentia et vis consilii, requireret fidem ; cui a nulla alia re gravius periculum immineret, quam a magni animi hominibus, in quibus non solum regnandi cupiditas, sed facultas regni potiundi per studiosorum hominum factiones, et multitudinis studia adesset. Raro vero inventam fidem in privatorum tutela, comonefacere Vngaros, quam exigua spes esset in tutela regis inveniri, cuius augustior fortuna multo uberiorem materiam ad scelus, et nequitiam, oblitio tutori suae fidei, subministraret. Quae calamitas tanto esset maior, quanto plures essent populi, nationes, gentes, ad quos illa per unius incommodum et pestem manaret. Rem fide sua, et constantia dignam principes facere, qui postularent, ut communi consilio de constituendis rebus ageretur, dum Vngari rege, infirma regis aetas rectore careret : sed ignorare se tamen, quid usus Vngaris esset allaturus, ubi per belli curas congregi sibi cum iis liceret, quibus gravissimis esset districtus, ubi sui potestatem ad colloquium faceret. Nam si prudentium hominum consilio indigerent de tanta re agentes, dei immortalis beneficio superesse Vngaris, unde alii sumerent, tantum abesse, ut illis foris esset precario quaerendum. Neque magis de

eorum fide dubitandum videri, cuius saepe documenta insignia a primis usque regis sui incunabulis dedissent, praesertim tum cum consultarent de regni salute, quae esse non posset a regis salute separata. Rogare vehementer, atque obtestari, pro sua in illos voluntate; egregia eorum in se observantia; in suum regem pietate, qui in ulnis nutricis, regem consalutassent, ut e principibus deligerent primarios homines, quorum auctoritate, et prudentia conciliatis discidentium animis, atque omnibus de regno controversiis sublatis, si qui essent modo a tam salutari consilio aversi, communi consensu, quod maxime in praesentia videretur salutare consilium, constitueretur. Haud satis compertum habere, quo res esset evasura in magna sententiarum varietate, quibus animi distraherentur: non enim se ignorare, etiamsi a nonnullis sibi tutelae procuratio, et regni deferretur, non omnium ea de re eandem esse sententiam: cognovisse praeterea ex iisdem Karnkowskj litteris, principes in magno metu esse, ne flagrantibus partium studiis, et in diversum rem trahentibus, iretur ad arma; quorum esset exitus, utraque pars superior esset, calamitosus reipublicae futurus. Orare se illos maiorem in modum pro sua in patriam pietate, in regem amore, atque observantia, cuius, quasi aetatis crepundia, sceptrum, coronam, et alia regni insignia esse voluissent, darent operam, ut odiis et simultatibus aliquem statuantes modum, in eam sententiam inclinarent, quae procul ab omni cupiditate, unam modo publicam salutem respiceret et quietum reipublicae statum, quo illos curas omnes cogitationesque intendere aequum esset. Nam, quod a nonnullis sibi praecipue hic honos haberetur, ut summum ius regni, et regis pueri tutelam sibi ultro de-



ferrent; agnoscere se vero eorum erga se praeclaram voluntatem, atque animi studium, cuius numquam esset immemor futurus: sed se iis aequo animo eum honorem remittere, et quod intelligeret minime id regni rationibus expedire, quod perincommode, regi extero sibi permittendum statuerent, satis nativa virtute sua, et robore validum, et vero, quod vix crederet, sine insigni Maximiliani offensione id posse accidere. Quem enim non suspicaturum, eo consilio id actum, ut Maximiliano per adversam factionem excluso, unus Sigismundus capesseret, aliorum consilio, atque auctoritate, si id modo crederent expedire, obeundum, atque administrandum munus? Meminisse vero Schidloviczium posse, quae in conventu Posoniensi, cum de ea re mentio fieret, acta essent; nimirum spem factam Maximiliano a rege fratre, si quid sibi humanitus accideret, in illius tutela simul regnum, simul regem filium se relicturum: ut non posset ipse regis patruus, et quidem, qui fratri fere fuisset iungendae affinitatis cum Maximiliano auctor, ab eo separata consilia habere. Itaque, ubi principes sua sponte sibi aequae, et Maximiliano pari auctoritate rempublicam administrandam permetterent, habere, quod statueret neque se recusaturum. Sperare vero eos intelligere, ubi id accideret, multo praeclarius secum, quam cum iis ipsis quibus hunc honorem haberent, agi: labores enim, molestias, curas, quas maximas et gravissimas ii sustinent, qui non sibi, sed suis regnant, penes se, et Maximilianum fore; eorum fructum omnem penes Vngaros futurum. Cum illos vero, per hanc rationem, allaturos plurimum firmamenti ad stabiliendum convulsum reipublicae statum, tum ad confirmandum affinitatis, atque amicitiae ius, quo iuncti cum Maximiliano essent, maximas

accessiones, atque opportunitates addituros. Postremum erat mandatum, ut cum Caesaris legatis, qui in Budensi conventu essent affuturi, consilia omnia communicarent, atque adeo iis ostenderent omnium quae de hac re iis mandata dedisset, unum potissimum imperatum, non solum, ut ne quid agerent, in quo suspicari possent, vel levissime illius animum praestringi, sed ne quid, quod plane intelligerent, ex illius sententia non administrari. Quodsi principes tamen pertinacius in suscepto consilio manerent, et sine suspitione ingentis motus, negarent se posse Maximiliano summum regni ius permittere, et vicino regi, et potentiori, quam crederent Vngarorum rationibus conducere: iam minime obscuris argumentis, probata sua in Caesarem fide, suo nomine, id poscentibus iussisse significare, quando id esse e republica existimarent, se illis in mora non futurum; arbitrari enim, se amici regis officio functum, ubi per hanc rationem suam apud Maximilianum fidem liberavisset. Neque vero se credere Vngaros reprehendendos, ubi diffusi extero regi, fidei suae regni procurationem permetterent, quem scirent in fratris filium gerere paternum animum.

Atque haec quidem Sigismundus; legati uti erant iussi illius nomine spondent: quod felix faustumque utrique regno Vngarorum Polonorumque esset, multis necessitudinibus devincto, alacri et praesenti animo munus sibi impositum fide, et constantia par administraturum. Quem suum in illos animum, quoniam per reipublicae tempora, et belli curas minus sibi liceret praesenti praestare, placere, ne qui locus querelae relinqueretur, id quod accideret, multis praeteritis qui aequae nobilitate et gratia excellerent, unus de sua sententia

rebus administrandis praeficeretur, quemadmodum iam Posonii convenisset, alterum ex pontificum collegio, e principibus alterum deligi, qui potiores dignitate haberentur, et multa suae fidei et prudentiae documenta dedissent, penes quos, absente se, summa reipublicae esset. Ac ne eos fugeret, quos maxime idoneos censeret tanto gerendo muneri: placere (si ita eis videretur) e pontificum ordine Thomam Cardinalem Strigoniensem; Colocensem, et Quinqueecclesiensem episcopos rebus praeesse: ex nobilitate, ut videretur, et muneris, et personae ratio habita esse, regni Palatinum, tum Ioannem Scepusium, qui tum cum imperio Transilvaniae praecerat, Petrum Comitem Groffium, aut si mallent, Mosem aulae regiae praefectum. Per hos delectos optimo consilio, qui in regenda Ludovici adolescentia sibi essent collegae, sperare fore, ut omnes intelligerent, et in mandando munere hominum probitatem et sapientiam, et in habendo honore spectatam nobilitatem esse, more atque instituto maiorum, qui ex utroque ordine, ne quis invidiae locus relinqueretur, deligi semper voluissent, qui propter singularem virtutis, et sapientiae opinionem haberentur digni qui in arcano regis consilio de republica consulerentur. Postrema orationis pars, adhortatio fuit: Quando eorum virtus excelso loco sita iam pridem omnium in se oculos convertisset, in spem certam erectis animis, fore, ut eorum auctoritate et consilio republica constituta, regnum pristinum suum decus recuperaret, darent operam, ut inde partam gloriam, pari constantia pergerent tueri: permagni quidem interesse ad hominum famam, hoc non ignorari, maluisse Ungaros exemplo esse ceteris ad moderationis, et constantiae laudem, legitimo agnoscendo rege, quam ad levitatis,

et inconstantiae dedecus, rescindendis convellendisque iis, quorum ipsi auctores exstitissent. Quando omnibus idem atque unus esset finis propositus, regni securitas, libertas, otium, salus: de certa via et ratione, qua perveniendum ad eum finem esset, turpe esse inter eos parum convenire. Esse quidem gravem consultationem de re tanta, ut cum alii, pueri regis aetatem regendam censerent unius prudentia, quod sibi patruo munus ultro detulissent; alii negarent, ei ex alterius praescriptione imperandum, cui leges traderent, et gentium ius, liberam regni administrationem: videri eo confugiendum, quo in gravioribus consultationibus descendere maiores consuevissent; ut ordinum conventus indiceretur, ac, dictis in utramque partem sententiis, decerneretur quod maxime ex regis dignitate consilium esse, atque e republica constaret. Id voluisse Sigismundum regem Vngaris significari pro vetere sua in illos voluntate, proque eius coniunctionis vinculo, quo esset Ludovico devinctus, quo nullum arctius haberetur, ubi esset a patria sanctitate descendendum: atque adeo id magis amoris sui, et benevolentiae testificandae causa, quam eos monendi, prudentissimos homines, et qui, pro sua sapientia, quantae res essent, de quibus in praesentia ageretur, tum ex regis aetate nondum matura regno, tum ex praesenti reipublicae statu facta coniectura, minime ignorarent: certe, quae esset temporum ratio, quae hominum ambitio, quam immanis cupiditas, quanta nonnullorum conspiratio adversus bonorum consensum, quam perniciose consilia, dubia et fluxa fides, interesse permagni eos cognoscere, quorum prudentiae, et fidei esset summa reipublicae permissa. Optime vero cum Vngaris agi, quibus a teneris annis datus rex esset, cuius studia,

2\*

et vitae rationes liceret conformare ad patrios mores, ac quasi ipsi sibi effingere regem suis manibus, cuius ubi cum aetate adolesceret virtus, dignus iis rex haberetur, quorum in se eximia studia adhuc vagiens in cunis esset expertus. Nam nisi molle illius ingenium eo flecterent, quo reipublicae ratio, et temporis postularret; de quo quererentur, praeter se, habituros neminem. Brevi oratione legatis, regis nomine responsum est; qui quidem, minime ignarus, quo totius eius legationis summa spectaret; ubi minus etiam patruum regis auctoritas accederet, satis per se erat aversus ab eorum sententia, qui aetate diffusi uni regni tutelam, et regis mandabant. Agnoscere se vero in patruo rege, quem patris loco coleret, eandem, quam praestare parentes aequum esset in liberos indulgentiam: ut minime sibi esse orbatus patre videretur, in cuius locum regem maximum et sapientissimum, eundem patruum fortuna parentem studio animi, atque amore successisse animadverteret, qui, quasi hanc unam haberet susceptam contentionem laudis, mereri praeclarius in dies de sua salute conaretur. Atque, ut multo sibi accideret gratius hoc ab illo tum persolutum officium, adolescentiam suam facere; quod tamen officium in omni alia vitae suae parte fuisset gratum futurum: satis enim intelligere, aetatis suae imbecillitatem, nisi auctoritate tanti regis fulta staret, non uni regi sibi solum, sed multis etiam gentibus, et populis, quae illius imperium, auctoritatemque respicerent, esse pestem, et perniciem importaturam. Cetera in adolescente posse esse praeclara, vim ingenii, et solertiae a natura, virtutis, et probitatis studium, a disciplina et parentum educatione, ad magnas gerendas res conformatum animum; desiderari prudentiam, quae ab usu, et tractatione

rerum comparanda, una vere virtus esset, quae a multis animantibus hominem discriminaret. Hoc proprium haberi patriae pietatis munus, quod in omnibus regibus conspiciendum, sibi Sigismundus rex praecipuum sumeret, ut maiestate honoris inter homines, ita inter reges sapientia et virtute summus: facere enim prolixo quodam in se amore, ut per unius regis personam, una officii perfunctione, de multis simul bene mereretur. Itaque non iam suo modo, sed omnium etiam nomine, eas illi gratias agere, quas tanta illius in se suosque caritas postularet, quod tamen officium desperaret se ullo genere verborum posse aequare.

Profectis legatis, nihil prius Ludovicus sibi statuit agendum, quam, ut indiceret nobilitatis conventum, in quo, quid de se statui, et totius regni administratione placeret, in primis, quo quisque in se animo esset, exploraret: sive enim Sigismundi adhortationibus, qui paucorum potentiam suspectam haberet, sive sua sponte in eos male animatus, qui illius adolescentiam subiiciendam unius arbitrio censerent: quidvis potius videbatur facturus, quam ut per speciem tutelae, regi pupillo invisae potestatis, et regio imperio officientis, quod unum maxime animo aversabatur, quemquam, vivente se, regnare pateretur. Ferunt quidem, frequenti iam conventu, interrogatum a rege Thomam Cardinalem, qui proxime regiam sellam assidebat; quaenam eius esset futura potestas, quem sibi rectorem, moderatoremque regni, nonnulli imponi vellent; minime hominem nobilitati aequum respondisse: Quae uni in regem simul, et in omnes regni ordines summum imperium traderet. Inde cum Ludovicus indignabundus, et quo loco esset ipse futurus? addi-

disset; tum cardinalem renidenti ore, ut appareret, in respondendo, non plus rei, de qua ageretur, quam odio dedisse, quo in nobilitatem inexorabili ferebatur, ita excepisse dicentem, eam illius rationem futuram, ut tutor pupilli regis vere regiam potestatem obtineret, ipse regni insignia gestaret, statuæ persimilis, aut tabulae pictae, quoad tutoris imperio pareret. Hic Ludovicum, tantum enimvero flagitium negasse umquam admissurum se, ut cui regia potestas in alios, legitimo regni iure tradita esset, is ultro prudens, et volens, cuiquam, quo ille cumque nomine animi cupiditatem tegeret, regium in se deferret imperium. Ad haec Cardinalem, praeclare illum vero, et, ut magno rege dignum esset, respondisse: neque passuros magis suos, ut in excutiendo servitutis iugo, quo, per honestam officii speciem, constringere nonnulli eos velent, degenerare a maiorum virtute, atque adeo parum dignos se ostendere tam augustae indolis rege viderentur. Frequens Pestum convenit ad indictum gentis concilium, qui patrius mos erat, Vngarorum armata multitudo, neque ita multo post Scepusius, adductis secum, praesidii causa, delectis equitibus sexcentis, quae res, adversae factionis hominibus, nactis verisimilem magis, quam veram maledicendi materiam, occasionem praebuit innoxium, ut postea cognitum est, apud regem criminandi. Nihil vero facilius, quam male sua sponte in illum affecto, et nonnullorum assentationibus, atque incitamentis gerenti saucium animum, pro veris in eum, quem odisset, falsa probare: qui morbus tum aetatis, tum ingenii, quod praesertim nulla rege digna disciplina excoluisset, non regem prius, quam, cui erat impositus, perdidit regnum. Ea vero in pronas aures ad sua mala insusurrabantur:



Iam non Scepusium per occultas artes imminere regno, sed per multitudinis studia, cuius ducem se, contempta regis aetate, profiteatur, quae ratio explicatissima esset eo viam molienti. Regiam unam Budae constitutam, quae legitima Vngaris esset, quam regum sedem agnoscerent, in qua venerari eum soliti essent, quem sibi iustis suffragiis, et per omnium populorum consentientia studia, regem creassent. Sed non eam unam in Vngaria regiam esse: habere Scepusium alteram ad Pestum institutam, quae legitimae obiiceretur, non iure ullo, non veterum more, sed multitudine armata fretum: et quidem, ut maiore stipatus frequentia, et splendidiore comitatu incedere, quam Ludovicus Rex conspiceretur. Neque hoc naturam rerum pati, neque ulla gentium iura, ut ullum in terris regnum duos simul reges, quo, quasi duo capita unicum corpus, nullum esset immanius monstrum, agnosceret. Quem vero posse dubitare, si, quod omen abnuat deus, hoc Vngaris accidat, quin brevi opulentissimum regnum, quod concordia coalescens, maiorum virtute in tantam magnitudinem pervenerit, discissum et convulsum, sit ruiturum ad extremum casum? Per Ladislai mortem, ludificatum pueri Ludovici aetatem; regnandi immanem cupiditatem, quam male diu latebra ulla animi occultasset, detegere ausum; cuius spe inflatus, cum in regis caput, tum in aliorum vitam, et fortunas insultaret, quibus stantibus omnis illi aditus ad regnum esset praeclusus. Quae si non essent, cur non mallet in magna principum frequentia, qui regi adessent, primae vir dignitatis, quam succinctus turba armatorum conspici in incondita hominum multitudine, qui libertatem haberent venalem, quam prae iis contemnerent, quae sibi praemium uni addictae sponderent, agros, latifundia, insignes militiae hono-

res? Nam si vere crimine esset animus insons, si integra a fraude et maleficio mens, cur regis offensio-  
nem, cum recte posset declinare, augere potius, magna  
sua invidia, pari existimationis iactura pergeret?

Haec atque alia his similia multa in Scepusium  
dicebantur, ut multi credebant, ni partam antea glo-  
riam, infelici ad Cernovicium expeditione corrupisset,  
facile regnum, revocato ad antiquum morem iure cre-  
andi regis, per nobilitatis suffragationem obtenturum :  
quod, per exterorum connubia, Ladislaum perturbasse  
quererentur, non meliore conditione futuro Ludovico,  
quam multi maiorum memoria fuissent, quibus deiectis  
legitima regni successione, meliores ad regnum, id pos-  
tulantibus reipublicae temporibus, adsciti essent. Vs-  
que adeo vero suscepta spe frustratum, ut (si hoc modo  
de viro tanto liceret suspicari) unde sperarit secundam  
sibi auram afflari, contententi ad regium decus: in-  
de exorta saeviore tempestate, ex eo loco sit reiectus,  
quo fortunae indulgentia proventus incredibili homi-  
num plausu pervenisset. Dura enimvero eorum condi-  
tio, qui reipublicae serviunt. Nam „raro apud praesen-  
tes homines est recte factorum memoria diuturna; id  
quod cum alii multi apud Graecos, Miltiades, Themis-  
toeles, tum alii apud Romanos, in his Camillus, Afri-  
canus, Asiaticus frater, docuerunt; quantumvis enim  
levis offensio, magnum meritorum cumulum deruit,  
temere quidem vulgo, atque ex eventu rerum de vir-  
tute virorum principum, non ex certa ratione iudicante;  
quam ut quis maxime in cursu gerendarum rerum du-  
cem sequatur, non semper habet tamen fortunam in  
potestate; cuius est vis magna, et praeclare aut secus  
quam quis velit inceptis respondeat eventus.“ Haec con-  
ditio summorum virorum, uti eorum dignitas multitu-

dinis iudicio pendeat, quae de iis, sive quid bene, sive quid male agant, statuatur fere temere semper, non fortunam, non temporum vim, non humanos casus sibi censeat spectandos, pari temeritate quos odit, et quibus favet, ex suo sensu, fallaci semper, non ex certa ratione rerum, afficere poena, aut praemio assueta. Eodem tempore, principes Budam convenerant, quorum auctoritas in sanctiore regis consilio eminebat, et pontificatus honore insignes alii. E quorum numero nonnulli, sive de regis salute vere solliciti essent, sive ad conflandam Scepusio invidiam, esse videri vellent, minime regis salutem multitudini armatae committendam, et, suspensis de eventu bonorum animis, in regia urbe conventum peragendum censebant, haud hominum invidiam veriti, quod ita viderentur discedere a gentis instituto, quae indicere armatorum concilium, ubi agendum esset de gravioribus rebus, ad Pestum, quem campum Rakos vocant, consuevisset, ut alibi dictum est. Itaque de eorum sententia edictum, ut quibus potestas legibus fieret in regis consilio sententiam dicendi, Budam intra certam diem coirent: extra, nisi quem constaret abfuisse reipublicae causa regio senatu moveretur. Ad huius edicti famam furens licentia multitudo, accitis ex ulteriore Danubii ripa circiter tribus hominum millibus, planitiem occupat, quae peramplo spatio ad urbis arcem protenditur. Inde muris succedens, clamore sublato regiis denunciat, ni animum inducant, conventum quo leges iubeant et veterum consuetudo Pestum transferre, se invites, et recusantes, vi, atque armis coacturos: simul ad portas concursu facto contendunt, ut, iis refractis, in arcem impetum faciant, quo se rex cum suis receperat territus metu. Erat ad portas dispositum validum praesi-

dium, cui praeerat Paulus Tomoreus magni animi vir, atque audaciae, quo duce aliquot postea annis res est male ad Mohacium gesta. Is ubi multitudinem tumultuantem nulla alia ratione sedari posse animadvertit, obiectis ad portas maioribus tormentis, ad inferendum terrorem, armari suos, atque ultro portis reclusis, erumpere in tumultuantes, et vim facientes iubet. Ita illi regionum audacia percussi, effuso cursu, cum plures esse ex audacia, atque animorum fiducia suspicarentur, se fugae mandant, nonnullis ex suis desideratis, quibus oppressis improvisa re, et animus et sui servandi defuit facultas. Iude a regiis, qua praecipites ferebantur, in subiectam fossam deturbati, ad unum fere omnes interierunt. Interea missi a rege nonnulli, quorum erat prudentia perspecta, et probata virtus, multitudinem adeunt, iam, tumultu sedato, et armis ferocia repressa, imperii potentem. Hi docent, gravissimis de causis regem, quas scire eorum minime intersit, Budae peragere concilium constituisse; simul pollicentur, ubi velint, positis armis, amentia desistere, et postridie mane inermes eodem venire, regem cum suis quoque, quod iis indicium lenis ac clementis animi sit, ad illos processurum. Errasse illos quidem, sed, ut abductis aliena fraude a recta via, locus resipiscendi, et certa spes impetrandae veniae fieret: omnia enim in rege suo ingenio mitissimo, ad condonandum iis temere admissum proclivia, ubi, id quod divinae, atque humanae leges iuberent, unum regem agnoscerent, a quo omnia sibi speranda statuerent, reiectis eorum consiliis, qui munerum et largitionis spe impulsos in fraudem, secum in eandem perniciem traherent, eorum vitam, et sanguinem pretium improbae dominationis, ad quam scelerate viam

affectarent, facientes. Ita rem gestam nonnulli tradunt, quibus quidem fides habenda est, minime asuetis ad gratiam scribere de iis rebus praesertim, quibus aut interesse ipsi potuerint, aut discere ab iis, qui ipsi interfuissent, quod illis fuit facillimum factu. Alii quietiora omnia, et tranquilliora fuisse affirmant: multitudinis seditionem nullam, nullum tumultum, nullius, ne paullo quidem ferocius dictum, quod index esset ad vim atque ad arma spectantium: quae essent in eo conventu agenda, cuncta magna omnium approbatione, et consensu, et ut maxime rex voluit administrata. Vngarosaxones, quamquam origine Germani, quorum lingua institutisque utuntur, parum faventes Scepusii rebus, causam certam tradunt, quare indicto Budensi conventu, ingredi in urbem recusarit: veritum enim, ne opportunus regionum iniuriis, ubi se illis temere permetteret, opprimeretur, (id quod non aegre poterat scire, nonnullis in regia, qui occulte illi favebant, de iis quae agebantur sollicitum singulis horis docentibus), foris, multitudine armata septum, cum non causae magis, quam inimicorum iudicio diffideret, apud regem domesticam potentiam allatrantium, mansisse. Inde cum rex de ingressu urgeret: parva scheda monitum a studioso sui homine (nomen non traditur) paucis, qui comites fugae essent, equos conscendere, atque se subsequi iussis, regi irato, cui se esse suspectum non ignorabat, materiam in se saeviendi subtraxisse. Inde cum aliquot dierum iter Buda abesset, scripsisse ex itinere ad regem, quae causa sibi protectionis tam subitae exstitisset; qua in re erat culpae suspicio timenda, inde industriae et fortitudinis laudem visus promereri, ubi dictis exstitit fides, id quod brevi postea accidit. Accepisse literas e Transilvania a suis, Sicu-

los, per suum discessum armorum occasionem nactos, in provinciae fines, magna coacta armatorum manu, irrupisse, vastare, populari agros, urbes, caedes facere, exurere pagos, praedari omnia longe lateque, cum res eo loco essent, ut non poscerent opem modo, sed certa ac valida auxilia adversus vim tantam, cui propulsandae impares essent, flagitarent, ne quid afferret moram properanti, assumptis secum paucis, ad tumultum compescendum discessisse. Ita Scepusium frustratos sua spe inimicos, cum fortuna occasionem captanti affuisset, elusisse, qui regi et aliorum consiliorum auctores, et sui opprimendi exstitissent. Neque secus quam perscripserat rem actam: subito contractis copiis, ad Siculos comprimendos profectum, aliquot secundis proeliis factis, victos redire ad officium coegisse. Inde falsi de Scepusio coepti dissipari rumores; ab eo tempore de rege Turcae prodendo consilia coepisse agitare, saucio dolore animo, cuius ulciscendi in dies gravius iniuriae memoria recrudescens, nulla certior, atque explicatior via ostenderetur; neque prius quievisse, quam, perniciosissimo concitato bello, per insignem suorum cladem, et regis interitum, dum cunctaretur oppresso opem ferre, per infandum admissum scelus, diu malis rationibus expetitur invaderet regnum. Quae ne ita accidisse credam, cum me auctoritas principum movet, qui non videbantur proditori patriae, sceleris praemium, quo nullum est in hominum rebus maius, quasi optime de suis merito delaturi; tum Ferdinandi regis auctoritas multo maior, Scepusii acerrimi hostis: qui cum alia multa eo accusando, insectandoque colligat, quae tam immani facinore multo leviora sunt, non videbatur hoc, ubi vere illi obiici posset, dissimulaturus. Neque vero, ut ce-

tera abessent, is erat Scepusius, ut in eius vita tanti sceleris suspicio haereret, popularis hominis, et maxime apud nobilitatem, etiamsi nonnullis uteretur parum aequis, gratiosi: cuius nobilitatis studia, earum virtutum commendatione comparantur, quae in paricida, et proditore patriae, neque sunt, neque esse possunt, iustitiae, magnificentiae, liberalitatis, temperantiae, moderationis; etsi enim aliquando latent immania scelera adumbrata specie virtutum maximarum, non diu illa tamen latent; peccandi consuetudine, simulandi studium, ut alte etiam prematur animo, aliquando vincente. Neque vero, ut maxime vellet, licebat Scepusio tantum scelus conceptum animo nisi magno existimationis periculo perficere: qua amissa, quae illi erat spes reliqua regnum adipiscendi? Grave est viro forti complecti animo taetrum et dirum facinus, cui virtute innixo, institutus cursus ad gloriam sit; multo gravius id scelus complecti, cuius qui sit auctor, ut perficiat, quod instituit, multorum conscientiam requirat, in paucis inveniat fidem. Quot vero, Scepusium sibi illigare tanti sceleris conscientia oportebat, ut esset, quorum opera, tanta res, tam plena invidiae, dedecoris, infamiae, cum spe certa eventus transigaretur. Nam, ut adeo desperatos homines, tetro adeo ac praepostero ingenio inveniret, atque adeo inveniret multos, id quod necessario agendum erat, per hanc rationem regno imminente, quando nemo gratis se patitur in sceleris societatem vocari, qui poterat sperare, eos, qui magnitudine praemii ad prodendam patriam impellerentur, ubi affulgeret uberioris quaestus spes, qui maximus detegentes tam nefarium consilium manebat, per diu in officio futuros? Nemo vero tam improbus, nefarius, scleratus est, qui, cum utrumvis

liceat, non cum laude malit, quam cum dedecore ditari. Nam si quis contendat, non defuturos Scepusio suarum partium studiosos homines, et de quorum fide minime posset dubitare: cum praestare fidem virorum bonorum sit, quomodo speraret, qui viri boni essent, suam operam paricidae ad prodendam suorum salutem, coniuges, liberos, Turcarum servituti emancipandos, incendendam, atque evertendam patriam accomodatu-ros? Sagax, et solers ambitio omnia circumspicit, explorat, maxima minima quaeque scrutatur, sedula innocentiae custos, ne ubi in minimis offendat, apud eos, quorum suffragiis crescere vult, excidat maximis, ad quae non sceleris fama, sed virtutis opinione aditus paratur; certe minime verisimile, quae nobis cogitare venit in mentem, illius personam ad tempus suscipientibus, illum, cuius res erat, praeterire facile potuisse. Sed Scepusii adhuc litterae permultae exstant, qui potitus regno ad Carolum Quinctum Caesarem dedit, ad Imperii principes, ad reges Christianos omnes, Gallum, Anglum, Lusitanum, ad Venetum senatum, sed omnium ad Clementem VII. Pontificem scriptas acerrime, in quibus ita multis argumentis calumnias, et criminatio-nes inimicorum refellit, ut de illius innocentia nemo possit dubitare, in quo non plus odium et potentiae aemulatio, quam ratio et fidei studium possit. Sed de his alius est nobis certus institutus locus, ubi de illius iure agitur in Vngaricum regnum.

In eodem conventu Stephanus Bathoreus in Perinnii demortui locum Palatinus suffectus; cuius iam mentionem fecimus. Gravem Scepusii potentiae aemulum, per se hinc maiorum gloria, hinc domesticis opibus florentem, summo honore placuit augeri, ita existimante rege, quantum huic dignitatis accederet, tantum



de Scepusii auctoritate decessurum, quem destitui viribus, appetentem regnum, placebat. Dicitur Ludovicus de consilii sententia in conventu Boemos, Moravos, Slesitas voluisse habere, sive honoris caussa, ne exclusi a regis consiliis, ab eo alienarentur; sive, ut ad subitos casus haberet fidele praesidium paratum, si quid accideret, quod minus vellet, aut publicae rationes postularent, parum ex meliorum sententia regnanti, cum in assentatores prolixus, et illius aetati insidiantes, plane esset a rectis consiliis aversus. Mentio de regis tutore alto silentio sopita; qui etiamsi optimus contingeret, cuiusmodi credebatur Rex patruus futurus; ne in ea re, in qua una salus omnium verteret, parum prospexisse reipublicae viderentur, prudentes homines, de quorum sententia erat administranda, sibi dandam operam censebant. Malum quidem consilium poterat videri, puerum regem, qui, fervente tum maxime adolescentiae aestu, sua sponte, ubi sibi permissus esset, ad deteriora quaeque raperetur, duce, ac moderatore destituere, (in praecipiti enim cursu aetatis, vel eius levissima prolapsio, multis populis, et gentibus pesti, atque exitio erat futura): sed quod tamen ut mitius malum crederetur, tempora efficerent; quibus nonnumquam parendum ratio docet, atque adeo, cum id videtur in primis a ratione alienum esse; nam ubi suffragiis nobilitatis stari oporteret, haud dubie apparebat, uni Scepusio, etsi ex iis nonnullis parum aequis utebatur, hunc honorem mandatam iri, in quem maioris partis studia propendebant; quibus sive rex esset assensus, aemuli potentiam per se magnam, multo sua auctoritate maiorem efficiebat; sive obviam iret constans suo iure tuendo, non satis regi aequum, a quo aditum sibi praecludi ad maiora animad-

verteret, infestiores reddebat. Hoc spectasse qui tum in regia pollebant, Scepusio iniquos homines, illud indicio est, cum tantis opibus munitus ad extraordinaria imperia adspirare crederetur, nihil autem non sibi spondere, quo animum intendisset, ei ne locum quidem dignitati regiae proximum, illis refragantibus tenere licuisse, quem honorem Stephanus pater, atque ante eum eius Emericus frater gessisset. Neque huius rei caussa tamen est obscura: verebantur enim, ne viri principis auctoritate, per regis tutelam rerum potentis, frena iniicerentur regis aetate ad privata sua commoda abutentibus. Nam ad cetera nobilitatis studia, cuius, ut diximus, potior pars illius tota erat, accedebat eum Perinnio additum collegam regiae Coronae custodiendae, qua, magna cum ceremonia reges inaugurari consueverunt: ut quasi omnis praerogativa quadam ad maiora appetenda sperandaque illici videretur. Datur Ludovico tamen, qui eum instituendum conformandumque susciperet, ad vitae instituta rege digna, Georgius Brandenburgensis princeps; qui, ut par esse tanto muneri crederetur, tum fides suadebat, atque egregia voluntas, tum prudentiae opinio, quam illi aetas iam adulta, et rerum usus nonnullam conciliabat. Erat Georgius natus ex Sophia Ladislai sorore, quae Friderico Marchioni Brandenburgensi nupta numerosam prolem liberorum ediderat, quorum octo mares fuerunt, in his Albertus, quicum magistro Marianorum equitum, bellum Sigismundus avunculus gessit, quemque postremo acceptum in fidem, primum Pruthenorum ducem (Borussi veteribus erant) appellavit, magna cum Romani pontificis offensione, et Caroli V. Caesaris, quorum uterque summum eius ordinis ius sibi sumebat. At Georgius apud avuncu-

lum Ladislaum a parentibus missus, ac magna indulgentia habitus, uxorem duxerat ex praecipua Vngarorum nobilitate, Bernardini Frangipanis filiam, quae olim Ioanni Corvino Matthiae Regis filio nupserat: quae mortua, Ladislai munificentia atque Vngarici senatus, omnia possedit, quae in uxoris ditione erant, ei a superiore viro testamento relicta. Actum hoc vero, ut videretur, ex Sigismundi sententia: quem cum domestica bella a tutelae administratione avocarent, non erat sperandum, ubi eam curam susciperet, satis idoneum regno administrando, tanto praesertim futurum. Sed, ut in Georgio et fides aequae, et voluntas praeclara aderat, ita aliquando prudentia desiderata est, certe disciplina severior, atque acrior, cum iis bonis, quae in adolescente aderant, excolendis, tum resecandis tollendisque malis, quae etiamsi non essent indolis atque ingenii sua sponte ad bonum vergentis, adolescentiae tamen aestus, et mollior in regia educatio, nonnulla invexisset: sive enim hoc Georgius haberet a natura insitum, cui plus aequo morigerabatur, sive a vitae instituto, quod ab adolescentia haustum animo haesisset, aptior fruendis iis bonis, quae belli artibus comparantur, quam bellicis artibus excolendis credebatur, quibus quaeritur pax, ubi absit, et colitur parta. Hinc theatra, ludi, spectacula, dies festi, saltatores, ludii, mimi, convivia, musici cantus, atque his multo pestilentior assentatorum plenissima cohors, qui tenerum animum turpi lenocinio delinitum corrumpent, quam quidem perditorum hominum manum, quasi dato e regia signo, per Ladislai mortem, pueri aetas in magna rerum licentia pravis consiliis opportuna conciverat. Horum illecebris et variis artibus animi vires enervatae, regni oneri tanto iis graviori

succumbere facile potuere. Diffluens lascivia sua sponte animus, ut cetera abessent, cum hinc unius importuna aemulatio hominis nobilissimi, et sauguinis propinquitate coniuncti, qui non posset sui exemplo, iis persequendis, quae digna regnum capessente essent, se reddere meliorem; hinc rerum omnium affluentia, alendis vitiis materiam suppeditaret, a quibus nulla iniecta frena licentiae sui impotentem retardarent: nullius erat auctoritas, cuius salutaria consilia, et reipublicae statum respicientia, ab eo audirentur, semel patefactis auribus blandientium vocibus, et suadentium ea, quae cum reipublicae magna pernicie, paucis, quibus nihil poterat esse satis, usui et compendio erant. Ita fiebat, ut neque publica re, neque privata administranda adesse frequenti liceret, cum in regno maximo atque amplissimo, quotidie novae controversiae inter privatos exorirentur, quarum ad illum cognitio spectabat, in his tantum memorem se esse regem, quae per inmanes sumptus quaesita futura voluptati crederentur: quasi hoc uno rex a privato differret, ut alter, quo minus ad nequitiam praeceps ferretur, legum metu, quae ad exitium peccanti imminerent, prohiberetur: regi legum metus experti, conditione quam privato, etiamsi secus crederetur, deteriore, agere ut visum esset, quantumvis foeda, et flagitiosa liceret.

Eodem fere tempore legati in Boemiam missi, qui docerent, quae in Budensi conventu acta essent: simul postularent, ut et Regem Ludovicum veterum more et instituto agnoscerent, cui vix in lucem suscepto ultro regnum detulissent, insigni pietatis tum in patrem, tum in filium edito documento, et in regni paterni possessione confirmarent. Iam, quod sui muneris in primis esse statueret, hortari iussi, ut civilibus discordiis

omnibus obliteratis, per longa saecula in Boemia inveterata peste, discerent pacem colere: cuius si semel quanta essent commoda experirentur, vix fieri posset, ut non aliquando fessi contrario malo, per voluntariam omnium oblivionem, quae commune otium turbarent, pacem et concordiam inirent, qua una coalescentes, a parvis initiis ad summum rerum fastigium saepe nobilissimi populi pervenissent, iidem corruiscent discidiis, et civilibus contentionibus, universi orbis imperio potiti. Cetera, in hoc unum studium consentientibus animis, ex sententia successura, quae minus ad eum diem recte essent administrata. Ab eodem fonte malorum illa omnia manasse, quae magis semper civitatibus atque imperiis exitio fuissent, ut non ex legum auctoritate iudicia fierent; non improbi pro malefactis plecterentur; agerentur omnia per vim, nulla in civitate esset magistratuum auctoritas, quae hominum impunitati obviam iret, nulla legum, quae plane exolevissent; foris infesta itinera latrocinii; intra urbis moenia obsessi cives exterarum gentium commercio prohiberentur, quarum frequenti conventu regia urbs in magnam opulentiam, et publice, et privatim crevisset. Quae quidem mala, et si quae alia his deteriora imminerent, quorum propulsandorum spes omnis deplorata crederetur, sperandum esse in dies mitiora futura, ubi ea tollerentur, quae quietae civitatis otium perturbarent; cuius rei ratio una esset, ut et qui ius dicerent, et qui magistratus imperio obtemperarent, per eandem animorum consensionem statuerent, certas sibi impositas partes praestandas, quae tutissima ratio haberetur, parendi, atque imperandi. In eo se omne studium suum, operam, auctoritatem, ne videretur in beneficentiae contentione parenti concedere,

quando cum regno paterno, hanc in suos caritatem relictam a patre hereditariam adiisset, collocaturum. Haec esse, quae eorum caussa illos monitos vellet; reliqua ad se pertinere: ut contra, atque in principum conventu, post patris mortem, statuissent, cum patruum regem, et Maximilianum Caesarem sibi tutores, civitatis publico decreto, indolis suae atque ingenii incerti, imposuissent, liberam sibi regni administrationem meliora de sua opinione statuentes permetterent, et, quod tempore iis Vngari praevertissent, studio ipsi atque alacritate animorum Vngaris in se ornando honestandoque praecurrerent. Ad ea omnia ita civitatis nomine responsum: Et dedisse regem, iam inde a primis suis annis, specimen vere regii animi, et nunc adolescentem constantia tueri, dignum vero illum, cui idem vivendi initium, et regnandi exstitisset: vere enim illum esse, non nomine solum regem, qui per adeo laeta auspicia regno potitus, a tam salutari principio fungi regio munere aggredederetur, monendi, et cohortandi suos ad concordiam, ad pacis studia, ad religionem, Boemorum spes fovendi, augendi commoda, qui faustis ominibus, vix natum eundem, et regem principes agnovissent, et Vngaris detrectantibus, apud quos natus, quasi in patrio solo instituendus educandusque esset, ornandi regiis insignibus auctores fuissent: cuius sui officii memoriam, nullam crederent oblivionem hominum oblitteraturam: regni liberam administrationem non a se quidem, quibus nihil prius esset, quam quae illum velle existimarent, sed a legibus negari, quarum semper sancta, atque augusta auctoritas superioribus regibus fuisset. Iubere enim tum uni tradi summum ius imperii, cum, de more, iureiurando quod sanctissimum inter homines haberetur, sese ob-

stringeret, numquam se Boemis, quo minus suis legibus, suis institutis ut a maioribus accepissent uterentur, se futurum impedimento. Orare supplices, ubi primum in Boemiam veniret, id quod tuto differri, saluis rebus, non posset, praesentibus regni principibus, et civitatum legatis, solenni regum more hoc sibi debitum pietatis munus, ineunti regnum obeundum statueret, quo fides fieret, Ludovicum regem liberis populis ac volentibus imperare. Id sibi futurum apud omnem posteritatem honestissimum. Nihil vero caussae videri, cur plus aequo angeretur animo, et sollicitus esset de ordinum concordia stabilienda: si quae enim controversiae essent aut publicae, aut privatae, quibus tum regia urbs tum aliae laborarent, enixuros uno atque eodem consensu, ut referrent potius pietatis laudem vindicanda patria ab intestinis malis, quam notam remissi ac dissoluti animi, iis dissimulandis, quae ab improbis et nefariis hominibus, contempta legum maiestate et magistratum auctoritate, admitterentur.

Ad hunc modum Boemi, dimissis legatis, frequens ordinum concilium Pragam indicunt, veriti, ubi pergerent privati contumacius suum ius tueri, ne exteris nudare domestica mala cogerentur magno suo cum dedecore, quasi iis sanandis minus ipsi idonei haberentur. Mox certatim incumbentes in hoc unum studium, atque ultro quisque de suo iure decedentes, ut certa aliquando ratio iniretur confirmandi rempublicam nutantem, magna omnium ordinum concordia, tumultuante atque expostulante nemine, sedatis controversiis, quaecumque inter privatos intercederent, quod vix posse fieri longo annorum spatio credebatur, rem tum privatam, tum publicam ad firmam stabilem-

que concordiam redegerunt. Actum inde pari studio, de aere alieno dissoluendo, quo regia laborabat: Ladislao enim privati grandem pecuniam occupaverant, ut in dando largiendoque, ita in conquirendo quod daret, unde illi in dies maior vis aeris alieni conflabatur, nihil sibi reliqui facienti, minus certe acri, quam publicis rationibus expediret, regionum furtis vindicandis, quorum dissimulatione iners otium et vita curarum expers, quo natura propendebat, uni modo sibi nato redimebatur. Ita cum regii ministri nihil non excogitassent, qua re sperarent, tolerabili aliqua conditione cum creditoribus transigere, neque sibi sortem solui querentibus, neque quod usurae nomine debere-tur; rem ad regem reiiciendam, cuius haec non ignorare permagni interesset, quique illum de iis docerent, legatos mittendos censuerunt. Laborabat eodem tempore vehementer regium quoque in Vngaria aerarium; ut unde exigere spes esset, quantum Boemi requirerent, ad Regis fidem liberandam, populis tributis exhaustis, nulla ratio certa posset iniri. Quae cum ita se haberent, quod medium consilium visum, placuit in hanc sententiam Boemis responderi, ut quantum regi expensum pro usuris tulissent, privatis in praesentia solueretur: creditarum pecuniarum solutionem, quando minus per aerarii angustias iis de tota summa satisfieri liceret, laxiore producta die, ad commodiora reipublicae tempora reservarent. Ad hunc maxime modum Boemi, domi compositis rebus, ut omnis occasio seditiosis hominibus praecideretur, quietem publicam, et privatorum otium turbandi, e duabus civitatibus, Vetere, et Nova, optimo consilio unam efficiunt; iussis omnibus, unum atque eundem magistratum, qui illis ius diceret, easdem leges, atque instituta agnos-



cere, simul fossas implere, muros deicere et munimenta omnia, turpe esse dicentes, quos unum ius, una patriae caritas, rex unus, atque una lex contineret, divulsos distractosque separari. Aggeres, propugnacula, tela, arma, tormenta, quae necessaria hominum vitae, hominum scelus et cupiditas redderet ad muniendos suos, arcendos et propulsandos hostes comparari, nullos foris futuros, ubi eadem patriae caritas civium animos haberet devinctos. His ita in regia urbe administratis, mox animos converterunt ad caedes, et latrocinia foris vindicanda: quorum metu, exteris hominibus, qui mercaturam facerent, non audentibus, undique itineribus insessis, intra regni fines sua importare, et vectigalia regia minuebantur, quae maiori ex parte portoriis constabant, quae res magno detrimento privatis simul, ac regi erat, qui multis, quae non gignit patrium solum, et necessarios usus ad vitam agendam habent, importatis aliunde utuntur. Iam et agrestes homines, quominus solutis animis curam intenderent culturae agrorum, magno cum populorum incommodo impediabantur. Ita inertis situ squalentes agri, tetram atque horridam faciem rerum, et vastam ubique solitudinem repraesentabant, magna regionum infamia, qui feracissimam regionem, atque uberrimam copiam atque affluentiam rerum omnium, cuius praedae esse impune paterentur. Itaque eodem viribus omnibus collectis, cum desperassent palatos per agros et vicinos saltus opprimere, in partes diversas diducta manu; ne quam in partem receptus in posterum sceleratis pateret, loca circa omnia, in his non ignobilia oppida adoriuntur, ac vi redacta in potestatem, subiectis ignibus, incendunt. Haec Boemi sua sponte, tanto maiore cum laude, quanto longius Rex aberat, cuius consilio et auctoritate,

ita administratae res, ubi adesset, in eius laudem vertebant. Neque vero statuere facile est, praeclarius in eo cum Ludovico, an cum Boemis actum: praesentis enim facilitate, quae non aetatis solum esset, sed ingenii, cum penes illum summa imperii esset, verendum erat, ne et ii ipsi, quorum virtute et consilio haec essent acta, a fortioribus consiliis averterentur, quorum rex, per aetatem minus potens improbis hominibus de medio tollendis, haud aequae esset invigilaturus; quae una res maxime, robustum regem, et severum scelerum ultorem poscebat, id quod maiore cum regionum infamia, graviore regni incommodo, accidere erat necesse. Per eadem tempora, Vngaria quibus malis assueverat Ladislao obtinente regnum, vehementius in dies conflictabatur, regis indulgentia iisdem ipsis gratiosis hominibus, quorum supra mentionem fecimus, abutentibus; qui immanibus divitiis coacervandis regni aerarium, et publica vectigalia, ferendo, agendoque omnia, quo audacia et libido suadebat, foede lacerabant. Multa quidem scriptores eorum temporum produnt, in his Dubravius, quibus si fides habenda sit, non videantur praedae fuisse avidiores, qui malis artibus subnixi regiis opibus inhiarent, quam rex cupidior eos praeda explendi, qui nullum in praedando, atque expilando noverant modum: quibus quidem, nequidquam principibus reclamantibus, unis patebat, variis artibus et fallaciis, ut iam commemoravimus, ab iis circumventus. Neque vero videtur unum aut alterum e multis praetereundum, quae de illius immoderata atque profusa in dando largiendoque intemperantia traduntur; minime quidem mirum et adolescentem et regem prolabi, deceptum vitio, quod affinis virtutis species obduceret, potuisse, sed portentis simile tan-

tum flagitium, quantum vix ulla fides sit non suae mentis hominem concipere animo potuisse, admisisse, et quidem admisisse eorum consilio, in quibus ullum hominis vestigium esset. Aiunt enim, cum Agriae ad quendam e regiis ministris divertisset, quem praefecerat eius sacerdotii fructibus procurandis, visam vulturem, quae dicebatur miro artificio avibus insidiari; tum qui eam mansuefactam ad hoc genus aucupii pertinaci studio excoluerat, hominem per praestigias, et ludibria oculorum multa effingere assuetum, quorum voluptate Rex tenebatur, ut sibi concederet postulasse: tum illum, negantis similem, ut ita Rex cupiditate potiundae rei vehementius, ut fit, accenderetur, hanc unam vero sibi esse reliquam oblectationem respondisse, qua interdum curis gravioribus distentum animum relaxaret, rogare magnopere, ne sibi suas delicias praeriperet, qui Rex esset, et haec sibi aliunde, quantumvis magno (*aere*) comparare, ubi vellet, posset. Hinc Regi, cum vetitae rei desiderio multo vehementius flagraret, et ne sibi ulterius negare pergeret, rogasset, ea lege se traditurum dixisse, si liberum esse iuberet a ratione eorum reddenda, quibus regio aerario, ex accepti atque impensi tabulis obstrictus esset. Ad haec Regem, qui magis quid esset quod vellet, quam quid daret, spectaret: sibi vero haberet, quod peteret, respondisse, et imperare se, ut illius nomen in expensi tabulis induceretur, modo avi liceret potiri. Ita regi avido, vulturem, atque paullo illa praestigiatorem bestia meliorem, in magnis aerarii angustiis quadraginta aureorum Vngaricorum millibus (tantum enim procurator, pro exactis eius sacerdotii fructibus, regio aerario debebat) redemptam stetisse. Atque hoc quidem foedum, et unde facile appareat, quam perditae

Vngariae res in tam exhausto, afflicto et dilacerato regno, adolescente rege rempublicam dilapidante, haberentur: illud vix in latronum ducis cohorte, et archipiratae ferendum, quod idem Dubravius refert: Eo petulantiae regio provectos, ut cum publicum aera-rium, variis artibus in rem privatam totum avertissent, conversis animis ad privatorum fortunas diripiendas, quidquid esset, quod oculos elegantia operis, pretii magnitudine animi cupiditatem moveret, eius rei potiundae interpretem Regem facerent, apud eos, quorum res esset, nihil tanti cuiquam fore arbitrati, quod poscenti Regi negare auderet. Ita primæ nobilitatis homines, qui et Regis honestandi caussa, et tuendi domesticum splendorem, magnifice et copiose instructi, aulam frequentabant, domesticis ornamentis spoliabantur: sive quis torquem aureum gestare affabre factum, sive quis anulum gemmâ insignem, paullo lautio-rem vestem, ac suffultam pretiosis pellibus, generoso equo vehi conspiceretur, praesto aderat Rex, qui suis morigeratus posceret; cui persuasum esset, nihil non regem decere, quantumvis aliis pudendum, usque eo in admittendo flagitio infelix, ut in eo qui esset culpae expers haereret flagitii dedecus, penes eos esset flagitii praemium, qui eius admittendi, adolescenti Regi innocenti eidem atque innoxio, auctores fuissent. Neque vero alii solum, qui honestiorem gratiae locum apud Regem suis indulgentem obtinebant, sed corporis stipatores etiam, ornati nobilium hominum spoliis, quo esset invidia maior, per urbem quasi de pudore victo triumphum agentes incedebant, oclusis Regis auribus ad hominum querelas, quae assentatoribus, morionibus, tum foedissimarum voluptatum administris lenonibus, perductoribus, hominibus impurissimis patebant. Cuius

rei invidia, etiamsi in eos redundabat, quibus ipse, et sui, potestatem regni moderandi permisisset, fiebat tamen re ipsa, unde in multos offensio manabat, ut in dies melioribus magis declinandus, non odio quidem, sed desperatione officii, ne frustra moniti esset gravior culpa, apud multitudinem palam contemptioni haberetur. Atque haec tanta dedecoris labes in omnium oculis haerebat, quasi ea esset solida voluptas sine ulla dissimulatione peccare, cum non posset esse in Rege obscura, quem regii honoris maiestate insignem foedius et maiore cum hominum offensione deformabat, quo minus animum ab errore colligeret, eorum consuetudine quibus se dediderat totum, quasi pestis teterrima contagione depravatam; ea illi esse honesta suadentium, quorum magnum fructum summa cum invidia regis infamiaque referrent. Vnus dicitur Henricus Tenchelius, et domesticae nobilitatis, et sui iuris adeo memor, huic tantae regionum petulantiae, ausus profiteri monendi regis partes, obviam isse: cum enim grandis iam natu quodam die suffulta veste Ponticorum murium pellibus, quas zibellinas vocant, prodiisset; gratificaturus uni e suis Rex, et pellicum genus quibus erat suffulta, et formam adeo collaudavit; simul postulavit, ut, sua causa animum induceret, non gravate ea veste carere, parvae rei iactura magnam apud se gratiam initurus. Intellexit Henricus, rei pudendae interpretem Regem quaesitum; impudentiae praemium aliis quaeri; atque ad illum conversus: Ego vero, inquit, et veste carere, et vita adeo Regis causa possum, eorum non possum, qui ne ea ipsa quidem vita qua fruuntur sunt digni. Cur vero ego ea veste me patiar aequo animo privari, quam mihi tum fovendae senectae adversus hiemis saevitiam, tum honestando eo loco paravi, in

quo me maiorum merita, nonnulla mea, in primis sapientissimi Regis iudicium collocavit? ut si minus mea, at Regis caussa tamen, cui omnia debeo, desiderare a me ademptam non possim. Sed haec postea acciderunt.

Interea Solimanus, qui patri Selimo successerat in regnum, cum susceptum adversus Persas bellum tristibus auspiciis aequae turpi atque infelici eventu gessisset: ad delendam ignominiam, atque inde mitigandum conceptum militum in se odium, animum ad Vngaricum bellum, secundioribus militum studiis, infestis fatibus Pannonibus adiecit: iam enim Turcae non obscure de novo illi successore creando consilia agitare, eo de sede imperii deturbato, elati barbara arrogantia dicebantur. Accusabant temere bello aggressum ferocissimam gentem, nobilem multis Romanorum cladibus, situ locorum invictam, numquam feliciter ab externo hoste lacessitam armis, scilicet, ut magna ad veterem gloriam accessione Turcarum nova clade nobilitaret, quietam sua sponte futuram, ubi per Solimanum praeferenti bello pacem colere licuisset. Quod tantum dedecus Turcarum nomini impositum, totius orbis terrarum victricis gentis, atque ad eum diem insolentis contumeliae, ne capite eius quidem, qui id admisisset, quamquam ornato insignibus maximi imperii, satis recte elui, atque expiari posset. His querelis incitatus iuvenis animus iam per se satis gloriae cupiditate incensus, cum captanti occasionem sarcientidae ignominiae praesens Vngariae status peropportunitatem offerret: Ludovicum bello aggredi, omnibus aliis damnatis consiliis, quae eum ab incepto revocarent, aliquanto secundioribus auspiciis constituit. Omnia vero tum apud Vngaros sua sponte proclivia ad exi-

tium, inferenti Solimano bellum facilem victoriam spondebant: diu enim miles ab insita vi animis, ad Ladislai Regis ingenium degeneraverat, qui aegre posset Vngaris, ubi antiquam animorum vim et robur retinerent, nisi emollitis longo otio, et confirmatis ad suos mores, imperare: neque per multos annos ulla obiecta occasio armorum secordioribus animis latentem virtutem in campum atque in aciem eduxerat, ut usu atque exercitatione confirmata par esset magno propulsando bello. Neque interea erat domi, cuius aemulatione excitaretur ad repetendum antiquum decus, neque qui foris ungeret hostis, in Asia Solimano gerente bello, Vngaris uno hoste timendo, qui saepe desides, atque inertes ad virtutem atque industriam, hinc gloriae aemulatione, hinc metu pestis imminents, excitare consuevisset. His iuvenis Rex cinctus malis, cum eius infirmam aetatem, neque tutorum fides, qui nulli erant, neque sapientium hominum consilium, qui contempti atque abiecti regia exsulabant, (*regeret*), praeceps ferebatur, qua casus, et temeritas in sui et regni ruinam agebat. Erat enim vero plane eorum temporum conditio infelix, et quae grandes natu homines in primis ange- ret; cum subiret, qualis Vngariae status fuisset se adolescentibus, qualis tum esset, ita sibi ipsi displicentes, ut odissent vitam, quam iniqua fata in tam longam diem produxissent. Namque erant in oculis quotidie nova emergentia mala, quasi e mari iactato adversis ventis, ex perturbato reipublicae statu; omnis spes aberat (qui vetus mos olim Vngarorum fuisset) ea a patria virtute, atque animi magnitudine amoliendi: ut enim quis a regis insectatione temperaret, qui per aetatem, neque se agnosceret, neque quibus populis imperaret; ubi quaquaaversum oculos in universas regni provincias

circumverteret, notare neminem poterat, aptum militari imperio gerendo; cum Matthiae Regis tempore, et superiorum regum, nullius rei uberior annona in feracissima regione rerum omnium, quam ducum atque imperatorum haberetur: ut Vngarorum nomen horrore hostibus, vicinis populis atque exteris nationibus admirationi esset. Ad haec omnia, nulla spes auxiliorum a regibus exteris, exitiabile inter se gerentibus bellum, Venetis, et Sigismundo patruo, magna constantia tuente initum cum Turca foedus, ut nullis precibus spes esset ad arma impelli, in eo positam regni salutem existimante, si nihil apud barbarum loci ad iustam querelam relinqueret, unde arriperet armorum ansam: tutissimum quidem consilium arbitrabatur, perditis reipublicae temporibus, quibus concussus regum discordiis laborabat Christianus orbis, non lacescere aperto bello sua sponte quiescentem, non ferocem solum conscientia domesticarum virium, sed hostium etiam, ubi gerenda res esset, imbecillitate. Exstant quidem litterae Sigismundi ad Ludovicum, querelarum plenae, in quibus, se, iam ab eius regni initio, a suis legatis factum certiore ait, Selimum per certum ad illum missum internuncium, cum eo de paciscendis induciis, et cum aliis Christianis regibus egisse, permissis illis unius anni spatio ad deliberandum: quo quidem tempore iis potestatem fecisset, missis Byzantium legatis, de induciis transigendi, iis conditionibus, quae Ladislao, postremis illius temporibus, propositae essent: ubi ea dies exisset, quae iis esset praestituta, Ludovico minime id integrum fore. Nam, et illud addit, cum a suis, quos ad Budensem conventum legasset, actum de ea re esset, et quidem cum iis, ex quorum auctoritate res administrarentur, audisse illis respon-



sum esse specioso magis, quam tuto consilio: Missurum continuo Ludovicum legatos Romam per dispositos equos de eo pontificem consultum, quo invito haud fas esse duceret, ulla de re cum communi hoste pacisci, quae ad summam Christianae reipublicae pertineret. Quae gravis sibi esset caussa, ut non prius a se Turcae legatum dimitteret, quam sibi, quae esset pontificis sententia, significatum esset. In primis queritur, summos homines, quorum fidei esset regni procuratio mandata, pati in re maximi momenti, suam prudentiam et vigilantiam desiderari: in una enim ea actione universi regni salutem, et totius Christiani orbis agi, de qua esset desperandum, ubi immanis hostis Ludovici moram, et cunctationem in deliberando, quam illi esse suspectam verisimile videretur, pro alienati animi praeiudicio acciperet. Vim, et rationem eorum temporum huiusmodi esse, ut minime longa disceptatione consultatio indigeret. Nam si quis spectaret, qui esset qui indicias posceret, qui is qui cunctaretur accipere oblatas: eum facile intellecturum, praepostere has Ludovicum partes, illas Selimum sustinere; quem enim posse dubitare, quin si Selimus esset aversus a quietioribus consiliis, ab eo essent ultro Ludovico induciae petendae, et quidem aliqua etiam regni iactura? Elapsum vero ab eo tempore annum, quo legati Romam sint missi, neque adhuc sciri (tantam quorundam animis vecordiam inesse) quid Romae sit actum. Neque tamen esse, cur spem abicerent; rem, ut maxime vellent successuram: alium enim ad se missum Byzantio oratorem nunciatum, quas res prospere, atque ex sententia Imperator Selimus, tum in Asia, tum in Aegypto adversus hostes gessisset, partas victorias, longe lateque productos imperii fines; quo tam laeto

nuncio sibi impertiendos amicissimos reges, pro sua consuetudine, constituisset; in quibus praecipuum Sigismundum haberet. Eidem datum negotium, ut, si ita Sigismundo videretur, quae sibi cum eo intercederent, inducias in quot vellet annos confirmaret. Rogare regios ministros, prudentes homines, ut quem coniunctum sanguinis propinquitate haberent, ab eo nolent habere separata consilia, ac suo exemplo, quem satis scirent non posse sustinere hostem immensis viribus regno imminentem, darent operam, ut amicum sibi dubiis reipublicae temporibus conciliarent. In postrema litterarum parte adhortationes addit, quamdiu se opportunitas det, ne patiantur sibi e manibus elabi: ubi enim fluat, sero, et cum omnis sit spes praecisa, frustra quaesituros.

Atque haec quidem Sigismundus, minime falsus vates eorum, quae postea evenerunt. Ad cetera vero mala accedebat, exinanitum aerarium magnitudine sumptuum; tum malorum quasi ingens cumulus, angusta ubique fides, ob dilatam creditoribus solutionis diem; cetera eodem modo; nullus bellicus apparatus; regnum factionibus divisum; in regis consilio nemo, qui non paratior esset, e publica re privatam facere, quam privata publicam tueri. Contra apud hostem omnia, quae illi animos et fiduciam adderent inferenti arma: etsi enim tum imperator, tum miles recenti fama laborabat male gestae rei Asiatico bello, nemo tamen dubitabat, quin idem esset miles, qui, Selimo imperatore maximo, et fortissimo, gravissimis gerendis bellis, clarissimis parandis victoriis, magnam Asiae partem, Persas, Syriam, Aegyptum, ubique insignibus relictis fortitudinis monumentis, peragrasset. Nam, quod victus a Parthis diceretur, nihil de

illius virtute, et fortitudine detrahebatur: non enim ille ab homine victus, sed iis duratus, ac conflictatus malis, quae qui possunt superare constantia. et magnitudine animi, ii certa virtutis instrumenta parata habent, ad res maximas gerendas, patientiam, tolerantiam frigoris, aestus, famis, belli laboribus ferendis, durioribus rebus, tum vires atque animi robur, ad mortem pro patria, coniugibus et liberis ultro in acie appetendam. Nam, quod caput est, ab hoste accepta clades non abiecerat desperatione animos, sed exerebat incensos gloriae cupiditate ad ignominiam inustam Turcarum nomini delendam. Imperatorem quidem non solum movebat ignominiae dolor ex male gesta re, sed metus etiam amittendi imperii, ni sibi statueret, omnium expectatione maturius suorum adversis studiis per hanc rationem occurrendum, Ianizaris iam minime obscure minantibus, male de Turcarum nomine meritum se per vim de regia sella detracturos, qui longinqua bella detestantes finitima spectabant, Vngaricum inprimis, cuius sibi felicem exitum animis spondebant, e regno peropulento et auri atque argenti feracissimo, obiecta victoribus opima atque ubere praeda: idem vero manebat ardor animorum, fiducia eadem, atque ex ea suscepta spes bene gerendae rei, quae studio sarcientiae ignominiae in immensum augebatur: Confirmabat, praeclare sua sponte animatos, imperator Solimanus, cuius magnitudinem animi, et gloriae cupiditatem, cum immensa esset, potentia et vires aequabant. Huc accedebat, quod cum ipse, et suos aequae, et se nosset, tum non minus quid posset hostis, qui status rerum Vngaricarum esset, quae rei militaris ratio, quo Rex ingenio, quo ii, qui apud illum in regia poterant, non ignorabat: quo certiore spe bene gerendae rei, et fidenti magis animo

bellum aggrediretur. Facile vero atque explicatum suscipienti facultas rerum omnium, quae rei militaris ratio requirit, difficillimum Vngaris efficiebat deplorata spes tum domesticarum virium, tum auxiliorum exterorum regum, quae deficerent nequidquam undique implorantes. Nihil enim eorum, quae apud iuvenem regem agebantur, non spectacula, non ludi, non convivia, non theatra, non scenae, non interiores voluptates, plena exploratorum regia, quibus perfidia magno quaestui erat, Solimanum fugiebant. Ita partim fretus fiducia virium, quae nihil non infra spem gerenti rem pollicebantur, partim hostis contempione, militi edixit, ut ad certam diem ad signa conveniret, atque ea, quae necessaria ad bellum haberentur, compararet. Erat illius consilium Belgradum tentare, validum Vngariae propugnaculum, atque inde belli initium facere, minime dubius, quin ea urbe potitus, quae et loci natura, et opere munificentissima haberetur, ad summam quoque totius belli plurimum esset profecturus. Iam, initio statim suscepti a Solimano imperii, Turcae praeque hostiliter in regni finibus gesserant, quae quoniam in primis ad huius belli narrationem conducere videntur, minime silentio sunt praetereunda. Agebant Verbosianae, quod est situm oppidum in interioribus Illyrici regionibus, equites Turcae ad CCC ex eorum genere, qui voluntariam militiam, nullo addicti regibus stipendio exercent. His mos est, cum itinera insidere et rapto vivere, tum, si qua datur facultas, in agros hostium excurrere, pecus abigere, praedas agere, caedes facere, agros depopulari, ut non longius tamen a finibus progredi audeant; atque hoc quidem, ut si quis incidat casus, spes celeris receptus minime ad suos praecidatur. Atque, quod gravius est, nullum

discrimen temporum noverunt, non belli, non pacis, iuxta fidei, officii, iuris gentium immemores, quod nullum colunt, ubi spes incepta perficiendi ostentetur, quam undique captata occasione, quaerunt. Quae tanta barbarorum licentia atque audacia, Turcae cum adversus alios, tum adversus Vngaros magno usui est. Nam, sine ulla sua invidia, etiam cum pacis foedere ab iniuria et maleficio prohibentur, habent, qui finitimos armis lacessant, non imperatos illos quidem ex censu milites, non ex provincialibus delectibus, non mercede conductos, ne spes sit ex foedere res repetentibus ius suum persequendi, culpam eorum, quae fiunt adversus foederis religionem, in hos reiicientes. Igitur trecenti quos dixi equites, cum Selimi mors opportuna, et missus ad Ludovicum de compositione orator avertisset omnium animos a belli consiliis, finibus proximum oppidum Iaizam, quod etiam paullo ante Ladislai mortem tentaverant, occupare constituunt, suspicati („ut spes suas homines facile ad ea erigunt quae avidius expetunt“) eos, qui in oppidi praesidio erant, aliquid de pristina diligentia vigilantiaque remisisse. Locus quidem fiduciam augebat tegendis insidiis peropportunus: erat enim prope oppidum vallis montibus subiecta, qui quaquaversum silvestribus arboribus obsiti, prospectum in loca demissiora adimebant. Eo, cum satis adhuc diei superesset, profecti subsistere ad multam noctem constituerant, eo consilio, ut, ad quartam vigiliam oppidum adorti, nihil minus, ut credebant, nostris suspicantibus, caperent scalis. Praeerat oppido Petrus Cheglevithius genere Dalmata, magni animi et consilii vir; qui a prima aetate cum his proeliari assuetus, et minime earum artium imperitus, quibus barbari finitimis insidiantur, plus sibi praesidii in diligentia, et virtute suorum,

quam in hostium fide, facile se posse fallere incautos per obiectum pacis nomen sperantium, de qua iam convenisset, haberet constitutum. Itaque de equitum adventu ab exploratoribus certior factus, quos dispositos per circumiecta urbi loca habebat, ne quid inire occulti consilii, et opprimere de improvviso parum cautum possent, suos celeriter arma capere, et se componere animis ad rem gerendam iubet, exiguo horae spatio ad quietem dato. Hinc centum e suis equites, quam maxime occulte potest ex oppido emissos monet, ut qua Turcae in insidiis latebant, vallem circumdare, atque ubi iis signum ad erumpendum dedisset, sublato clamore, ut fides esset, maiorem, quam qui erat, numerum militum esse, ancipiti malo circumventos adorti conciderent: se enim eodem tempore, eruptione ex oppido facta cum reliqua militum manu affuturum. Interea ad eliciendos hostes ex insidiis, novam illecebram commentus dat negotium oppidanis, ut puellas virgines, et si quae praeterea sint, quas commendet formae decus, ex oppido educant, tripudiantium in morem ac diem festum agentium, et in eam partem, quam in partem impetum facturos Turcas suspicabatur, accedant; simul hortatur, alacriter imperata faciant, ne de suarum pudore incolumitateque solliciti sint: sese illos continuo, ne quid detrimenti inde accipiatur, vestigiis consecuturum. Quae dum ita a Cheglevithio administrantur, equites Turcae, cum vererentur, ne parantes scalas lux opprimeret, ac, detectis insidiis, spe omni excluderet oppidi potiundi, quod, si accideret, haud esset dubitandum, quin eos temere initi consilii nequidquam poeniteret, omisso incepto, retro, unde venerant, redire Verbosianam constituunt. Mox cum puellas canentes, citato tripudio, quo convenerant, accelerare

ac iam adventare adeo, vocum sono propius auribus accidente, animadverterent, insperatam praedam non esse e manibus dimittendam arbitrati, quasi signo dato, ad unum omnes ex insidiis consurgunt, ac nihil subesse fraudis suspicati, obviam ire advenientibus pergunt. Qua re Cheglevithius animadversa, repente ex oppido egressus, tripudiantes puellas, equitum qui iam praecesserant, praesidio tectas, cum suis retro ad oppidum redire, simul iis, qui in insidiis consederant, dato signo a tergo barbaros pugnantes eodem tempore adoriri iubet. Turcae improviso malo oppressi, cum ex insequentium clamore, maiorem esse numerum nostrorum, quam qui vere erat, suspicarentur, nocte, quae errorem auget, prospectum adimente, aut interempti aut vivi in potestatem sunt redacti, cum vix, qui caedis nuncius superesset, incolumis evasisset.

Iam Solimanus, omnibus, quae necessaria ad bellum erant comparatis, de suorum consilio, ne quid opis Ludovicus a patruo rege speraret<sup>1</sup>, ad sua tuenda averso, Tartaros finitimos Polonis, cum ipsos sua sponte spe praedae incitatos (solent enim quotannis fere in Polonorum agros stato anni tempore excursiones facere), tum largitionibus et muneribus traductos in sententiam Maemethem Halim, Mihallium unum e regiis ducibus, cum magnis equitum peditumque copiis trajecto Danubio finitimos agros urere, vicos, pagos vastare, atque inde late belli terrore fuso, Vngaros, qui ulteriorem<sup>2</sup> Danubii ripam accolunt, a ferendo suis auxilio avertere domesticis deterritos malis iubet. Sed horum alterum Solimano ex sententia successit, neque adeo largitionibus et muneribus magis barbaris ad arma concitandis, quam Sigismundi voluntate ac iudicio: qui sua sponte a bello Thracio, ob eas caus-

sas, quos alibi commemoravimus, abhorrebat; quamquam enim irrumpentes in Poloniam Tartaros magna sua gloria non semel victos reiecerat, ut non temere crederet etiam magnis incitatoŝ praemiis ad belli consilia descensuros, minime tamen elatum successu victoriae quieturum apparebat, optimo consilio, ab iis abhorrentem armis, in quibus parum subsidii Pannonibus, positum esset certum exitium Polonis, ubi pergerent suum facere alienum bellum. Erat quidem is Turca hostis, ut sive bellum palam inferret, illius timenda arma, sive quiesceret aut pacis aut induciarum foedere illigatus, constantia tuendo otio, ac fide praestanda magno redimenda esset. At Maemethes Danubium quadraginta equitum millibus transgressus, cum magna sui exspectatione concitata paucos ibi dies moratus esset, non ausus interiora regni petere, qua in parte saepe infelici eventu pugnaverat, retro re infecta traductis amnem copiis, rediit. Hinc Solimanus, ut Vngaris omnem spem tolleret, quidquam commeatus ad longam ferendam obsidionem Belgradum invehendi: instructas biremes omni bellico apparatu, subire e Ponto adversum Danubium, atque utrimque magno adiecto lintrium numero, ne qua hosti flumen transire, et ferre opem obsessis liceret, ripas custodiri cura acerrima atque intentissima iubet; simul Balidae Iachio imperat, qui Bosnae provinciae cum imperio praeerat, Savum amnem parte copiarum transmissa occupet Sirmiensem agrum, quae regio, et soli ubertate, et copia omnis generis fructuum est omnibus aliis Vngariae praefenda: id eo consilio, ut exploratis hostium viribus, si qua perrumpere, et commeatum in oppidum importare, id quod verisimile videbatur, aut novo intromisso milite augere praesidium conentur,



sit impedimento ; simul mandat, ad lenitatis et clementiae opinionem conciliandam, omnem vim belli in agrestes abstineat, milite a populationibus atque incendiis, non secus ac si in pacato incederet, iusso temperare. Adhuc in Vngaria multitudinis odia, agrestium praesertim, in nobilitatem flagrabant recenti memoria superioris belli, quo victrix nobilitas, nondum odio per terrima eorum supplicia exhausto, qui capita seditionis fuissent, victoriam in multitudinem innoxiam exercebat, quam quidem callidus hostis, ubi per speciem clementiae et lenitatis sibi conciliatam redderet nobilitati suspectam, ad totius belli summam plurimum se momenti sperabat allaturum. Ad novae rei famam, cum multi in crudeli et barbaro ingenio quaerent clementiae causam, perpauci, quo illius consilia spectarent, assequerentur : femina, in cuius ditione ea regio erat, et nobilitate eadem, et supra muliebrem sexum virili audacia ferox, callidum barbari consilium, ut tum visum est, aequae callido commento, sed, ut eventus docuit, temerario et suis pernicioso, elusit : brevi enim apparuit, audax inceptum a femina ortum, quae raro, nisi fors et casus agentem adiuvet, novit agere praeclare. Delectos e suis, quorum consilio plurimum fidebat, ad Solimanum misit, qui illi, quod pacati animi indicium esset, et litteras simul, et munera offerrent, quorum orationis summa haec fuit : Antea sibi, cum fama efferri Solimani nomen et vires, quae maximae essent, magis quam animi moderationem praedicari audisset, spem omnem salutis abiecisset ; atque adeo cum sibi ita deesset ad sustinendum illius impetum vires, animus non deesset : nunc ad illius clementiae famam non sibi vires solum, sed animum etiam et ferociam omnem concidisse ; non enim posse dubitare, quin

in quo principe omnium maximo et fortissimo, coniuncta par viribus animi moderatio esset, quae virtus merito esse crederetur maior hominum viribus; is propitii et praesentis dei dextro numine et pacem coleret, et bella gereret. Itaque, cui vitam, liberos, fortunas deberet, ubi etiam minus id ab invita belli vis extorqueret, sua sponte, atque ultro ipsam se suaque omnia debere. Vnum modo, supplicem rogare, ad cetera sua in se humanitatis officia adderet, ut quae illi cessisset, non iure belli solum, sed dedentis etiam voluntate, in his alieni iuris vicariam se succedere pateretur, ut eadem conditione, qua maiores superioribus Vngariae regibus paruissent, sub iustissimi regis imperio cum liberis ageret.

Hac oratione Solimanus exhilaratus, et sui consilii se satis laetum exitum, et fructum maximum suae lenitatis retulisse respondit, cui contigisset, multorum et maximorum regnorum potenti, insitam animo benignitatem et clementiam, quam pluris quam cuncta regna faceret, in tam gratum animum retinere. Opus esse unum in terris maximum, et eius regis proprium, cui deus tantas opes, et summum in homines imperium dederit, multos posse beneficio comprehendere; sed eos complecti beneficio, qui eius sint futuri memores, fortunati modo regis esse; adeo plures inveniri, qui in virtutis contentione se beneficio obstringi patiantur, quam quibus hoc quasi nexu solui referenda gratia, curae sit. Accipere vero se illam in fidem, quibus postulet conditionibus, in cuius praepotenti atque invicta manu, aequae ad innocentium iura tuenda, et ad profligandos delendosque impios homines, ardentem irae suae gladium, tremendum terribilemque iis modo, qui furore atque amentia elati in eum ultro incurrere

non vererentur, deus immortalis posuisset. Haec cum gentis more totus in barbaram ostentationem effusus respondisset: imperat suis, ut de more, regio diplomate in eam, quam postulabat sententiam, regio signo obsignato deditae caveatur; quod Christiana sacra colat, ob eam rem illi fraudi ne, neu sit impedimento, quo minus sua omnia, eo iure, quo quis optimo, possideat. Hinc legatos luculenta veste, et aliis muneribus prosecutus, cum suis dimittit, qui ab illa fidem accipiant, quae per legatos transacta sint, firma se et rata habituram. Quae dum apud Solimanum geruntur: temerario ac praecipiti consilio femina, quae ignoraret, vanam et praeposteram gloriam, falsi a se vafro consilio hostis, multorum innocentium sanguine caedeqe expiatum iri, onustos currus ad viginti auri atque argenti facti infectique et pretiosae suppellectilis magna vi, in interiora regni praemittit. Inde omnibus, quae necessaria essent ad capessendam fugam comparatis, ubi cum mandatis sui redeunt, legatis Solimani interfectis, atque liberis secum assumptis, eodem quo suos praemiserat, delectis militum prosequentibus, contendit. Quo ab audaci femina veluti signo dato ad Solimani contumeliam tantam suorum caede et sanguine sarciendam, Turcae rei indignitate incensis animis, nullo delectu, discrimine nullo, non aetatis, non sexus, puberes iuxta atque impuberes interficiunt, atque igni, ferro, qua spes sit legatis parentandi, per violatum ius gentium interfectis, totam regionem nostris infestam faciunt.

Quae dum ita in ea regni parte administrantur: Ludovicus Rex prius fama, mox litteris multorum certior factus, Solimanum ingentibus instructum copiis Hadrianopoli movisse, armatorum concilium indicit, a

nulla re minus quam, quo maxime indigebat, consilio paratus. In eo concilio, cum de summa reipublicae ageretur, in magnum adducta discrimen: id quod ratio temporis postulabat, decernitur; ut novorum militum delectus habeatur; et quoniam pecunia in stipendium desit, cuius in praesentia nulla sit facultas, legati ad pontificem Romam imploratum auxilium mittantur, ut pro veterum pontificum consuetudine, inducat animum laborantem aerarii angustiis Regem sublevare, variis caussis in medium allatis, quas ratio temporis suadebat, minime cum veris consentientibus, quae totae erant positae in paucorum immani cupiditate, quam neque regium aerarium, neque privatorum fortunae, cum omnia praedae haberent, poterant explere. Atque haec sententia pervicit, quam necessariam quidem praesentia tempora, sed parum honestam Regis maiestas et vetustae gentis fama efficiebat, aegre contra tendentibus adversus eos, qui secus statuerent, viris prudentissimis, qui salutaria temerariis consiliis praeferrent. Neque vero deerant vires ad regnum defendendum, si quorum intererat id agi, quando nullum iam erat publicum aerarium, et conservari res privata nisi salva republica haud poterat, statuissent privata rempublicam tuendam. Affirmant nonnulli quidem, qui Vngarorum res scripserunt, in his Tubero, Vngaris a prima origine infixam pravam animo opinionem, quam non natio ulla magis, quam paucorum infinita cupiditas tueretur; in magnis regnis atque imperiis publicam salutem privatorum opulentia, regis egestate contineri. Nam regi cum desint vires ad expedienda consilia, si quando res novas moliatur, aut se gerat violentius, quam regni rationes requirant; frustra animum suppeditari, cum minus aequa volentem haud consequantur pares vires:

privatis, ubi difficili reipublicae tempore sit ad arma eundum, in lauta et luculenta re suppetere, quo se equis, viris, armis instruant, ac tanto maiore cum gloria sua, quanto voluntaria militia acrior, quam expressa vi atque imperio habetur, nullo coacti regis imperio foris rempublicam administrent. Quae adeo foeda et praepostera ratio non solum est Vngaris parum digna, exculpta gente ad summam humanitatem, sed ne remotissimis quidem gentibus a politiore vitae cultu; si enim naturae instituto standum est, quae quidquid in homine est mentis et consilii, celsiore loco atque honestiore collocavit: cur regi, cuius tamquam capitis certae ac propriae partes sint rempublicam moderandi, nervos et vires privati incidant, sine quibus mandatum sibi munus recte atque ordine administrari haud possit? Neque verum est, privatos, quos a publicis curis, nisi in his magna virtus excellat, res privatae avertunt, ad pericula pro patria subeunda futuros rege alacriores, cuius fortunae in tranquillo reipublicae statu, atque in omnium salute sint constitutae; cadat enim rex necesse est, ubi per reipublicae occasum deplorata sit privatorum salus. Quibus vero imparet; cum desit, qui pareat? Nam quae privatorum alacritas sit republica defendenda, usu venire quotidie animadvertimus; si quando enim ad privatos confugiendum est durioribus reipublicae temporibus, atque ex censu tributum pendendum, tum reclamare omnes, tergiversari, tumultuari saepius, et ad seditionem concitari, perpaucis exceptis, in quibus ea virtus est, quae quoniam in multis temere non invenitur, ne usui quidem reipublicae esse potest, cuius salus non in rectis paucorum studiis, sed in multorum consensione viget recte de republica sentientium. Tantum vero incom-

modum vitari in privatis difficile est, non aequè sentientibus imminentis mali vim, atque ii, ad quos unos tamquam capita pertinet partium omnium sensus. Ergo Ludovici legati Romam profecti, cum urgente bello, sibi iter accelerandum, et primo quoque tempore, cum Pontifice rem agendam censerent, offensionem si qua subesset temporis angustiis deprecari postulant, ut sibi senatus detur; simul Pontifici Regis litteras reddunt, quarum describendarum cum nobis ex regio tabulario facta potestas sit, cum fide libuit exemplum adscribi: inde enim conici poterit, quantum pavoris et trepidationis funesti belli expectatio Vngarorum alioqui invicta pectora pervaserit, quod minime tamen mirandum fuit: tanto enim vehementius Turcarum arma horrebant quanto illa longius ab Vngaris in diversam orbis partem per Asiatica bella avocata minus exercuissent, cum his quotidie fere bellare assuetos. Erant autem litterae in hunc maxime modum scriptae: „Iam pridem optime et sanctissime Pontifex, cum ad te summum Christiani orbis moderatorem, tum ad reges alios civitatesque, quarum auctoritate et consilio innixa stat adversus impios hostes Christi religio sanctissima, litteras dedimus, quibus questi de praesenti rerum nostrarum statu, docuimus quanto in discrimine versaretur omnium communis salus: simul ostendimus, quam nostrae essent fractae et debilitatae vires, Turcarum perpetuis bellis atque excursionibus, qui nos tot iam annos vexant, quantumque esset barbarorum hostium robur nobis inferendo bello, quanta nostra imbecillitas ab illis illato propulsando, ita nostris affectis et debilitatis viribus, ut in externis paullo nostris melioribus, vix salutis spes ulla relinquatur. Neque hoc modo te noluimus ignorare, sed regibus exteris etiam, litteris

eodem argumento scriptis, curavimus significandum. Illud etiam non dissimulavimus, alendo milite, muniendis urbibus, arcibus praesidio firmandis, quae sunt in regni nostri finibus barbaris hostibus obiectae, iam et Regis aerarium exhaustum, et uberrima olim regni vectigalia consumpta; ut cum sit nobis magnum propulsandum bellum, nihil incertius sit, quam quibus rationibus sit idem nobis propulsandum: quae vectigalia etiamsi integra essent, ad tanti hostis sustinendum impetum parum nobis subsidio essent. Iam et illud oravimus maiorem in modum, ut periclitanti in magno regni nostri discrimine Christianae reipublicae, nobisque adeo, qui ab illa non possumus divelli, et priores pectora nostra, pro communi salute, ad hunc diem satis firma et valida propugnacula obiecimus; ne graveris, toties frustra efflagitatam opem ferre, atque aliquid subsidii ad bellum, antequam Turca hostibus debellatis, qui et Selimi patris et sua vota in nostrum exitium suscepta morabantur, nobis, solutus curis omnibus, inferat bellum. Atque ille quidem (haud dubie, ut nos opprimat imparatos) missis legatis a nobis pacem petit: cum quidem eodem tempore, ingentibus comparatis copiis atque iis Asiaticis adiunctis, in nos bellum gravissimum paret, quo nos nihil minus cogitantes, ut male credit, adoriatur. Tanto vero apparatu adornat, ut satis constet, nulla maiorum memoria, militum numero, bellicis tormentis, aliisque quae sunt usui ad bellum, instructiorem regna nostra invasisse. Missis quidem exploratoribus, qui de his nobis certiora afferrent, qua peditum, qua equitum censeri in hostium castris CC armatorum millia cognovimus: esse vero eius consilium, Belgradum ducere, quae urbs in regni nostri finibus propugnaculum longe mu-

nitissimum hosti obiicitur, ea spe, ut vi aut obsidione, quod commemorare horret animus, in potestatem redacta, sibi ad interiora regni aditum patefaciat. Quantum vero damnum sit factura Christiana respublica ea urbe amissa, faxit deus ne sero Christiani reges, magno suo malo, intelligant. Nobis quidem crudelis et superbus hostis minatur, se expugnata Belgradi arce, recta exercitum Budam sedem nostram regiam ducturum, forte hoc quidem, ut solenni voto, quo se pater Selimus obstrinxerat, si tantum illi per turpem Christianorum regum dissimulationem et secordiam liceat, faciat satis. Non enim dubito quin hoc, Sanctissime Pater, audieris, antequam Selimus de Aegypti Sultano nobilem illam victoriam referret, et multorum scriptis et monumentis decantatam, Mahemeti vota fecisse, ubi daret deus de hoste victoria potiri, se tria in universo terrarum orbe templa magnificentissima illius numini exstructurum, quorum alterum ad orientis plagam, ad occidentis solis alterum, tertium ad septemtriones testarentur, nullam non orbis terrarum partem suis victoriis Selimum lustrasse. Ac quantum ad orientis oram pertineat, plane est iam voto potitus; duo illi reliqua vota, nisi nobis devictis, non sperat se posse implere; apud quos (usque adeo nos immanis barbarus contemnit) iam certa habet descripta loca, in quibus voti damnatus ampliora atque augustiora condatur barbarae superstitionis ad posteritatem monumenta. Neque ille una ex parte modo in regna nostra facere impetum instituit, ut aliquid spei sit, in nos tanta belli mole irrupentem propulsaturos. A parte diversa Mahemet Begus, copiarum dux magni nominis, per inferiorem Valachiam praemissus cum XXC armatorum millium exercitu in Transilvaniam magnis itine-



ribus contendit, provinciam nostrae ditionis atque imperii, rerum omnium feracissimam, quae vitae hominum politior cultus requirit, tentaturus. Neque hoc tantum agit, ut nos impares gravi sustinendo bello, subnixus immensis viribus oppugnet, sed occultis artibus etiam, quae nobis sunt minime obscurae, illius consilia omnia cum cura explorantibus, nos petit, spem externorum auxiliorum, quo nobis, diffisis domesticis viribus, confugiendum intelligit, adepturus. Cum enim vereretur, ne patruus noster Sigismundus Polonorum rex, nobis difficillimo nostro tempore, subsidio esset, et, per foederis religionem amicum regem petere aperto bello minus liceret, Tartaros Scythicam gentem, maxime infestam Polonis, donis et muneribus multis delinitam, in illum concitavit, ut intentus domestico malo pellendo, minus posset libero animo de vicino rege propinquo adducto in ultimum rerum discrimen, sublevando suis auxiliis cogitare. Captavit siquidem callidus hostis peropportunum tempus ad rem adversus nos gerendam, cum Sigismundum patruum a cura rerum nostrarum, Scytharum arma averterent, qui vastitate, populationibus, incendiis, omnibusque aliis belli cladibus regni eius provincias vexarent: inter Carolum Hispanorum, Franciscum Gallorum regem conflatum aeternum bellum, quo horum alter minus suis copiis adolescentem regem, sororis virum iuvaret, impedimentum afferret, potentissimus princeps, atque unus inter Christianos reges Turcae formidolosus. Quae cum ita se habeant, ad te Pater Sanctissime, quem unum, secundum deum immortalem habemus, ad quem, tam afflictis et perditis nostris rebus confugiamus, preces nostras convertimus, enixe orantes, ut dum adest facultas agendi, voluntas ne desideretur,

et labantem cum Vngarorum regno Christi caussam, ne tanta mole malorum oppressa corruat, tua sapientia, virtute, consilio, in primis opportuno subsidio, fulcendam tibi sustinendamque censeas, cuius fidei est communis omnium salus commendata, desque operam, ut Christiani reges tua auctoritate, quae illis prima esse, et maxima debet, positis odiis et simultatibus, quae funestis bellis Europam universam involuunt, uno tandem animo in Christi hostem arma convertant, qui idem omnium est hostis acerrimus, quibus est sanctum Christi nomen: ut quae arma inter se exercent letalia iis quibus salutaria esse debent, exerceant gerendo bello adversus hostem barbarum, malintque eo, quam Christianorum sanguine cruentari. Nam si minus, quod vix credendum est, eorum pectora tangit verae laudis et gloriae decus, quae illos sempiterna manet, gerentes adversus Turcam arma: at illos moveat certum suis regnis imminens periculum, ad quae magna et perampla, qua longe lateque protenduntur Europae fines, anhelans hostis potentissimus ab imo pectore inexorable odium, hianti animo aspirat. Non enim potest esse Turca praesentibus contentus, cui, vitio humani ingenii, quae parta habet, prae iis, quae sibi animo spondet, etiamsi maxima, sordent: neque magis illis sperandum est, fore contentum Pannoniae regno, ubi, quod prohibeat deus suis propitius, liceat in Pannoniae ditissimo ac beatissimo solo figere pedem. Nam illud palam iactat, ludum sibi futurum, domitis bello Vngaris, Germaniam, Italiam, atque iis continentes Provincias suo imperio adiungere. Quae cum ita se habeant; te Vngari oramus Sanctissime, atque optime Pontifex, communem omnium parentem quicumque in Christiano orbe censentur, suscipias cogi-

tationem eo loco dignam, quo te dei immortalis, atque hominum consensus concordibus suffragiis vocavit, atque ita statuas nobis praesenti ope et subsidio iuvandis, summam reipublicae agi, neque solum alio belli apparatu, qui ut adornetur tempore indiget, sed pecunia etiam, quae ut nusquam melius, quam in tuenda Christi caussa collocari potest, ita ad praesentem belli usum huc quam celerrime curari potest: „nullum vero auxilium, ut maximum etiam sit, quod cunctantium, atque aliud agentium non corrumpat mora.“ In primis hoc te statuere pro tua sapientia volumus (saepius idem repetendum est) non Vngaris a Turca modo indictum bellum; sed unum propositum finem bellum gerenti, universi Christiani orbis excidium; ut nostrorum maiorum finis, sit eorum initium futurum, quae in summo rerum omnium discrimine nos contemnentis manent, qui quasi de aliena re in praesentia agatur, non de certa sua, nos oppressos bello gravissimo otiosi spectantes, se per nostrorum latus peti non intelligunt. Nos quidem, quae nostrae partes sunt, quantum contendere praesentibus viribus, cura, studio, vigilantia poterimus, dabimus operam, ut aequi atque iniqui fateantur, nos omni obeundo munere, quod Christianum regem deceat, et sui officii memorem, haud defuisse.

His lectis, unus e legatis, cui hae partes impositae erant, dicitur in hunc modum verba fecisse. Si quis est qui existimet, Beatissime pater, nos a Ludovico rege tantum Romam missos, Vngaris opem quaesitum, quibus a potentissimo hoste funestum imminet bellum, is antequam a nobis peroratum sit, intelliget se longe falli: Ita enim nos Rex Romam legavit, ut ad totius Christiani orbis caput, ut ad pontificem maximum, ut ad eum, quem gentes remotissimae, nationes

exterae, maximi ac potentissimi reges, communem parentem agnoscunt, et pietate summa ac religione venerantur, una spe fretus, nostram orationem si a quibus, apud quem, quo loco habeatur spectetur, non secus ac si in medio Europae theatro habeatur, a Christianis omnibus exauditum iri. Neque vero regis pietas optimi ac religiosissimi est circumscripta adeo angustis finibus, ut suorum caussa modo sollicitus sit: vestra non minus caussa movetur; in quorum iugula imminet eius hostis intenta tela; qui quidem diiudicare haud facile est, utrum instructior viribus, classibus, exercitibus, terra marique sit, an odio in eos infestior, qui Christi nomen sanctissimum profitentur. Callidus hostis, hoc a maioribus accepto instituto, per exterorum discidia, occasionem captat augendi in immensum imperii, numquam suis viribus magis, etiamsi formidolosae, ut etiam cetera absint, nobis merito sint, quam nostrorum discordiis ferox: ut si vera magis hoc loco sint dicenda, quam quae auribus blandiantur: quae mala a Turca hoste Christiani populi sunt per multos annos perpassi, caedes, incendia, populationes, urbium excidia, debeant Christianis regibus accepta referre, qui inter se concurrentes infestis armis, lacerandam perdendamque Christianam rempublicam barbaro hosti, insigni sui nominis infamia produnt. Belgradum enim si amittitur, quo nunc suas vires et consilia omnia Solimanus intendit, non Vngariae solum, tot gentium populorumque validum propugnaculum, qui Ludovico parent (quae pestis, faxit deus, ut in hostem vertat), sed vicinae Germaniae, Italiae, Galliae, Hispaniae, nationum gentiumque omnium, quae Christi nomen colunt, amittitur: omnibus enim pari odio infestus, nullo gentium ac nationum discrimine late

circumferendo arma, ac quasi ingens coortum incendium, per aliorum ruinam, in aliorum capita insultando, qui propiores incendio sunt, pestem atque exitium importat: ut Vngaros, absit verbo invidia, Christiani orbis propugnatores, prodi fero atque immani hosti, vix dici possit, flagitiumne maius, an scelus sit habendum; quorum excidium, si quid illis durius accidat, idem, quod nemo non novit, multarum gentium populorumque excidium sit futurum: quae enim odii caussa Carolo V. Caesari, quae Francisco regi Gallorum, quae non ea debeat levior videri, ut etiam sit maxima, quae ad tuendos Christianae reipublicae fines, defendendos populos ab imminente exitio, Christi sanctissimum nomen debito pietatis munere colentes a privatis odiis et simultatibus avertit, si ii vere sunt, qui videri volunt, Maximi, Augustissimi, Christianissimi? Quid, quod illos, si quando sese colligant, et coniunctis viribus, vero ac legitimo hosti inferant bellum, non solum speciosa ac salutaris Christianis populis, sed facilis etiam, explicataque victoria manet? Quid vero est quod agunt? Vtervis eorum bello superior, ita victo adimit vires, ut infirmet suas, et parta de inimico barbari hostis faciat praedam? ut si fas sit de tantis regibus, non ex animi sensu magis, quam ex ipsa re, quae vera sunt pronunciare, ita statuendum sit, non Solimani infestiora esse arma Christianis populis, quam Francisci regis Gallorum, et Caroli V. Caesaris, quibus tuendae Christianae reipublicae regii nominis atque imperii maiestas, et superbi illi, ac speciosi tituli imponunt principes partes, quos indices maximarum virtutum pietatis, religionis, fortitudinis superbe ostentant. Quae si vere insunt animis, cur ex bellis bella serunt, cur in mutuum perniciem et

certam reipublicae ruinam explicant vires, cladibus aliis, super alias cumulandis? „virtus enim non discordias, non discidia alit, non mala cumulat malis, non tristem aemulationem animis, non odia inter eos fovet, quos honestatis aemulatio incendit, sed caritatem, benevolentiam, amorem, ut in praestanda maiestate regii nominis eadem studia sint semper, cum iisdem voluntatibus et sensibus coniuncta.“ Hi nostros urunt agros (ignoscant iustissimo dolori vera opprobrantium), hi evertunt urbes, vastitatem inferunt, liberos in servitatem abstrahunt, hi occidenti patriae ducunt acerbum funus (utinam falsi vates simus), exitium secum universae Christianae reipublicae importaturum. Aliquando discant, quamdiu licet, cum certo compendio atque usu; discant aliquando Christiani imperii moderatores ab hoste Solimano, qui oppugnat, tueri sanctissimam religionem, cuius unum in terris auctorem Christum eundem hominem, eundem dei filium noverunt. Nullos Turca novit infestiores hostes, quam qui impia et obscena sacra exsecrantur, quae ipse colit; ea colunt, quae ipse exsecratur, castissima et sanctissima nostra. Hinc quicumque illius imperio parent imbutis prava superstitione animis, habent adversus nos aeternum indictum bellum; ea modo quae in nos gerunt, sibi ducunt honesta arma; beatos fortunosque credunt, qui ultro sibi mortem appetendam statuunt; omni vita ducentes potioem mortem, quam liceat adversus nos in acie stantibus occumbere. Hinc illa animorum alacritas, ubi classicum canit, sumendi arma; hinc studium nomina dandi, non laborum, non vulnerum, non mortis metus; ut cum una certa spe teneantur, vitae praemium, quam contemnunt, immortalem ac beatam vitam consecuturam, duci se ad cer-

tum exitium , ad fossas suo sanguine opplendas , extruendos aggeres cadaverum acervis , defatigandos sua caede hostes , studio atque alacritate alii alios praecurrentes , aequissimo animo ferant. Non illi vincunt nos armis , non pectorum robore , non rei militaris disciplina : cum nos numero vincunt , quos fessos caedendo suos , instando , signa inferendo conficiunt ; tum hoc ardore animorum vincunt ; ut nisi in vestigio cadant , turpem sibi vitam reliquam ac miseram putent quam ex acie referunt , hoste armato victoria potito , quam per vim arma gerentibus extorsit. Ab hoste barbaro discant reges summi , inter suos colore pietatis iura , aemulari viris fortibus magni animi atque excelsi propositam laudem , qui a primis annis pietatis praecepta a sanctissimis Christi oraculis hauserunt. Quid autem est liberis hominibus in vita tanti , quod illis eripiat e manibus in Christi hostem sumentibus arma ? Si enim est iis prima , id quod decet viros fortes , praeclaris artibus parta gloria , nominis decus , hominum fama : unde materia ad gloriam uberior , quam ab iis armis , quae orbem terrarum a Turcarum servitute teterrima vindicent ? Dubium vero cuiquam esse potest , quin si , consentientibus studiis , bellum capessant ; brevi futurum sit , ut terra marique hostibus debellatis ad Byzantii moenia statuunt victricia signa ? Si tituli delectant , si Catholicos lubet , si Christianissimos appellari , cur parta magnae gloriae insignia meritis maiorum in Christianam rempublicam amplissimis , dedecorant , polluunt , prostituunt ? cur Christi rempublicam per privata studia eversam impiis armis , cur tot nationum , tot gentium , tot populorum , qui Christo sacris initiati nomina dederunt , salutem produnt ? cur ad ea , quae a maioribus heredi-

taria habent, nova cognomina assumere recusant Asiatos, Parthicos, Macedonicos, Africanos, Numidicos, orbis terrarum vindices, solida parta pietatis laude; quam quae sunt adepti insigni cum maiorum gloria, quantum in se sit foedare dedecore domestico malunt? Cur non animum inducunt, illius Boemundi gloriam aemulari, quem superiorem causa, armisque adeo, principum magna consensio pro Christi gloria ad Syriacum bellum proficiscentium a fraterno bello armisque avertit? Neque vero erat tum inter duos fratres contentio exigua de re instituta, unum in medio victori propositum praemium, Siculum regnum opulentissimum concitabat fratrum dissidentium animos ad arma: atque adeo, ut vix ulla concordiae spes reliqua haberetur. Sed potuit, ea quae vincere debuit, pietas et Urbani pontificis maximi auctoritas, in vere regio animo. Qui quidem, ne cedere studio verae gloriae videretur euntibus ad longinquum bellum, difficillimum, dubii eventus, fratri Rogerio grandior natu tam gloriosae expeditionis comes futurus, regno tanto prudens volensque cessit. Quod si secus, ac dignum maiestate regia sit, habent, quod nomini, existimationi, et gloriae praevertant, et Insubrum regnum sibi spondent praemium victoriae, quod accessionis loco futurum sit, tot regnis in Europa nobilissimis potentibus: an non huic uni opponant Graeciam omnem, Thraciam, Macedoniam, Pontum, magnam Asiae, magnam Africae partem? quae omnia cur non sperent suo imperio adiacere, duo potentissimi ac maximi reges, ubi communi consilio rem sibi gerendam, communibus viribus, pari consensu animorum constituent? cum quidem terrarum tot illustria nomina praedae fuerint Turcae, numquam victori domestica virtute, sed mollitia et socor-



dia hostium , qui se vinei , quod sit turpissimum quoniam nolint vincere patiantur ? Nullus umquam populo Romano aequae contemptus , atque Asiaticus hostis. Hinc a Lucullo Tigranes regum rex victus , cum perexiguas copias trecentis hominum millibus obiecisset ; hinc Caesaris superbum ferculum in triumpho pompa , Veni , Vidi , Vici , Pharnace devicto ; hinc olim Alexandri victoriae de Persis , peragrata Asia victricibus armis , et clarissimis ubique monumentis gloriae relictis. Atque tum erat vere Asia , urbibus opulentissimis , emporiis frequens , atque exterorum hominum conventibus , exulta eruditis ingeniis , omnibus artibus ad vitae elegantiam , atque ad humanitatem perpolita. Nunc quidem desertae solitudines , ac latebrae ferarum verius quam urbes quas incolunt , in bestiarum naturam deficientia hominum ingenia. Neque meliore sunt conditione Graecorum civitates , quae olim tantae , eo sunt redactae , ut vigeant modo prisca nomina urbium in veterum scriptis : vestigia , ubi fuerint , nulla exsistent. Id enim voluit , id contendit , magno totius humani generis incommodo assecuta immanis ac barbara gens ; ut , cum ipsa nationum omnium sit deterrima , det operam , ut se deterioribus imperet , omnia illis virtutis instrumenta adimendo , quae subministrant liberis hominibus dignae artes ; atque hoc quidem callido consilio , ne sit quod a victis , si victoribus virtute praestent , pertimescat. Inde accidit , quod necesse fuit , ut in nobilissima totius orbis terrae regione , unde disciplinae artesque omnes fluxerunt , quibus devincitur hominum societas , humanitas desideretur ; tetra barbarie , ne sit cum quibus collata tetrior appareat , omnem antiquitatis memoriam obruente. Longe vero absit a tantis regibus adeo foeda flagitii labes , ut sit

apud illos ulla potior, quam laudis et gloriae aemulatio. Illud dolendum, eos in verae et falsae laudis discrimine alucinari, quorum exemplo aequum esset alios ad virtutis aemulationem excitari. Nam, si secus habet, cur pertinaci animo in bellum incumbunt, ut semper quidem per se foedum, ita nunc maxime gentibus perniciosum? Cur honestae paci, gloriosae, salutari populis Christianis, praeferunt bellum, cuius gesti victoriam, eorum caede atque interitu constare necesse sit, quorum est Christi sanguine, et morte parta salus? Est hoc, sanctissime pontifex, patres amplissimi, certum vestrum munus, quorum est divina auctoritas, et summa inter homines maiestas, ut monendos, hortandos, castigandos aliquando liberius, cum alios omnes, tum eos in primis vobis censeatis, qui cum sublimi loco positi oculos in se omnium convertant, offendere, errare, labi, sine magna sua invidia, magna multorum pernicie non possunt. Belli quidem gerendi, qui propiores periculo sumus, non recusamus Vngari subire potiores partes: gesti qui futurus eventus sit, ad vos pertinet cogitare: ita enim bello Vngaria ardet, ut inde exorta flamma, nisi per regum concordiam primo quoque tempore extingatur, sit continenti incendio, insigni cum reipublicae clade, ad vos perventura. Iam Solimanus nobis haec Romae agentibus, suae ditionis atque imperii fecerit, quidquid intra Savum amnem et Superum mare in ditione regum Vngariae habetur, Moesos, Dardanos, Illyrios: ut magnopere verendum sit, ne dum Christiani reges cunctantur, letali sopiti somno, accisis nostris rebus opem ferre, victor terra marique hostis, in obiecta Italiae littora milite transportato, Romam ipsam, nunc Christiani orbis, olim omnium terrarum caput, infestis signis petat: ut

quod pater Selimus vovit, id quod totus horreo referens et corpore contremisco, filius voti reus soluat: nihil enim verius est, quam Selimum meditantem Romanum bellum, aram in augustiore urbis sede victoria potitum Mahemeti vovisse. Pecunia indigemus, in militum stipendium, qua nos melioribus vestris rebus afflictis nostris, a vobis iuvare postulamus: militem nobis, non solum Vngaria, et illi finitima Dacia, quae in Ludovici ditio est, sed Boemia, et illi adiacens Moravia, Silesia, atque regni parte alia, Styria, Carinthia fortissimum suppeditat: ut alendo milite in summa aerarii difficultate nobis huc perfugiendum sit, nostra magis tempora effecerunt, quam voluntas, quae longe abest, ut nobis suadeat, quae gravia vobis et molesta esse intelligimus: quod quidem eo libentius fatemur, quo magis aetas liberat a culpa regem, eos damnat, penes quos imperio impares, impotentes imperii, et regni procuratio simul, et regis pueri fuit. Quo quidem subsidio, ne nos dignos quidem ut statuat postulamur, nisi vos simul moveat communis causa, atque ita censeatis, non a vobis pecunia Vngaros iuvare, cum id agitis; sed arceri imminentem pestem, ab hac augustissima sede, atque a sanctissimis Christi delubris, universisque Italiae populis, quibus maxime sunt Turcarum formidolosa arma.

Ad hunc modum cum legati regii verba fecissent, digna quidem caussa per se visa, de qua sibi aliquando serio agendum statuerent; sed multo hoc nomine eadem visa miserabilior, quod, cum pertinere ad summam reipublicae videretur, Vngaros praesertim pecunia iuvare, deesse certam rationem occurrendi communibus incommodis intelligerent, a Leone pontifice exhausto sacro aerario, qui se ambitione immisceri

regum bellis, immani cupiditate ditandi augendique suos passus esset. Nam, Italia ita per multos annos belli sedes, et suos exercitus, et externos aluerat, ut ipsa magis ad recreandas vires exterorum auxilio, quam esse ipsa auxilio exteris eorum rebus afflictis posset. Quae eadem Galliae atque Hispaniae ratio erat, pertinaciter duobus regibus arma retinentibus, quorum odiis fovendis, in immensum in dies novis accessionibus crescentibus, non sufficerent maximorum regnorum vires. Neque vero in pontifice erat maior spes inter se dissidentes conciliandi: cum aetate atque opibus florentissimi, uterque pari ambitione elatus, velle excellere, neuter videretur ferre parem posse. Omnium autem maxime spem compositionis minuebat novum pontificis consilium, in mitiorem sententiam Caesarem traducendi, iam spe ab illo iniecta, id quod magnopere pertinere ad populorum quietem arbitrabatur aliquando finem tantorum malorum poscentium, Francisco Sfortia in paterno principatu collocato, Gallos ex Italia pellendi, parum secunda fama in Insubribus imperium exercentes. Vtervis autem eorum, sive Franciscus rex, sive Carolus aemulus opulento principatu potiretur, haud dubie credebatur, supra modum auctis viribus, et propterea aliis suspectus, quietum Italiae statum perturbaturus. Accedit ad haec omnia gliscens in dies magis in Germania de religione discidium, Luthero Germano homine per apertam defectionem a pontifice Romano, hinc populum in concionibus adhortando, hinc litteris principes sollicitando, aut nova placita, aut vetera illa quidem, sed per hominum incuriam obsolescentia in religionem invehente. Cuius discidii tollendi caussa Imperator Carolus ad Vormatiam Vangionum urbem conventu principum indicto,

et a belli consiliis, et ab aliis curis omnibus, quae vacuum animum ab omni sollicitudine poscebant, avocabatur: ut etiamsi eius esset egregia voluntas, propterea rogandus non videretur, ne de pontificis maiestate, a qua re longe esset aversus, neu de sua pietate religiosus princeps, ubi rogatus negaret id suis temporibus postulantis, detractum aliquid videri posset.

Quae cum multis verbis legatis demonstrata essent, ita sunt coacti vera fateri, ut eo gravius sibi deplorandum dicerent patriae fatum, quo ea vera esse minus ignorarent. Ita, re infecta, in Vngariam reversi, omnia in regia, et sua et aliorum opinione deteriora invenerunt. Augebat vero bonorum metum, quorum nemo non pessime de belli eventu ominabatur, hostis calliditas, qua usus, eo tempore moliendo bello, quo sua sponte regnum ruens, ut maxime abessent hostilia arma, ad occasum atque interitum vergebat. Vt vero hostis consilium maiori terrori esset, faciebat regionum licentia, qui ita se administrandis rebus gerebant, ut cum omnia palam foede et praepostere fierent, nihil eorum Solimanum fugeret, quod facillimum erat, propinqua loca Vngariae imperio tenenti. Itaque nondum expeditione in Vngariam suscepta, cum cognovisset, Ludovicum de amicorum sententia uxore accita, solennia nuptiarum celebraturum, magna spe adolescentem opprimendi, quem delinitum mollioribus curis inexpectatum bellum obrueret, subito clam copias colligi, diverso a superiorum regum instituto, neque bello indicto, neque regio edicto palam proposito, et significari praefectis regiis iusserat, quo tempore praesto ad accipienda imperia essent. In primis ad fallendum regem adolescentia parum cautum ac viribus et consilio destitutum, melioribus aut e regia ablegatis, aut

sua sponte profectis; iis mandaverat, qui in regni finibus praesidiis praecerant, ne quid hostile prius in Vngaros, aut in Vngaris subiectos populos molirentur, quam omnia comparata ad bellum haberent, minime quidem pro gloria gentis, quam in eo positam magnam habebant, si aperta vi, et per belli denunciationem, hostem dato temporis spatio ad colligendas vires aggredierentur. Praecerat Belgradi praesidio Valentinus Therechius, quem in patris demortui locum, adolescentem eximiae spei, regii temerario consilio per gratiam suffecerant, quippe qui neque usu confirmatus, neque prudentia, quae usu et magnis gerendis rebus comparatur, adversus ingruentem belli procellam tantam permissam suae fidei regni arcem, vix melioribus temporibus reipublicae tueri posse credebatur. Quod quamquam ita esset; ad famam adventantis hostis, Budam profectus Regem adit, et quam invalidum praesidium, quamque parum munitum oppidum ab iis rebus sit, quibus aut oppugnatum defendi, aut obsessum teneri queat, ordine exponit: Exiguum militum numerum, atque adeo quibus desit, unde stipendium solvatur: ut aegre, nisi ratio aliqua ineatur prospiciendi ad usum victus eorum necessariis rebus, videantur in officio futuri. Scribendum militem in supplementum, ut in urbis propugnatione, quo haud dubie hostis consilia spectent, sint qui integri fessis succedant, et, quando cetera deficient, virtutem numero animorumque robor, numerum virtute animorumque robore tueantur. Nullum esse tam munitum oppidum, quo non facile irrumpat pertinax hostium virtus, ubi qui irrumpentes propellant, non sint virtute superiores, numero impares. Defuturos regi arcis propugnatores, quibus rex desit, pro cuius caussa pugnent: neque habituros

vires quas hosti opponant, quibus alendis, ab iis, quorum salutem defendant, necessaria vitae alimenta non subministrentur. Neque vero solum iis vires, sed studium etiam et voluntatem deesse, qui contemptos se a suis, desertos proditosque hosti querantur, qui fretus immensis copiis, veterano milite, fortissimis ducibus, adversus eos arma gerat, qui tantum non exaudientes classicum canentem hostem, atque equorum advenientium fremitum, sopiti alto somno expergisci non queant. Ita vero Solimanum instructum omni bellico apparatu adventare, ut difficilem victoriam potentissimo etiam hosti redditurus sit, et quidem magnis opibus, classibus, exercitibus succincto. Esse suo ingenio acrem, ferocem, adolescentia flagrantem gloriae cupiditate, et rerum gerendarum studio in magnis imperii opibus, et rerum omnium fastigio, fortuna maiores spiritus gerentem. Accedere memoriam male gestae rei, et nuper in Parthis acceptae cladis, cuius oblittrandae studio insolens contumeliae animus, dies noctesque angeretur; ita arbitratus se posse suorum studia recuperare, quos a se Asiatico bello alienasset, si magni potiundi imperii oblatam occasionem Vngaris bello illato amplecteretur, neque domesticis opibus adversus praepotentem hostem tuendo regno paratis, et nulla spe alieni subsidii subnixis, ut quantumvis imbecillo atque infirmo hosti opportuni, nedum Solimano imperatori, everti nullo negotio, et regno deturbari possint. Quae omnia quamquam verissima essent, ita posse sarciri contendebat, si nihil sibi Rex laxamenti dari a belli cura adversus vigilantem hostem magnis viribus, magna sui fiducia et suorum tumen-tem intelligeret, cuius impetum se invehentis sustinere vix regi fortissimo, et claro rerum gestarum glo-

ria, usu, sapientia, facile esset; ut maximis etiam terrestribus, maritimisque copiis fretus, magnitudinem animi virium robore aequaret.

Haec, ut vere dicta, et pro eius temporis angustiis, ita minus tamen adolescentis regis aures fatigabant, malo Vngarorum fato, a salutaribus consiliis aversas. Nam, aliorum erat stolidi ferocia, quam partim adolescentia, partim inania nomina nobilitatis tuebantur; cum nulla esset certa animi fiducia, atque a virium conscientia, adversus tantam exorientem belli vim, suo momento et pondere firma virtus. Commemorabant enim, quae parentes secunda proelia cum Turca fecissent; quas essent victorias adepti; quibus erectis trophaeis de hostibus victis longe lateque imperii fines propagassent, quos partos titulos, quae gloriae insignia maiores optime de patria meriti posteris reliquissent: tamquam aequae facile esset, ut nobilitatem, ita quibus artibus nobilitas comparatur, transmittere ad posteritatem, et ii, quorum parentes aut vicissent, aut victi essent, ea essent fortunae praerogativa nati, ut semper Vngaros vincere, Turcas vinci necesse esset. Addit quidem Boemicarum rerum idem scriptor, Dubravius, haud multo Vngaris ut videtur, quam Tubero aequior, rem vix credendam, ubi de patrefamilias tenuissimi census homine ageretur, cui lis de agri finibus cum vicino esset contestata, usque eo Vngaros aut non novisse, aut contempsisse tantum impendens malum, ut cum Terechius centum nummos aureos Vngaricos postulasset, quos militibus, qui essent in praesidio, viritim distribueret, in magnis quidem publicae pecuniae angustiis, sed in pari tamen privatorum opulentia, qui et regis pariter, et regni fortunas suam praedam fecissent, ne assem quidem poscenti



atque obtestanti per iura divina atque humana omnia, licuerit referre. Ea res cum in vulgus manasset: undique coeptos maledictis conscindi, quorum erat prima in regia auctoritas, vix illos tutos ab invidia, ubi fama integritatis et summa vitae innocentia in magnis opibus positos commendaret: Digna vero poena domestico scelere in patriam atque in regem ingratos homines plecti: non enim illos sibi consulere privatis fortunis parcendo, sed hosti, cui essent futurae praedae, reservare; cum possent iis esse patriae subsidio, cui omnia deberent, magno praesertim cum fenore ad suos rediturae, a quibus ad tempus viderentur abiisse. „Neque vero posse diu privatorum fortunas incolumes retineri, ubi ab imminente ruina praestari incolumem republicam non liceret. Ita negligi a domesticis hostibus debitum patriae munus; cuius non solum gloriae fructum maximum, pietatis suae memores, sed otium, sed securitatem, sed eorum quae publicae salutis anteferrent, possessionem firmam etiam per certum ac stabile ius, essent relaturi. Ita esse reges in privatos effusos, ut privati, cum usus requireret, poscentibus opem, hanc quasi gratiae relationem deberent, non solum ut fortunas eorum caussa, sed et sanguinem et vitam adeo essent parati profundere?“ Non enim secus reges agere, ubi in suos liberales et munifici sint, ac si thesauros condant, quos dubiis reipublicae temporibus, tamquam e loculis, atque ex aeraio depromant: qui si gerant in eos gratum animum, quorum munificentia magnis opibus et divitiis diffluant, non modo non gravate ferant accepta reddere, sed ultro ipsi etiam offerant sua. Vnam vero patriam esse, quam frustra opem a suis implorare suis adversis temporibus, non flagitiosum modo, sed impium, im-

mane, tetrum etiam sit. Nam si norint, quae patriae debeant: tum vero intelligant paratum indigenti apud privatos tamquam sanctius aerarium, quod illi reserandum sit, ubicumque destituta omni alio subsidio, ad suos confugere cogatur. Non ferendum flagitium enimvero, qui liberalem in se regem sint experti, eos pati a rege rectore et patriae custode suam liberalitatem desiderari: quae nisi ipsa regi suppeditet, unde illi bene merendi facultatem de privatis subministrari, iis ab imminentibus malis hominum vitae, domi foris, belli pacis tempore defendendis? At tanto esse eorum gravius scelus, quanto cum pietatis illustriore documento iis facilius sit munificentiae sibi maiorem laudem regis praeclare de se meriti aemulatione comparare. Atque haec quidem passim queri viri boni audiebantur, et quorum erant recti de republica sensus.

Interea, cum certiores in dies nuncii crebrioresque afferrentur de Solimani adventu, Stephanus Bathorius Regni Palatinus cum ea, quae subito potuit colligi, militum manu, ad Danubium contendit, vulgo hominibus a bello refugientibus, quibus, male gesta re, haud dubium a victore hoste exitium immineret; ab infensa suis nobilitate nulla spes aut honoris aut commodi, bene gesta ostenderetur, quod virtutis praemium victoribus esset. Inde traductis amnem copiis, in Sirmiensem agrum cum turma equitum proficiscitur, iussis edicto ad Vaciam \*) sibi praesto esse, quicumque equo publico mererent: quorum summam, lustratis copiis, equitum peditumque sexaginta millium, atque eo amplius ferunt; satis firmas vires ad quemvis hostium impetum non excipiendum solum, sed reprimendum frangendumque etiam, ubi praestantibus in

\*) Bachiam? (P r a y jegyzete.)

incepto par virtuti constantia affuisset: mirum certe videri possit, Vngaros cum numerosas et praevalidas copias contra hostem ducerent, aut deseruisse patriam si distracti privatis simultatibus, aut neglexisse si torpentes otio, quod longe a gentis ingenio abhorret, militiam detrectarunt; nihil certe verius, quam mox dilapsos a signis, frustra duce ac militum praefectis contra tendentibus, abiisse. Nam, quod plures tradunt, defuisse Regi, quod militi in stipendium solueret: hoc, ut infimorum forte minuit culpam, sic principum auget: quae enim illis ulla satis iusta excusatio, non ad praesentium modo hominum, sed ad posterorum etiam invidiam, tanto admissio flagitio, deprecandam? quos quidem, si non esset a suis grave propulsandum bellum, in magno rerum omnium discrimine laborantibus, si non adversus Turcam gerendum immensis viribus in patriae excidium incumbentem, gloriae studium cogeret voluntarios foris petere militiae decus, tranquillis apud suos rebus aliena bella suscipere, pro aliorum commodis, nihil praeter nomen sibi et famam petentes, pugnare? Illudne erat sperandum, pro Vngarorum salute, illis quiescentibus, Gallum militem, Germanum, Hispanum, Italum nomina daturum? Mihi quidem haud verisimile videtur tantum dedecus nobilissimae nationi haesisse, ut cum versaretur ob oculos patriae excidium adductae ad extremum casum, domesticas vires, si adessent, inducerent animum dissimulare, et Vngariae regnum praedam fieri barbarorum hostium, mora infami et turpi cunctatione paterentur. Illud probabilius, aut non fuisse tantum copiarum numerum; aut defuisse, si adesset, qui desidem atque inertem diuturna desuetudine armorum, sua auctoritate tum ad suscipiendum animis virile decus, tum ad rem gerendam, unde para-

tur verum decus , excitaret ; adolescente Rege , et in magno principum discidio , aliis alio rem trahentibus ; quorum nonnulli praepostere in aliorum dedecore positam laudem , et in Regis ruina spem crescendi et augendi domesticam potentiam , constitutam haberent. Quaecumque infrequentiae causa fuerit , haud ita multi parentes regio edicto ad signa mansere. Atque inter varia hominum ingenia , alii aliis de causis credi volebant , se a bello avocari , quae vera esset dissimulantes. Nam , quorum erat in speciem recta de republica sententia , palam querebantur , dissolutam rei militaris disciplinam , voluptatum et libidinum licentia depravata hominum studia , nullo rectore subnixam rempublicam , sine consilio Regem , sine Rege consilium , meliores aut offensos praesentibus rebus , sua sponte profectos e regia , aut a regiis ministris consulto ablegatos , quorum sapientia spes esset pueri infirmam aetatem posse regi : quae mala omnia e propinquo impendentia , tristem rerum exitum portendebant. Namque et ii ipsi , quorum iustam quaerelam temporis ratio efficiebat , turpi armorum cessatione , ad tam perditum rei publicae statum , malorum ingentem accessionem addebant : quae non disertos accusandis aliis , sed acres requireret gerendis rebus , et qui patriae amantes in campo atque in acie pugnando , simul armis simul consilio hosti armato obviam eundo , postremum pietatis munus , ut viris fortibus dignum esset , patriae exsoluerent ; et quidem etiamsi cum occidente republica esset cadendum , quae beata mors et omni vita magis expetenda iis videretur , qui poscenti naturae debitam aliquando restitutori , virtuti et pietati consecratam ponere , cum certa spe immortalitatis mallet. Alii quidem palam improbi , et in foeda vitia , nimia licentia , et Regis indulgentia effusi , quibus prout

sceleris et flagitii plena, esset aversa mens a rectis consiliis: ut ne una quidem illis gravis caussa armorum videretur, cura tuendi praesentia commoda, prae quibus negligerent publicam salutem, haud ignari, minime illa diuturna futura, ubi quid detrimenti respública acciperet, in cuius interitu, atque salute posita privatorum salus, atque interitus esset. Sed quorum esset tanta amentia, non ita multi, quos apud Regem iuvenem pollentes gratia, et divitiarum magnitudine, neque cura ulla reipublicae tangebatur, neque privatae suae. Vt credam non fuisse multos, quos in tanto reipublicae periculo, infamis desidia a bello deterreret, facit Vngarorum virtus, cum alia omnia, quae expectant alii, tum vitam inprimis contemnentium, cuius est praemium gloria et laus. Ergo exigua et contemnenda militum manus, ubi etiam esset imbecillo hosti occurrendum, adversus hostem Solimanum in speciem missa; ne plane, id quod res erat, desertus a suis Rex, quos ipse desereret, videretur; magis ignominiae metu, quam pristino virtutis studio, ab invitis et tergiversantibus debitum patriae officium exprimente. Una maxime angebat cura, Belgradum invehendi cum alium apparatus muniendarum urbium, tum pulverem tormentarium, qua una re inprimis milites indigebant; quod enim, nullo etiam urgente belli metu ad subitos casus paratum haberi oportebat, pessimo consilio regii in difficillimum reipublicae tempus distulerant, praesentibus modo moveri assueti. Namque ut nulla etiam spes esset urbem retinendi; uno hoc nomine tamen non erat negligendum, ut esset, quo victi non inulti in urbis propugnatione commendatae suae fidei periisse, et victorum in pugnando laudem assecuti magnitudine animi et constantia, contemnenda morte viderentur.

Inventi tamen quidam ex Illyrio, quibus regii persuaserunt ingentis praemii spe, ut onustam navem tormentario pulvere, secundo amne Belgradum inveherent, iussi Turcicam vestem barbarico cultu induere, quo facilius fallerent in hostium stationes delati; res per se salutaris futura, ni incepto Moesi levis fides, cui erat hoc exploratum consilium, obstitisset, certa exitii obsessis caussa fuit: cognito enim transfugae indicio regionum consilio, undique hostes dispositis custodibus, ne qua provecti noctis beneficio fallerent, navim secundo flumine delatam, excipiunt, atque ad unum omnibus, qui aderant interfectis, pulvere potiuntur. Inde assecuti facili coniectura, eius rei inopia obsessos laborare, sine qua, irrita propugnatorum virtus atque audacia esset, arctius obsidione premere urbem pergunt. Neque vero rebantur, satis milites paratos ad vim hosti inferendam, longe impares numero, et ita necessariis rebus indigentes, ut quibus se tuerentur, essent vires defuturac. Quem vero usum crederent illis futurum, ingentem etiam tormentorum numerum, quibus telorum, quae in hostem emitterentur, facultas omnis et ratio deesset? Eorum opinionem adiuvabat hostium aperta confessio, de victoria melioribus concedentium, cuius erat certum indicium, cum ageretur de oppido munitissimo defendendo, et in quo uno Vngarici regni claustra se refracturum potentissimus hostis minaretur, nihil obiectum, quod eius impetum retardaret: ut quae caussa tantae secordiae esset nulla ratio posset iniri. Nam qui petitus, apertum iugulum praebet adversus ferientis ictum, is aut metu se abiecissee arma, aut quibus se tegeter sibi defuisse ostendit, quod praeiudicii loco adversario est contra diffidentem suis viribus, inimici vires horrentem. Quis vero non deploratam eorum

spem habeat, qui imminente ab hoste acerrimo, gravi et pernicioso bello, neque ab armis parati sint, et ita indigeant consilio, ut quos liceat de summa reipublicae consulere peritos rerum homines et spectatae prudentiae, contemptos atque abiectos a se procul pellant? Profligati quidem illi ingenii, qui malunt suo consilio perire, quam acceptam salutem meliori referre. Qua peste cum laborare Ludovici regiam appareret, et augebantur hostium animi, et minuebantur nostrorum, quibus non vires solum, sed quod malorum omnium gravissimum, consilium, deerat, quod saepe angustis et dubiis rebus, cum vires deficiunt, subsidio est: iam quod omnibus erat praeventendum, ut ad primam belli famam urbem nondum ab hoste obsessam bellico apparatu instructam munirent, id actum eo tempore, quo submissum auxilium cum suorum pernicie interciperetur, Solimano vires interceptum auget. Nemo quidem dubitabat, quin facile urbs adversus vim Solimani omnem aliquanto acrius Vngari aduitentes tuerentur: quorum virtute, patrum memoria, Ioanne Huniade duce, Mahemetes huius ipsius Solimani proavus, summa gloria Constantinopoli potitus, fuerat a moenibus reiectus. Quae Vngarorum virtus eo erat maioribus laudibus efferenda, quo acrioribus animis post longam oppugnationem iam in urbem Turcas ingredienti reiecerunt, Mahemete vulnere affecto, cum non amplius XX millibus militum Huniades obsessae urbi auxilio adduxisset. Nam et grandes natu homines memoria repetebant, quod a patribus accepissent, Amurathem Mahemetis patrem, cuius nomen insigne reddidit memorabilis ad Varnam nostris illata clades, in eiusdem urbis oppugnatione X Turcarum millibus amissis discedere infecta re coactum. Neque erat futurum, ut So-

limanus laetiores sortitus expeditionis eventum, si perfidia abfuisset, inde reduceret exercitum victorem, Vngaris propugnatoribus ad ultimum usque rerum discrimen omnia perpessis, quae raro superare potest virtus. Dicitur Solimanus tanta regionum aut ignavia, aut vecordia animadversa, de soluenda in praesentia obsidione cogitasse, integro bello et nusquam viribus affectis Regem aggressurus et ab omnibus aliis rebus imparatum, et consilio maxime, spe haud dubia regni potiundi, intestino malo convulsi et labefactati. Credebant vero huius consilii auctores, neque male illi quidem, expugnatum Belgradum ingressum illi modo in regnum; secundum cum regis commissum proelium, de quo non erat dubitandum, regni possessionem victori patefacturum: quam illi spem, suorum non solum numerus sed virtus etiam faciebat, cum quidem cum eo hoste essent pugnaturi, qui prius a suis victus, quam hosti vincendus, vix crederetur tanto inferior viribus signa collaturus. Dandam operam modo, ne occasione deesset: quominus arces, oppida, regiae urbes, victori impigre gerenti rem, certatim portas aperirent, nihil impedimento futurum. Opportunitates rerum gerendarum saepe ab hoste ita existere, ut vix vigilantibus imperatori veniret in mentem maiores optare: quae in praesentia quidem ita ostentarentur, ut neminem fallerent palam in omnium oculis positae. Non agnoscere vero ultro occurrentem, et se dantem, eius hominis videri, qui captus oculis esset; non amplecti visam, plane inertis et secordis. Haec cum apud hostem in consilio agerentur, multis, qui mos gentis est, in assentationem versis, et Regis sententiam laudantibus: alii contra disserebant, rem maturius considerari, ac nihil temere agi debere existimantes: Ludovicum quidem destitu-



tum multis, non instructum armis, non pecunia, non comneatu, sine quibus geri bellum recte haud posset: negare neminem; sed non aequae his destitutum regnum. Quas enim vires Vngari dissimularent, cum de Rege modo ageretur, quem aut odissent, aut contemnerent Ladislai prolem: eas ubi de regno dimicandum esset, quod incolume ac saluum vellent, universos certatim explicaturos. Nam, quod viderentur eorum dextrae torpere, potentissimo hoste cunctis viribus tantam urbem oppugnante; sive illos confisos loci natura dormitare, quem inexpugnabilem crederent; sive quod minus sentirent in affecta parte, quod essent in toto laeso corpore sensuri: simulatque Solimanum audirent adventare in regni perniciem omnibus viribus incumbentem, deficere populos, ultro aperire portas, Turcam hostem impune, quo velit circumferre arma, caedem, vastitatem, cetera mala atque incommoda invadere, quae belli vis afferret: feroces hostes, et qui aeternum haberent susceptum in Turcam odium, malorum interiore sensu experrecta virtute, tamquam ad pellendam communem pestem ad arma se certatim excitaturos. Atque Vngaris quidem, ubi victi proelio essent, patere tutum ad suos receptum: Turcae, si quid adversi accideret, a quo metu illos invicta ad eum diem Othomanorum virtus, fortunaque vindicasset, aut ferro cadendum in acie, aut ultima omnia perpetienda. In consiliis dandis, quae de rebus dubiis incertisque essent, quid laetus eventus afferret boni, quid tristis afferret mali, quasi aequa libra, suis quidque momentis expendendo aestimare homines oportere; tum si maior ostentaretur quaestus, et compendii spes, quam mali metus, eum qui suo consilio gerenti rem iniiceret moram, magis dignum habendum, qui de privata re

alios consuleret, quam qui de republica consuleretur. Vt vero quis animo fingeret, quod facillimum esset, victoriam penes eum esse, qui ut caussa adversus foederis violatores, ita viribus superior in acie esset; eum qui sibi hoc sponderet, Solimanum augere sua sententia, multorum regnorum potentem, unius regni additamento: quid si male re gesta, victoria penes hostes esset (id quod minime luberet ominari), nonne idem quod aureo hamo piscem captanti, ut vulgo proverbio ferrent, usu venturum. At quanto eorum tutius consilium, qui perstandum in incepto censerent, et integras vires in duarum urbium oppugnationem intenderent, quae tamquam claustra Vngariae in potestatem redactae, aditum ad regni possessionem aperirent? duas enim esse in Vngaria arces, Belgradum et Sabatiam, de quibus verissime dici posset, qui his potitus esset, quin ei liceret Vngariae universae iniicere frena, minime quemquam dubitare oportere. At illud dici, ob situm et naturam loci, aut fore difficillimam oppugnationem, ubi vi agi placeret, aut longam obsidionis moram, quod longe abesset a summi imperatoris virtute et felicitate, ubi eo consilio uti mallet, tolerandam. Quorum sollicitudinem et metum tolleret Solimani imperatoris incredibilis sapientia, et magnitudo animi. Nihil ita arduum haberi in natura rerum, quo non conscenderet suarum virium bene conscius animus: nihil viro forti inexpugnabile, praeter ipsum se, et quae una modo illi in terris imperaret virtus. Fuisse olim qui flumina siccarint, solo aequarint montes, maria pontibus straverint: cur desperandum de unius urbis expugnatione, Solimano imperatori maximo, regum regi, tantis opibus nitenti, adducenti copias innumerabiles, uni in terris belli pacis arbitro, gen-

tium et populorum moderatori? Quantum vero decoris esset Turcarum nomini, quantum Solimani allatura tanta capta urbs, tum opportuna, vi praereptum Vngaris validissimum propugnaculum, quod duo maximi imperatores, Amurathes et Mahemetes, frustra ante eum tentassent, licere per contrarium dedecus animadvertere, quod esset soluenti obsidionem subeundum. Quid vero esse aliud suis adimere vires, addere hostibus animos, desperare de victoria, se victos fateri, si hoc non esset? Iam famam per omnes gentes pervagatam, acceptam a Turca in Parthis cladem: cuius sarcienidae studio, quamquam non hostium virtute victis illatae, sed situ locorum atque anni tempore, sit expeditio, haud dubia spe victoriae, in Vngariam suscepta, cuius quasi praerogativum omen, ab expugnata urbe totius Vngariae munitissima, essent praecepturi. Praeclaram ostentatam occasionem magnae delendae infamiae, quae cum non ita saepe sese daret, non videri foeda mutatione consilii corrumpendam, milite praesertim egregie animato, cuius ardorem pati mora restingui, haud satis callidum consilium videretur. Ad bella recte atque ex sententia conficienda, permagni interesse, per insigne editum facinus, famam hominum initio gerenti rem conciliari: perraro enim usu venire, ut non hominum famam multitudinis studia sequerentur, quae fere semper eo propenderent, quo traheret fortunae adiuncta bellica virtus, et magnitudo animi. Nam, et de eo minime dubitari oportere, quin percussus hostis tanta in belli principio accepta plaga, esset grave sibi ipse belli praeiudicium factururus, amissa regni arce munitissima, et quidem non hostis virtute prius, quam sua inertia, et suorum, unde victori liber pateret in regnum accessus.

Haec in hanc sententiam dicta, facile ut Solimanus in incepto perstaret, perfecterunt. Auxit fiduciam sua sponte bene sperantis, magnum eodem tempore in urbe ortum inter Moesos discidium, qui urbem incolebant, et milites, qui in praesidio erant, cum ob varios religionis ritus, tum ob vitae cultum diversum, quae res, a levi principio sensim animis incensis in mutua odia, in immensum auxerat<sup>s</sup> seditionis vires. Moesi, ut Daci hoc tempore, quos Valachos vocant, et his finitimae gentes, in pagis praesertim, Graecorum ritibus in sacrorum cultu utebantur. Vngari Romana sacra obibant, atque ex maximi pontificis decretis. Neque vero illi per consuetudinis atque amicitiae simulationem, ut plerumque fit, inimicitias exercebant; sed, ut inter ea sacra exsecrantes, quae minus probabant, et quidem ita impotentibus animis, ut mutuuum congressum, colloquiumque vitarent, non a conviciis, non a maledictis, et verbis contumeliosis abstinentes: ut si Moesis data optio esset, parere Turcae aperto hosti, quam Regi Vngaro mallent, cuius in se mite ac iustum imperium, iam inde a maioribus essent experti. Haec cum Solimanus haud ignoraret, non desperabat, oppidanos, quibus praesertim desertis a suis spes omnis longinqui auxilii praecisa esset; maturius omnium spe deditionem facturos. Nam quo minus diuturnam obsidionem ferrent, magnus agrestium concursus efficiebat, qui desertis agris cum integris familiis, et pecore, ac villae instrumento, pavore acti, se in urbem receperant: ut cum, propter belli expectationem amoniam ingravescere coepisset; tanta eodem coacervata urbanorum atque agrestium multitudo haud diu videretur ingruentem famem posse ferre. Hac spe confirmato animo Solimanus, Achomatem, unum ex regiis

ducibus, qui copiis praeerant, conscripto milite ex Europae delectibus, Sabatiam mittit, ubi tentata oppugnatione, haud facile videatur per vim posse expugnari, urbem obsidere iussum. Erant in arcis praesidio delecti milites ad sexaginta, vix satis idonea manus oppido tuendo, ubi etiam per otii tempus minus necessarium praesidium fides provincialium faceret, si militum numerus modo spectaretur. Hi honestam mortem turpi vitae praeoptantes, etiamsi clam Savo amne transmissio evadere incolumibus liceret, ne quando dedecus militare admisisset et locum deseruisse suae fidei traditum dicerentur, succedentes muris audaci incepto Turcas undique emissis tormentis summove-  
runt, multis ex illis, qui pertinacius subsisterent, interfectis. Inde cum sibi vitae praemium, cuius retinendae spem omnem abiecerant, immortale decus proposuissent, rem patrare sua virtute dignam, et maiorum gloria constituunt, ut sibi ipsi ducentes funus, hostium caede et sanguine postremo mortis munere parentarent. Interea Turcae, cum, maioribus tormentis verberatis moenibus, partem munimentorum deiecissent, eaque prolapsa ruina, ascensum facilem oppugnantibus praerberet, muros scandere certatim succedentes nituntur. Quorum audacia animadversa, nostri studio gloriae incitati accurrunt, et conferti, per ruinas scandentes Turcas proturbant, ac cum deiectis proelium integrant: mox, quamquam pauci numero undique multitudine hostium circumvenirentur, globo facto, extremum virtutis opus adituri, de integro pugnam capesunt. Ita cum saepe hostibus infestum proelium fecissent, multis vulneribus adverso pectore exceptis, in vestigio omnes occubuere. Septingenti ex hostium numero interfecti dicuntur, tanto ceteris iniecto terrore,

ut perexigua manus, si modo praesto fuissent, qui adversam ripam praesidio tuerentur, satis idonea fuerit, ad transitum amnis illis impediendum. Sabatiam arcem dicitur Mahemetes exstruendam curasse, qui princeps Othomanici nominis, sedem imperii Byzantii statuit, eo consilio, ut quo sui se tuto reciperent, si quando in hostium agros excursiones facerent, haberent; simul ut obiecta Belgrado munitissima arx, si quando quid in suos Vngari per vim molirentur, eorum vim conatusque retardaret. Cuius consilio cognito Matthias Rex, per septem fere annos, duobus gravissimis bellis, Boemico et Sarmatico perfunctus, anno superioris saeculi septuagesimo quinto, postquam exstructa a Mahemete fuerat, septimo, arcem in potestatem redegit, gravi iugo Vngarorum cervicibus deiecto, atque ingenti sua gloria, hosti imposito. Inde reffectis, quae per oppugnationis tempus tormentis disiecta ac diruta essent, in insulae modum, Savo perpetua fossa in iustum ambitum circumducto, continenti opere munivit. Ab eo tempore quadragesimum et septimum annum Vngari potiti, amiserunt. Solimanus, Sabatia recepta, cum ab exploratoribus esset certior factus, Sirmiensem agrum, universamque circa regionem Vngarorum praesidiis vacuum, Savum ponte iungere, atque exercitum amnem traducere, quamquam totus in Belgradi oppugnationem animo intentus, constituit. Sed ne eandem milites alacritatem faciundo opere praestarent, vana barbaris obiecta religio effecit, ponte interrupto fluminis rapiditate, quae operis firmitatem, quamquam validissimis catenis revincti, superabat. Ita vero quisque pro suo ingenio, rem in diversas sententias trahebant, ut vulgo tamen omnium idem fere iudicium esset, dubiis in rebus semper ad deteriora incli-

nantium, parum laetis auspiciis et averso numine rem geri, cuius quidem Vngaris propitii opem sentire licuisset, omni alio desperato auxilio, quo occurrerent hostibus traicientibus flumen. Et sunt Turcae, ut nulla aequae alia gens, cum aliis anilibus superstitionibus, tum maxime vatium atque hariolorum praedictionibus addicti; quibus usque adeo fidem habent, ut saepe de lapide emptum mancipium, temere dicto magnas res gerentes interpellare, atque id, quod alibi monuimus, ab incepto remorari revocareque adeo queat. Atque haec quidem pestis eo vehementius in illos grassatur, quo nullis liberalioribus artibus exculti, minus habent, quo spes sit ab errore animum superstitione depravatum posse adduci. Nam illa passim ferebant, religiosum Turcarum genti Savum transire, quod non semel docuisset eventus, quae temere et casu accidunt, in fati vim vulgo hominibus trahentibus. Saepe quidem cum idem tentassent, tum ab Huniade patre, tum a Matthia Rege filio, avorum memoria proelio victos, ac retro, re infecta, redire coactos. Magnum vero hoc incommodum cum aliis gerendis administrandisque rebus, tum in re militari procuranda maxime: ut enim religio, et sancta quaedam de rebus divinis suscepta opinio, militares animos omnis metus expertes acuit ad virtutis decus, et ad res magnas gerendas; ita, ubi in vanam superstitionem vertit, id quod saepe accidit, levissima quaque re obiecta, cuius causa minus cognita perturbet imbecillos animos; sua sponte etiam strenuos, atque acres meticulosos reddit: ut inter gerendam rem superstitione capti, non secus atque infenso numine rem gerant, suae et ducis virtuti diffusi obiciant arma, ignari, divinum numen numquam non viris fortibus favere, seculis infestum, et torpenti-

bus metu. Huc aliud accedit incommodum omni ratione cavendum. Saepe enim potest accidere, ut superstitionem, si qua vulgo mentes hominum pervasit, ignavi suae inertiae conscii, quasi velum concepto mente timori obducant, quorum exemplo meliores a virtute atque industria deterreantur. Turcae quidem hoc habent persuasum, maiorum virtutem, qui fundamenta iecerunt tanti inter homines imperii, religionem semper comitatam esse: ut minime mirari oportet, cum arma per se invicta, divinam vim corroborare putent, eas res illos gessisse, quae infra hominum consilia et vires, pendere ex arcana vi fatorum, et aeterna dei immortalis providentia videantur. Haec quae temere passim vulgo ferebantur, non aequae movebant imperatoris animum, cui unum fixum animo haesisset, ea optimis auspiciis geri quae fore secunda, ratio magis, quae regum consilia et sapientium hominum moderatur, quam vana superstitio spondet. Itaque cum omnino traducere copias constituisset, dispositis lintribus ab utraque fluminis ripa, XII circiter pedum intervallo inter se distantibus, cum assaribus e robore struendos, et utrimque catenis revinciendos curasset, pontem fieri extemplo iubet. Ita, et milites, et impedimenta, et currus, quibus maiora tormenta subvehebantur, nullo negotio annem traducti. Inde agmine quadrato profectus Samonium, quod oppidum in ripa Danubii positum, Belgradum obiectum e regione habet, exercitum adduxit, atque loco castris idoneo consedit. Quae dum ita ab illo administrantur, Balius, quem Solimanus ad vastandos hostium agros in Sirmium praemiserat, cum Stephano Bathoreo congressus, suspicatus virum auctoritate principem quas aequum erat copias adducere, non quas regni tempora postula-



bant, in magno rerum discrimine praesertim : magis socordia atque inani metu , quam hostium virtute victus , terga vertit , et in castra ad Solimanum effusa fuga contendit. Inde brevi errore detecto, cum per exploratores cognovisset, Stephanum diffusum suorum paucitate , retro conversis signis , pedem referre : non esse omittendam occasionem arbitratus sua sponte terrium hostem ex omni circa regione pellendi , relicta quaquaversum oppida circumiectosque pagos , militem foeda populatione , longe lateque vastare , atque incendere iubet, nullo aetatis, sexus, ordinis discrimine caesis omnibus , aut in servitum abductis , quos in agris, desertos a suis, qui permulti passim, aut aetate aut sexu imbelles occurrebant, invenissent. Incensos per se odio animos , ut nulla praeterea alia gravior caussa accederet, inflammabat vehementius contempta, ut credebant, Solimani maiestas : quam Iasia femina, ut iam commemoravimus , supra sexus imbecillitatem audacia elata, interfectis per fraudem legatis, in hoste barbaro etiam detestando exemplo, erat ludificata. Ita vacua cultoribus oppida, antea direptis, quae incolae, quoniam fugam infestam faciebant, praedae hosti reliquissent, subiectis ignibus incensa, excissaque evertit, barbarae immanitatis, et violatae a nostris fidei, futura illustria ad posteritatem monumenta. Neque his satis Balias exhausto odio, cetera quae apta iis instaurandis essent, quae incendio superfuissent, asseres, tigna, materia reliqua, ne quando usui hostibus essent, aut igni corrumpenda, aut in vicinos annes, qua rapidius ferrentur, devehenda primo quoque tempore curavit : ut avarus hostis, et avidus praedae, ob acceptam contumeliam, cuius plane erat impotens, uni iracundiae modo, et dolori indulsisse videretur. Quod

ipsum tamen actum optima ratione et consilio postea apparuit: ne tot oppidis hosti relictis, unde excursiones fieri impune in suos fines possent, necesse haberent ad ulteriorem Savi ripam praesidia disponere, non sumptu, quam molestia maiore. Castris ad Samonium positis, etsi oppidani haud desperabant, se posse diuturnam obsidionem sustinere, sublatis animis, quod equitum peditumque non contemnendum praesidium intra urbem recepissent: Solimanus evocatos ad colloquium, hortari ad deditionem, atque ut victoris clementiam experiri, quam vim mallent, amissa omni spe auxilii, iubet. Hostem potentissimum, qui adductis secum immensis copiis, maximas ad bellum vires, maiores iis spiritus gereret, quibus viribus circumsessi se sustinere posse confiderent, qui modico praesidio, et infirmiori etiam hosti contemnendo, urbem tuerentur? Vanum esse consilium tum de studio gloriae agi, cum de salute esset desperandum, cuius iis spes esset retinenda, quibus vinci a Solimano honestum, vincere multo illo etiam viribus inferiorem monstri simile esset. Quando tantus imperator ultro de suo iure decederet, et mitem victoriam ferocibus consiliis praeferret, ne paterentur vecordi contumacia clementiae suae laude, quod unum captaret rerum gerendarum decus, Solimanum frustrari: tamquam enim ab invidentibus sibi eam gloriam, quae sit cum eorum salute coniuncta, graviores ab his poenas in amentia persistentibus expetiturum. Eos quidem Solimanum saluos velle: sed ita, ut salutem, quae ab iis nulla sit, ab eo agnoscant, cuius illa beneficio fruantur. Esse vero iniuriae genus non ferendum, huius gloriae avidum ita aspernari salutis auctorem, ut perire spe salutis deplorata, quam servari eius, cui accepta referatur, beneficio malle:

dignum certe, cuius adeo iniustum odium in sui conservatorem sit, ut quanto ipse contumacior aspernando beneficio, tanto acerbiores hostem, vindicanda tam immani iniuria experiatur. Vtrum horum velint iis optionem dari; sive patriis sedibus manere, et suis legibus, suis institutis utentes liberi agere; sive alio migrare cum uxoribus et liberis malint: perfecturum Solimanum, ut cum nemine, cuius sint domi florentes fortunae, et bene constitutae, res suas commutatas velint. Dent operam modo ne parum opportuna cunctatione, proclivem ad misericordiam animum imperatoris, a suo instituto avertant: in uno enim positam salutem dedentium se, si non expressa vi, sed voluntaria deditio, omni reiecta mora, imperatoris optata et vota praecurrat.

His adhortationibus victis oppidanorum animis, cum neque spes ulla salutis a Rege ostentaretur, quae esset ab unius hostis clementia exspectanda, atque ita adeo si eam illius fidei permitterent, cuius esset dandi atque adimendi potestas, nullam deditio moram fecerunt. Non exstitit a barbaro data fides dedentibus se, et quidem, quamquam illa iurisiurandi religione obstricta. Ex deditis puberes omnes interfecti, alii sub corona venierunt. Ita Solimanus Iasiae ludificationem ultus: quae parum nobili matronae honesta, suis minime meritis, qui longe a culpa abfuerant, exitio fuit, expiare sua caede alienum scelus, per summam iniuriam coactis. Erat in eo equitum numero, quos se recepisse Samonium ante hostium adventum indicavimus, dignus vir, cuius ut virtus, ita et celebre nomen ad posteritatem exstaret. Is cum oppidanorum animos labare, et non obscure inire consilia de deditioe animadverteret, barbari hostis fidem exse-

cratus, cui sciret nullam unquam religionem sanctam fuisse, mortis decus, quando vitae spem abiecisset, petere ab animi magnitudine constituit. Ita porta erumpens, qua erant densiores hostium ordines, impetum fecit, atque in se unum omnes conversos, quoad vires aequarunt animum, fortissime sustinuit. Mox vulneratis multis, nonnullis interfectis, cum animi vim deficere vires coepissent, inter confertos pugnans fortissime concidit per honestam mortem, carnificis manu, et tortoris defunctus. Interea Solimanus, longe lateque amoenissimum Sirmii tractum milite depopulato, indies premere arctius obsessos instituit. Erat urbs Belgradum cum loci natura, qua Savus annis muros alluit, tum a ceteris partibus opere manuque egregie munita. Corvinus Rex, ne quando vicinus Turca ea potitus, terribilis Vngaris instaret; ingenti pretio, undique accitis peritis hominibus muniendarum urbium, cura acerrima reficiendam instaurandamque curaverat. Itaque cum aggressis oppugnationem, haud quaquam pro barbari spe succederet eventus: iam timor subibat animos, ne, insigni cum nominis iactura soluta obsidione re infecta abscedere cogerentur; quod tantum acceptum dedecus, permagnum afferre Vngaris momentum credebatur ad spem belli ex sententia conficiendi. Haec cura cum anxium Solimani animum haberet, frementis quidquam in terris inveniri, quod maius sua spe esset, desperatione obtinendae rei, ut fit, cupiditatem potiundae in immensum augente, ita multa animo voluebat, ut nihil, quo magis in eo profici spes esset, assequeretur: ratio enim pertinaciter in suscepto consilio haerentem ab incepto revocabat, quod humanis viribus et consilio assequi desperaret, temere aggressum: excitabat animum, et maior alius

metus, cuiusvis rei potius, quam sui potentem, ne ad acceptam in Parthis cladem, nova contumelia, ex male gesta re adversus Vngaros, adderetur: quod si accideret, intelligebat, se in discrimen amittendi imperii, de quo semel laborasset, haud dubie venturum. Quae quamquam ita se haberent, et iam necessitate victus de soluenda obsidione cogitaret: eum transfugae duo Moesi adeunt, insito a natura genti in Vngaros odio iis de caussis, quas supra commemoravimus, dissidentes; ad levitatem ingenii, spes praemii accesserat, quod sibi ingens, per proditionis scelus ab hoste avido oppidi potiundi spondebant, cuius cupiditatem facultas referendae gratiae aequabat: ut duplex voluptas alliceret ad scelus, et ulciscendi quos oderant, et praemii adipiscendi, quae una res plurimum semper in barbarorum ingeniis potuit. Igitur de more, custodibus tradito telo, ac facta adeundi imperatorem potestate, demonstrant, qua urbem Savus amnis allueret, infirmos muros esse, omissa eorum reficiendorum ab Vngaris cura, quod satis per se tutam eam partem, fluminis altitudine esse censerent. Esse obiectam insulam, a Savi et Danubii confluente, in quam ubi tormenta curarent asportanda, uno atque altero ictu per proruti muri ruinas ingressum in urbem patefacturos. Cum rei minime per se contemnendae a captivis, quos permultos Solimanus regionis peritos apud se habebat, congruentia afferrentur: maiora tormenta in parvam insulam advehi, atque inde verberari moenia, tum viribus omnibus urbem oppugnari, nullo intermisso temporis spatio iubet. Quod quidem cum impigre Turcae administrarent, facile deiecta murorum pars, in ruinis, hostibus superstantibus urbem patefecit. Erant vero nostris multo barbari superiores. Nam,

et in perferendo oppugnationis labore numero militum praestabant, ut qui integri fessis succederent, ex magnis copiis non deessent; et, praeter commeatum vim, quam ipsi convexerunt, facultas rerum omnium e fertilissima Vngariae regione suppetebat, quarum inopia nostri conflictabantur; qui etiamsi virtute et fiducia animorum praestarent, in eo quidem erant laudandi, quod eius loci tuendi caussa, quem suae fidei haberent commendatum, auderent fortiter mori; defendi eo nomine, quod nullo cum usu et compendio, tanta virtus in eius urbis propugnatione, cuius vindicandae ab imminente exitio omnis esset praecisa spes, interitura. Nam Moesi iam antea coniectura cognito Solimani consilio, diffusi se posse urbem adversus tantam vim tueri, privatorum aedibus ignibus subiectis, ne qua hosti praedae facultas esset, atque assumptis, quae cariora quisque haberet, se in arcem receperant, vacua urbe hostibus relicta, quam multo ante, regionum sive ignavia, sive temeritas prodidisset. Ad cetera vero mala, quibus obsessi premebantur, cum nulla superesset facultas defendendae urbis; iam septimum annum falsa magis opinione hominum, quam ullo firmo subsidio stabat. Verisimile enim credebatur urbem unam, in qua totius regni propugnaculum adversus barbaras gentes esset obiectum, omni bellico apparatu instructam, in magna praesertim belli expectatione, quod a tam infesto hoste, et maximis ad iniuriam viribus freto imminebat. Namque ab eo tempore, quo Scepusius Cernovicium oppugnaturus, tormenta a Belgradi arce avexerat, quibus, ut diximus, hostis erat potitus, nemini venerat in mentem (adeo omnia temere et inconsulte administrabantur) hoc genere praesidii urbem destitutam munire, cuius salutem negli-

gere perinde esset, atque Vngariam universam hosti prodere. Magnae ea res invidiae iis, qui in regia dominabantur, maiori populis incommodo, quibus ultimum hostis excidium minabatur, brevi Ludovico excidio fuit. Nudata ab ea parte urbs, cum foedam sui faciem, et tristem ac vastam solitudinem, crebris tormentorum ictibus solo stratis aedificiis, et sacris ac profanis locis, ruinis incendiisque deformata ostentaret: barbari duces, qua vergit ad orientem solem, patienti porta invecti, suos ad oppugnandam arcem successu laetos alacresque adducunt; nonnullis in urbis ingressu amissis, quos ex arce plumbeis globulis e parvis tormentis emissis, milites qui in praesidio erant, crebris, et raro, ut in confertos, atque e propinquo loco, incertis ictibus stravissent. Inde Turcae muralibus tribus tormentis admotis, tribus simul e partibus adoriri arcem constituunt, eo consilio, ut distractis in tot partes viribus, quae perexiguae supererant, defessi milites, quibus nocturnis aequae, et diurnis laboribus defunctis, non essent qui integri succederent, malo victi desererent locum, atque inde amissa spe retinendae arcis, voluntariam facerent deditionem. Vix autem fieri poterat, cum crebro esset occurrendum, qua vehementius milites laborarent, quin eam partem, quam relinquerent, propugnatoribus nudarent. Quibus angustiis cum obsessi premerentur, aliud accessit incommodum, ut iis plane de salute esset desperandum. Erat non longe ab arce, e sacra aede eminens turris, unde populus ad sacra aeris pulsu vocabatur. Eam turrim fere sua altitudine arcis fastigium aequantem Turcae occupant, atque aliam insuper contignationem, ut structurae ratio postulabat, tignis eo asseribusque comportatis, ut certiore ictu e celso loco hostes pete-

rentur, adiiciunt. Inde nullo nostris spatio ad quietem dato, aliis super alia emissis telis, eos loco excedere cogebant, idoneis tormentis in turrim adductis, quae ultro citroque ferri, atque agi commode possent. Iam eo ventum erat, ut cum abunde hostibus ad inferendam vim, rerum omnium facultas suppeditaretur, nostris ad vim propulsandam, praeter animum, qui ne in extremo quidem discrimine versantes defecit, omnia deessent, ut in virtute, atque animi magnitudine, cuius praeclara ediderant documenta, nihil praesidii relinqueretur. Quo esse maior regionum dedecus videretur, per quorum inertiam factum erat, ut minus esse usui tantum robor tam necessario tempore reipublicae posset, quae praeter tantae urbis iacturam, et fortissimorum militum interitu insigne esset vulnus acceptura. Erat Blactius quidam Moesus, origine Vngarus, qui in urbe iuri dicundo praeerat. vir magnitudine animi, constantiaque incredibili; qua fretus cum ad ultimum usque discrimen sese praestitisset invictum, dignum sua fortitudine praemium retulit, hostis etiam confessione immortalitatem promeritus. Is, cum e duobus militiae praefectis alter per speciem comportandi com meatus, ante hostium adventum urbe excessisset, . . . . omni praecluso aditu in arcte obsessam substitisset; decessisset alter, antequam urbs coepta esset obsideri; tam duris suorum rebus, praefecturae munus aliis recusantibus, sive se obtulisset sua sponte, studio gloriae incensus, sive militum suffragiis, praeturae urbanae praerogativa, ceteris praelatus esset: collega assumpto Ioanne Bothio arcis praefecto, summam penes se rerum traxerat, iis auspiciis, ut si par fortuna virtuti contingeret, haud dispar eventus esset inceptis responsurus. Huius unius consilio et virtute factum est, ut rei mili-



taris decus, quasi per manus a maioribus traditum, Vngari amissa etiam urbe, retinerent: in magna enim inopia rerum omnium, quibus ne summa quidem virtus in ultimo rerum discrimine carere potest, hinc sublata omni spe propinqui auxilii, hinc urgente impendentis exitii metu, ut non de salute retinenda laborare, sed de tuenda gentis gloria viderentur, quinquaginta dies hostium impetum, inferentium in arcem infesta signa, magna semper edita eorum caede, reserunt. Vicies quidem dicuntur eruptione ex arce facta cum non amplius quadringentis numero essent, omnibus viribus in se incumbentes Turcas, cum in iniquum saepe locum progredierentur, cunco facto, ne qua vi perrumpere possent, magna sua gloria summovisse. Vna vero hostibus erat spes iniecta, ubi per rei gerendae occasionem temere progressos in suum locum eliciissent, palatos disiectosque adorirentur: quod ubi accideret, haud dubitabant, quin vacuum praesidio arcem essent continuo in potestatem redacturi. Itaque omnia excogitabantur, quibus successu elatos, et fiducia sui, in patèntiora urbis loca pertraherent, ubi robur, et magnitudo animi inutilis adversus multitudinem esset. Id quo facilius assequerentur, ingenti clamore et tumultu, cum simul undique signa concinerent, et tympanorum pulsu, ac tubarum et cornuum strepitu omnia personarent, pavorem et trepidationem inferre pugnantibus conabantur. Quod eorum consilium cum nostros minime fugeret, quando se in eo tutos modo credebant, si nihil admitterent, qua re opportuni hostium insidiis essent, qua se invictos peti intelligebant, hostium conatus omnes, fallaciasque studio incredibili vigilantiaque adnixi eludebant. Itaque facile passi per inconditos clamores, eorum relangue-

scere vires : ipsi compositi , constanti atque aequabili gradu , cum vires ab animi praesentia , non a tubarum clangore cierent , qua pervaderent , metum , pavorem , formidinem prae se agentes , infesti , magna cum eorum caede ferebantur ; tantae virtutis caussam , barbaris hominibus , cum ab nullis agnoscerent hominum viribus , id quod imprimis eorum vim audaciamque minuebat , a praesenti numine manare suspicantibus , quo adversante , cum virtute fulta divina ope pugnare nefas esset . Erant fere in arce aedificia omnia scandulis tecta , quo genere fere Vngaria , et vicina Sarmatia utitur , ut essent maxime apta incendio . Ita , ad averte-  
ndos militum animos ab arcis propugnatione , globos ex arida materia parte interiore pice ac pulvere igneo incluso , ad ovi fere magnitudinem sagittarum spiculis affigunt , atque intra arcem iaciunt , aedificiis frequentem , atque adeo , ut raro umquam maxime barbari sagittandi periti ab scopo aberrarent . Ita , cum motu ipso in tecta domorum globi adaecti accenderentur : ignis conceptam vim e globis erumpentem , qua tectis adhaeserant , scandulae comprehendebant . Hinc late coortum incendium , cum quam in partem ventus ferret , magno hominum terrore per continentia tecta volueret flammam ; ancipiti malo propugnatorum animos distinebat : Nam simul hostes propulsandi adorientes arcem , simul restinguendum incendium , diducendae minime vires erant , quae quasi perpetuo nexu mutuo iunctae , invictae ad eum diem adversus tot mala stetissent . Inita ratio tandem hostes a muris arcendi , veritis nostris , ne , per crebras eruptiones , id quod accidere necesse erat , quidquid supererat virium ac roboris , indies languescens extenuaretur . Arborum trunci magnitudinis ingentis , infixis clavis ferreis , et ab summo praeacu-

tis, ut qua prominerent, in subiectos provoluti, magnam ederent stragem, in barbaros propius muros succedentes devolvebantur, eo minore nostrorum incommodo, quod hoc praestari etiam ab oppidanis poterat, ne militibus locum deserere, et in diversas partes vires distinere necesse esset. Augebat obsessis animum Solimani iudicium, qui veterano militi parcendum, et si qui in exercitu erant, quorum esset spectata virtus, censebat: veritus ne in urbis praevalidae oppugnatione, meliore parte virium consumpta, ubi dimicandum cum Rege esset, cuius rei facultatem sibi dari maxime aiebat, viribus inferior pugnare magno cum salutis discrimine existimationisque cogeretur. Itaque cum suscepta contentio, inter hominum numerum, et veram virtutem esset (melioribus enim parebatur) ne dubitandum quidem esset, quin obsessis neque tela, neque arma sufficerent barbaro hosti tamquam pecori caedendo. Hoc Turca institutum pertinaci consilio ad hunc diem tenet, ut ad defatigandas atterendasque hostium vires, habeat, quam ad caedem obiciat, semper paratam gregariorum turbam, quorum caede hostes fessi, ubi ad verum militum robur ventum sit, minime iacentes vires afferant, et succedentibus vegetis, atque integris pugnae labore fatiscentes cedant. Erat in Solimani exercitu Gallus miles, qui equo merebat, ex eorum genere, quos permultos quotidie videmus, aut mobilitate ingenii, aut redimendae salutis, quae illis carior fama atque existimatione, id quod saepius accidit, deficere ad Turcarum sacra. In horum numero ingens sceleratorum manus, furti, peculatus, maiestatis damnati, turpi iudicio convicti, aut qui publica inusta nota cusum aurum adulterarunt, obsignarunt falsa testamenta, gravissimorum scelerum conscii homines, et

qui multorum conscientiam, et iudiciorum severitatem veriti, exsilio perugio, scelerum poenas effugerunt, ut vere dici possit<sup>3</sup>, inter homines esse hominum genus, quibus in hac mansuetiore vita feris bestiis infestioribus utamur. Ex horum genere Gallus eques ducēs copiarum adit, et per eos curat Solimanum moneundum, quam difficile factu sit, per vim arce potiri, qui in praesidio sint, non se tueri unius urbis arcem sed totius Christiani orbis firmissimum propugnaculum existimantibus: non esse minus praeclarum consilio vincere, quam aperta vi. Quando alii conatus omnes irriti cesserint, per cuniculos aditum in arcem tentandum. Eos agi commode posse, cum in vicinis argentariis ingens hominum multitudo sit, qui eius rei periti, ubi impigre opus aggredientur, paucorum dierum labore sint perfecturi. Nihil facilius, quam iis hostes fallere, quae illis non exspectata, et propterea minus provisae, eveniunt. Assuetos peti armis, atque aperta vi, occultis insidiis, atque improvise malo obrutum iri. Huius probato consilio, cum, deplorata eventus spe, iam soluere Solimanus obsidionem statuisset, agi rem placuit. Inde, accitis eius rei peritis, cum nemo esset, qui opus agentibus per summum silentium obviam iret, cuius sensus nondum ad nostros pervenisset, brevi cuniculis in arcem actis, cum magnam vim ignei pulveris iniecissent, muri pars, quae cuniculis superstabat, funditus ab imo avulsa, et in sublime elata, ingenti fragore ac ruina procidit. Quo casu oppidani percussi, cum nova res, atque improvisa nihil minus exspectantibus accidisset: qui ad eum diem hostes de compositione agentes, non minis, non denunciationibus terri contemptississent, occulte primum inter se, de arce dedenda inire consilia, mox palam agere, ac litteras sa-

gittarum spiculis illigatas, in propinquas hostium stationes iacere. Quod tantum flagitium eo gravius milites ferebant, quo magis, nec opinato casu ita erat prolapsa muri pars, quae prociderat, ut difficilem ab ea parte oppugnationem hosti efficeret: in declivi enim, et praecipiti loco, rudera quae vestigium non admittebant, ea ad arcem molientibus aditum, lubricum ascensum reddebant. Sed alia certior superveniens pestis per oppidanorum insigne flagitium, funesto Vngaris fato Solimani inceptis favente, fortia militum consilia spem fiduciamque omnem elusit. Urbem fere, ut diximus, Moesi incolebant, paucis Vngaris admistis, barbara gens, et quae ne sanctam fidei religionem haberet, nullam quam colerent religionem nossent, indidem assueti homines latrociniis, et rapto vivere, ac magis a finitimis Turcis praedae studio, quam ab iis perpetuis excursionibus petunt, quam religionis odio dissidentes. Hi sive desperata salute, ut credebant, ubi ad extremum in incepto perstitissent, sive malorum peritaesi, quae et plura in dies, et graviora perferebant, ad deditionis consilium descendisse dicuntur, cum nulla esset virtus, quae labantes semel in fide barbarorum animos, omni alia spe salutis abiecta sustineret. Ac ne Vngari quererentur de re tanta Moesos separata consilia habere; cum Blactio simul et Iano militum praefectis, iam re deliberata colloquuntur: simul docent, quam a suis salutem extrema omnia passi minime sibi affuturam sperarent, a quibus per magnam iniuriam deserti et proditi essent, se ab hoste petere constituisse; atque hoc quidem quamdiu spes esset, deditionem non vi atque armis expressam ab invitis, sed voluntariam superbum hostem crediturum. Si ut Vngaros deceret, hoc est gentium et nationum om-

nium fortissimos homines, fama, nomine, existimatione moverentur, satis laudi, satis nomini, satis verae religioni illos dedisse per insignia militiae decora, et fortitudinis documenta, et suis, et hostibus adeo, cumulate probata domestica virtute: quam quidem non superasset contumax hostium virtus, non tela, non tormenta, non arma, sed vis temporum, et regionum scelus, quos optime de patria meritos, in ultimo rerum discrimine deseruissent: vicisse enim eos, quae invicta natura essent, famem, vigiliis, dies noctesque immensos perpressos militiae labores; ausos erumpere adversus hostem immensis viribus nitentem, animis elatis, unius studio gloriae: semper victores, cruentos semper hostium sanguine, alacres ad sua ovantium ac triumphantium similes rediisse; edidisse ultimum virtutis opus; contempsisse vulnura, mortem, quod eorum decus esset, qui mortis solatium in nominis immortalitate et vera gloria haberent constitutum; quam quidem nulla umquam aetas non esset admiratura. Iam non alios modo, sed hostes, et quidem hostes infestissimos, eorum fortitudinis testes ad posteritatem futuros, quorum gloriae monumenta clarissima suo sanguine et morte sanxissent.

His adhortationibus quasi illecebris et delinimentis cum appareret parum illos apud Vngaros profecturos: denunciant, nisi animum inducant communi consilio rem gerere, privatim Moesos sibi consilium capturos. Viderent, ne nimis obfirmando animos adversus imminentis fati vim, et suoapte ingenio superbum hostem, et ferocem victoria, quam haberet in manu, quamdiu spes esset emolliri ac flecti ad misericordiam posse, adversus communem salutem redderent contumaciorem. Ita necessariam magis proditione

Moesorum, quam destitutione virium, aut temporis angustiis faciunt deditioem, pacti, ut cum suis rebus omnibus militum armatis ire quo visum esset, liceret. Moesis iisdem conditionibus incolere urbem permisum, quibus ad eum diem sub regum Vngarorum imperio fuissent. Quae quidem, ut temere credita Moesis, qui de Solimani clementia nihil non sibi praeclari pollicerentur; ita facile apud victorem Turcam obsolescere, assuetum, ubi vis atque arma cedant, ad fallacias et religionis ludibria, qua nulla tenetur, confugere: pollicitus enim se, quibus vellent conditionibus, in fidem Moesos accepturum, cum in mentem veniret parum Vngaris aequos, nihilo in se firmiore animo futuros, relicta patria, quam prodidissent, migrare cum suis rebus omnibus Byzantium, Vngaros asservari cura attentissima iubet. In eo dicitur Moesis, eorum spe aequior fuisse, passus, quae religiosa apud illos in sacris aedibus haberentur, secum asportare, in his cadaverum reliquias, quae sanctorum hominum monumenta Christiani homines, plerisque in locis, caste ac religiose venerantur. Magno quidem plausu, sive ioco cavillantes Moesos, sive serio sibi laeta ominantes ab ea urbe avehi passi Turcae dicuntur. Iam videri de Christiana re actum, quorum dii captivi, a Turca victore in triumphum ducerentur: ut ad quos in posterum confugerent divino atque humano auxilio destituti nihil iam reliqui haberent. Sunt, qui affirmant, Solimani imperio Divae Peticae cadaver, quod operosa superstitione Graeci sacerdotes Belgradi colebant, Byzantium asportatum: ita enim Turcam censere, eorum memoriam sibi sancte colendam, qui ante Mahemetis adventum clari virtute et sanctitate vitae, puris animis ab omni labe flagitii Christi religionem

coluerint. Parentem omnium deum, miseratum genus humanum, cum variis mentis erroribus devium in praecipue laboraretur, Christum legatum demisisse in terras, qui hominibus ab errore revocandis Mahemeti praeiret, aliquot postea saeculis inchoatum a Christo salutis opus perfecturo, ex divinis oraculis novis legibus scriptis, quas nunc Turcae colant. Ad hunc maxime modum Belgradum urbs capta in Solimani potestatem venit: eorum initium malorum, quae et iuvenem Regem, et cum eo regnum universum simul everterunt: satis quidem constat, tametsi non desint qui causas alias afferant tantae amissae urbis, in regis potissimum culpam haesisse, cunctantibus obsessis open ferre, cum eodem tempore non minus Vngaris. quam Turcae, infesti hostes Moesi, Vngarorum odio deditio-nem accelerarent, iam ut dictum est, Solimano, victa nostrorum virtute, animi pertinacia, de discessu cogitante. Equidem certos habeo auctores, qui affirmant, mensem adhuc integrum sustineri egregie obsidionem potuisse; cum neque esset metus a fame, et indies de hostium discessu fama increbresceret, Moesorum perfidia et scelere, quominus, soluta obsidione, magna cum ignominia discederet, factum esse. Apud Vngaros quidem hoc manavit, a Venetis cum Carolo V. gerentibus in Insubribus bellum, conflatum hoc incendium in Vngaria exarsisse. Eorum consilio Solimanum, cum esset sua sponte quieturus, Asiatica expeditione viribus accisis, arma mutato consilio cepisse. Fuisse autem Venetis hanc iniectam spem, Carolum per occasionem ferendi auxilii propinquo Regi, cui grave bellum immineret, in praesentia, omissis Italiae rebus, omnes in Solimanum conversurum vires; quam scele-ris notam reiicit integritas et sapientia Veneti sena-



tus: qui quidem, ut alibi diximus, a Baiasete parata terra marique ingentia auxilia, haud ita pridem incumbente in eorum perniciem universo terrarum orbe, non sui temporis magis, quam fidei et constantiae memor, recusavit. Cur vero mallent, cum hinc Solimanus, hinc Carolus V. hostis immineret, per eius ruinam, quicum sacra communia religionemque haberent, Turcam crescere perpetuum hostem, quam, per huius excidium, Christianum Imperatorem, cum nominis maiestate, ditione augusti imperii augeri? Neque vero illud ignorabant, aucta barbarorum potentia per victoriam de nostris partam, in eorum ipsorum capita intentis viribus, quibus auctoribus perdere alios licuisset, insultaturum? Quid? tantam invidiam, ut aliorum oblivisci possent, qua ratione sperabant se apud Christianos reges posse declinare? quibus integris ab omni flagitii infamia, una fortuna florentis imperii, quae infesta in multorum oculos incurrebat, paene ruinae ac pesti fuisset? Quae vero illis alia caussa, Cameracensi bello tanto certa auxilia reiiciendi, quae validissima a Baiasete offerrentur, nisi a tam foedo consilio averteret, quae piis animis obversabatur, communis Christianae reipublicae salus? Quis vero dubitare posset, ut minus essent suae religionis memores, medium barbarum inter victores Venetos (si hoc accederet modo) ingenti sibi beneficio devinctos, et qui victi essent, aliorum abiectis viribus, aliorum debilitatis, integris viribus aggressum, et victores pariter, et victos, beneficiarios illos, hos stipendiarios vectigalesque Othomanici imperii facturum? Alia Vngaris caussa tantae cladis, quae quo verior, eo deffenda magis: in capite enim, et regni moderatore haerentem, in iis imprimis qui illi erant publici consilii auctores, ne spes esset ingruenti

malo virtute et consilio posse obviam iri, praepostere apud exteros, a quibus longissime aberat, quaerebant. Iuvenis Rex, grave semper populis ac detestandum malum, una tantae cladis verissima caussa: atque ut plane deploranda omnis spes esset, is Rex, quem praeter infirmam aetatem nulla educatio adiuuaret, et si quid boni a natura inesset, obruerent cum aetate emergentia vitia; quibus tollendis, nulla virtus animum excitaret, per se imbecilla, si ulla modo inerat, et nullis artibus exulta, quae dignae magno rege essent. Ad haec mala accedebant eorum ipsorum nequissimorum hominum fallaces artes, qui in regia dominabantur, vix sperantium sibi regnum futurum diuturnum, nisi variis blanditiis atque illecebris emollitum animum a cura regni et publicarum rerum averterent, quas nullo regi imperio, unius iuvenis aetati insidiantibus expediebat. Hinc regia, quam iusto ac sancto regi sacrarium virtutum omnium esse aequum est, aperta flagitiis omnibus, quae actas suaderet, impunitas aleret, atque improborum frequentia; qui exclusis honestis studiis, quibus vigentibus, esse locus nequitiae atque inertiae haud potest, pueriles lusus, ludicra, spectacula, nova quotidie voluptatum genera obiiciebant: ut cum, tamquam a fonte, nova mala cladesque quotidie emergerent, quae e regia in populum manarent; nulla adesset virtus, artes nullae, quibus erumpentia opprimerentur. Nam etiamsi aderat rei militaris studium ita Pannonibus innatum, ut regi, si non esset, industria excitandum atque exercitatione videretur; si quando tamen sua sponte existeret (id quod numquam accidebat, natura a pravo usu, ad ingenii bonum revocante), eorundem assentatorum vocibus obruebatur, qui, quidquid alii haberent industria multa

et studio partum, cumulate habere Regem a natura contendebant. Inde cum persuasum haberet, blanda natura assentatrice, ubi hominibus sit de suis rebus iudicandum, adesse quae aberant; ne una illa quidem aderat cura, per amicos interiores, graves homines et prudentes, qui tum regia exsulabant, ea quibus male se crederet potiri, cultu meliora efficiendi. Ita ubi rei-publicae tempora, et regem et virum postularunt: tamquam ex armorum ludo, in quo ipso tamen erat parum versatus, ad ludicrum certamen et umbratilem pugnam progrediretur, vero hosti, cui praeter inanem sui opinionem, nihil, quod opponeret, habebat, praedae fuit. Hinc fiebat id quod iam docuimus, ut qui Regem adolescentem possent suo consilio iuvare, sapientia, rerum usu et spectata virtute insignes homines, ne Rex addictus perditorum consiliis, bene consulentium periculo republica male administranda offenderet, se a sanctiore consilio subducerent, domesticarum cladum invidiam facile apud eos haerere patientes, qui earum vere auctores haberentur.

---



IO. MICHAELIS BRVTI  
**VNGARICARVM RERVM**  
LIBER SEXTVS.

---



## LIBER SEXTVS.

Solimanus laetio rem sua spe sortitus expeditionis eventum, captae urbis arce valido praesidio firmata, Hadrianopolim victorem exercitum reduxit: eo consilio, ut si Ludovicus de recuperanda arce nova consilia iniret, quod eum certam belli rationem secutum facturum apparebat, e propinquiore loco suis subsidio esset. At Vngari, multo his graviora veriti, tamquam essent, per hostium discessum, periculo perfuncti, minus prae iis praesentibus movebantur, et quidem quamquam iis tanti momenti, ut una regni robur, et quibus fulciebatur vires omnes nervique incisi crederentur. Quod vero Solimanus fama victoriae subnixus, non continuo in interiora Vngariae exercitum duxisset, id suae virtuti tribuebant; non ex hostis iudicio multo acriore sed suo, domesticas vires magnificis verbis efferentes, magna quidem cum prudentium hominum querela, per quorum ablegationem a Regis consilio quasi a reipublicae clavo, et regni gubernaculis, qui rebus praeerant, omnia temere et praepostere agentibus, haud dubium communi patriae naufragium imminebat. Neque haec regionum iactantia callidum hostem fugiebat, qui non ex patrum et maiorum virtute, qui in campo atque in acie ferro pugnare assueti, non in umbra et otio inanibus verbis Vngarorum nomen fecissent, sed ex posterorum moribus et

praesenti rerum statu hostium vires aestimabat. Iam captae urbis fama, cum ad alios Europae reges, tum in primis ad Sigismundum et Ferdinandum pervaserat, qui quidem, et quod periculo propiores, et quod Ludovico erant arctiore propinquitatis vinculo iuncti, non poterant non vehementius illius adverso casu commoveri. Cuiusque caussa esset cum minime ignorarent; optimo consilio amandandos e regia improbos homines arbitrati, qui per contemptam Regis aetatem, rempublicam suorum scelerum et flagitiorum praemium fecissent, Mariam iam pridem infanti desponsam, et qui illam comitarentur, viros graves, et perspectae prudentiae, qui iuveni Regi in consilio adessent, primo quoque tempore ad eum mittere constituunt, sperantes fore, ut adolescens, per novae nuptae consuetudinem a molli et flagitiosa vita ad agnoscendum regium munus seque aliquando, et rempublicam respiciendam abduceretur. Adiuvat eorum consilium puellae ingenium, et virtus ad graviores res proclivioris, quam ad eas, quas sexus requirebat; qua perspecta non erat dubitandum, quin quo vellet, et magis reipublicae expediret, virum perduceret, suo ingenio quidem, ni improbi homines depravarent, ad honesta studia propensum, certe minime praefractum, et contumacem adversus salutaria monentes; ut ducem nactus, qui praeiret, quo natura propenderet vitae cursum intendenti, haud esset dubitandum, quin administrando et moderando regno suo tempore esset summos reges aequaturus. Nam quo hoc magis sperarent, accedebat nato ex Iagellonia gente ut cetera abessent, nobilissima sua sponte Austriae familiae maiestas, quacum erat propinquitate coniunctus, ut quamdiu sui esset memor, minime dubitari oporteret, quin ad repetendum impe-



rii decus ad eum diem neglectum, comprimendamque sceleratorum hominum audaciam et cupiditatem, sese esset excitaturus; accedente praesertim, quae eadem tori consors, et viri potens, ut credebatur, sui oblivi- sci et regii muneris haud pateretur. Ita Maria regina magno principum comitatu, et nobilium matronarum, Budam deducta nuptiae apparatu magnificentissimo, atque ingenti populi plausu celebritateque peractae, non aequae omnium faustis ominibus, quorum nonnulli praesentem rerum statum exsecrati, haud meliora in posterum reipublicae ominabantur: non enim verisi- mile videbatur, Solimanum semel adversus Vngaros facto virium periculo, adeo laeto rerum successu ad extrema belli persequenda stimulos addente, quietu- rum. Captum Beogradum non belli finem sed initium fuisse, et ad maiora incitamentum, spondenti sibi belli praemium Budam Vngarici regni sedem, tum perso- nantem Hymenaei carmine et ardentem nuptialibus fa- cibus, brevi (utinam qui haec praedicerent falsi vates essent) personaturam lugubri naenia, et hostilibus flammis conflagraturam. Deo immortalis gratias agen- das, cuius insigni beneficio factum esset, ne hostis, re bene gesta, secundo victoriae cursu in regiam urbem victricia signa inferret, haud dubie in hostis potesta- tem tum eam ipsam, tum cetera quae in Vngarorum ditione censerentur, concessura. Horum verrissimis vo- cibus, cum iidem gratiosi apud Regem homines per- stringerentur: culpam proditae reipublicae hosti bar- baro, in magna invidia, qua flagrabant apud omnes regni ordines, ni sua sponte inducerent animum e re- gia facessere, aegre videbantur posse sustinere. Vnum angebat incertos consilii, verentes, ne, ubi ad hoc consilium descenderent, perinde haberetur, ac si iudi-

cium veriti, id quod nemo non videbat, agnoscerent crimen, cuius invidia laborarent. Interea Ludovicus a patruo et Ferdinando monitus, aliquando resipisceret, et se qui esset agnosceret, ac pro nominis maiestate, et regii muneris, rempublicam gereret, tam gravi afflictam casu; meliore consilio eos ipsos prudentes et graves homines, qui pridem varia impedimenta causati, e regia discesserant, evocavit, spe facta in posterum rempublicam ex eorum sententia administrandi. Ita in aula subito conspici coepti viri fortes et spectatae fidei, ex vetere Vngarorum disciplina, qui in Regis consilio, auctoritatem virtute et constantia pari tuebantur; coeptus honos haberi religioni, pudori, innocentiae, quae virtutes, cum ad Regem esset omnis aditus praeclusus, iam diu aberant e regia domo, subitam rerum mutationem hominibus admirantibus, qui praeclara illa, et splendida virtutum nomina cum rebus ipsis pridem dedidicissent: ut, quasi subito e coelo orta luce, in spem magnam erigerent animos, brevi ad aemulandam priscam Vngarorum virtutem, Rege suo exemplo provocante, multos certatim excitatum iri. Horum spem confirmabant ad reipublicae procurationem admissi viri fortes, et quos non prius magistratus honores atque imperia ornarent, quam ipsi honoribus atque imperiis essent ornamento, non fidem venalem, non iudicia, non rempublicam quaestui haberent: nihil ad gratiam, omnia ex iuris aequabilitate, quae perdiu a pudendae sortis et perditae spei hominibus erant administrata; in primis constituta res militaris, et cetera ut par erat, cum his consentientia; alia domi, foris facies, cuius praesidio respublica tanto accepto vulnere labefactata inniteretur. Vna quidem in hac rerum mutatione constantia defuit, in qua una erant

omnia posita, vindicandis eorum flagitiis, qui ex ruinis afflicti atque eversi regni crevissent; quod tamen ne fieret, nulla in his culpa, quae tota in Rege haerebat; qui quidem ipse effecerat, quo illis minus de eorum caussa cognoscere, et de ea pronunciare ex sua fide et constantia liceret: usque eo enim iis indulgendo erat progressus, ut ne hoc quidem sibi integrum reliquisset, cuius rei caussa gereret insignia regni, ut male de republica meriti, et maiestatis atque ingentium scelerum convicti, more atque instituto maiorum plecterentur. Itaque quod accidere necesse erat, adeo praeclare inchoata, ad concitandam hominum spem plurimum momenti, ad curanda reipublicae vulnera, quae nondum cicatricem obduxissent, parum adiumenti attulerunt; quae sanari, nisi per multorum supplicium haud possent. Vnum reliquum erat, ut odisset suspectosque haberet communium malorum auctores, quos quidem, ne quid esset, quod a potestate regia vererentur, immensis opibus et non ferenda potentia auxisset, actione necessaria de peculatu, quam omnes non iam tacitis votis, sed apertis vocibus clamoribusque poscebant, ad meliora reipublicae tempora reservata, quae numquam Rege tam excorde, et sui suorumque immemore futura sperabantur. Agebant eodem tempore apud Ludovicum Boemorum legati, cum nuptias honestandi caussa Budam missi, tum ut Regem docerent quod maxime urgebat quo in statu res essent: quae quidem, cum Rex abesset, quamquam tum ipse regni initio, tum pater Ladislaus saepe contra essent auctoritate atque imperio adnixi, quotidie in deterius labebantur: Vigere inter ordines aeterna odia, quae diversa hominum studia alerent, de summa religione dissidentium, insanabili malo semper populis omnibus,

sed multo iis magis, quibus deesset, cuius auctoritate spes esset posse tolli, iustus et sapiens rex, qui populis in officio continendis, et agnosceret suum ius, et tueretur constantia. Se, quando nulla orationis vi sperarent palam oculis subiecturos, quanta esset vis malorum, quibus regni civitates vexarentur: orare atque obtestari pro summa sua clementia atque aequitate, animum induceret suorum desiderio occurrere, et afflictis rebus praesentem opem ferre, quas recreari, et in meliorem statum redigi permagni eius ipsius interesset, ad quem regni iura pertinerent. Non iam Ludovicum dici in Boemia regnare, et legitimo iure et legitimis suffragiis creatum regem, sed seditiosos et turbulentos homines, ac per eos ipsos vim, arma, dominandi improbam cupiditatem, quam tectam splendido religionis nomine obiicerent multitudini imperitae, ut ad optata consequenda, quas aliunde affuturas desperarent, adessent vires. Inde vigere discordias, dissensiones, aperta odia, quae iam pridem magistratum auctoritate sublata, nihil quod vere dici regis posset, praeter inane nomen, reliquissent. Delinitum populum variis artibus a sceleratis hominibus, quorum errore in spem regni abuterentur, totum eorum esse, quos unam atque eandem causam tueri existimarent: ut cum verbo videri vellent sacra et veterum ceremonias ritusque tueri; re iura divina atque humana omnia, et cum iis ius omne legitimi imperii, tollere funditus e regno conarentur. Legatorum causam Maria nova regina iuivit: quae iam in Vngaria regiis insignibus assumptis, ad capessendam regni Boemici procuracionem verius quam regia insignia properabat; quibus et Ladislaus olim, et tum Ludovicus filius contenti, opulenti regni vectigalia praedae reliquerant privatis, ma-

gna cum aerarii iactura, et populorum gravi incommodo, qui per obiectum Regis absentis nomen, plures reges alere, vi oppressi atque armis cogebantur. His de causis Ludovicus compositis domi rebus, cum Vngaris spem celeris reditus fecisset, Regem invitis a se dimittentibus, in Boemiam contendit, caterva principum stipatus, qui illi frequentes aliquot dierum iter obviam processerant, non honoris causa magis, quam potiorum gratiae locum apud eum occupandi, quem mox iudicem de publicis privatisque controversiis futurum, diffisi causa, verebantur. Inde Rex Pragam ingressus, iis ipsis principibus postulantibus, qui nihil agi prius volebant, quam regni iura confirmaret, populorum immunitates, quas superiorum regum concessu beneficioque obtinerent, ratas se firmasque habiturum pronuntiaret. In haec iureiurando Rex adactus suam fidem obstrinxit, praeunte verba Leone arcis regiae praefecto, quae dignitas regiae proxima tum in Boemiae regno habebatur. Inde initio facto, ceteri magistratus, atque ex omnibus ordinibus delecti iurarunt in Ludovici verba, eo alacrioribus animis, quo faciliore prolixioreque postulatis accipiendis quae edidissent, confirmandisque usi essent. Convenerat autem, ut postridie, quam Rex advenisset, novae reginae in maximo urbis templo, vetere ritu regia insignia traderentur: id quod nullo negotio, et per summam omnium ordinum concordiam, actum iri credebatur. Sed magna inter eos orta controversia, quibus cura gestandi in pompa regia insignia mandabatur, rem distulit in aliquot dies; cum ex nobilitate praecipuus quisque, magna contentione animorum eum sibi sumeret honorem. Vsq̄ adeo quidem ambitio exarserat, ut nihil propius factum sit, quam ut missis verborum concertationibus,

principes descenderent ad arma. Quorum prava certamina, etiamsi gravissima de re suscepta videri vellent, Rex de suorum sententia novo consilio disiecit. Stato ceremoniarum die nihil minus illis exspectantibus, processit regio ornata, cum sceptrum dextra, orbem sinistra, diadema capite gestaret, tradito ense Marchioni Brandenburgensi, cui facile et principi externo et regis propinquo, et vero ob familiae maiestatem, cum unus ex VII viris mandandi ius summi imperii obtineret, inter alios dignitate atque honore eminenti, non aegre alii cedebant. His ita ordine administratis, quod reliquum erat, conversi omnium animi ad publicas res constituendas, quae aliquanto intentiorem curam requirebant; cum vero multa alia erant de quibus Boemi querebantur, tum erat unum gravissimum, unde cetera regni incommoda manare credebantur. In magna enim rerum omnium perturbatione, cum quisque in magistratibus mandandis, per adversa factionum studia, quibus quassatum et convulsum regnum nutabat, a reipublicae cura haberet aversum animum, non qui idonei haberentur, sed quorum gratia opibusque spes esset minui adversariorum potentiam, augeri suam, creabantur, magna quidem omnium ordinum offensione, qui aegre ferrent, praeteritis iis, quorum virtus atque innocentia in regni procuratione spectata esset, reipublicae praefici improbos, non alias solum ob causas parum idoneos, sed palam etiam multis flagitiis sceleribusque infames. Ea ex re fiebat, ut a parum integris republica administrata, multa foede, avare, scelerate admitterentur, magistratuum maiestas contemptioni esset, venalia iudicia pretio redimerentur a nocentissimis hominibus, plecterentur insontes, cum una gravis culpa haberetur optima etiam caussa ni-

tentem, pro iudicii redemptione, non habere quod impuris hominibus solueret, nihil ex iure, omnia ad libidinem administrantibus. Quibus emendandis ut maiore cum auctoritate omnia gererentur, placuit de consilii sententia Ladislaum Vaciensium pontificem, dignum hominem, qui ob summam virtutis opinionem, principem dignitatis locum apud Ludovicum obtineret, praeterea Caroli V. Caesaris legatum et Brandenburgensem praeesse. Hinc cum magis quid agendum appareret, quam quibus rationibus id agi expediret, plures agendum summo iure, et quaestionem de iis severe habendam censebant, qui quaestui habuisse rempublicam in magistratuum functione et publicorum munerum arguerentur. Quam quaestionem reis futuram gravem, cum late patere, atque ad multos pertinere crederetur, in quos lege animadverti, sine magno rerum motu, haud posset: Vaciensis gravi ac luculenta oratione magni rem discriminis dissuasurus, in hanc sententiam disse-ruisse dicitur: In hominum malefactis vindicandis, quamquam illis gravissimis, et ad summam rempublicam pertinentibus, interdum plus esse tempori, quam legibus parendum: quamquam enim una certe naturae lex haberetur, quae a ratione profecta esse sancta hominibus deberet, ut in fungendo vitae munere, quae honesta essent, omnibus praeferrentur, atque adeo etiamsi maximorum commodorum prae se speciem ferrent, haud raro tamen incidere huiusmodi, ut ne ii ipsi quidem, qui leges condidissent, graves et sapientes homines atque antiquae severitatis si consulerentur, ius sequi, quam rationem temporum mallent. Itaque tametsi leges iuberent, qui hominem interfecisset capite plecti, in ea tamen civitate ubi arma vigerent, silerent leges, quidquid violatum publicum ius interfi-

ciendo homine a potente cive videretur, neminem non videre mitius malum violari a cive legum maiestatem, per magistratum dissimulationem; quam per vim, ubi plus arma possent, quam leges, extorqueri: in altero enim neglectam animadversionem in sontem; victam auctoritatem publicam in altero haberi: unde licentia et impunitas publico malo aleretur. Exuere vero naturam mali; boni sumere; quod malum levius in comparatione gravioris haberetur, quemadmodum sapientes homines docerent. Ita, si quando temporum vitio accideret, ut minus obtineri publicum ius posset, videri praestare, rerum moderatorem meliorem sententiam animo amplecti, eam exsequi quam cogeret praesens rerum status, deque suo iure decedere sua sponte debere, cui cedendum armis esset. Iure olim in Romana civitate Caesaris postulata senatum reiecisisse, cum alterum consulatum, triumphum, extraordinaria imperia, quibus liberae civitatis status convellebatur, postulari (iniustissima enim fuisse), sed multo tamen fuisse satius tot elades, tot caedes, tot amissos exercitus, tot interfectos duces, tantum in universo orbe excitatum incendium redimere publici iuris non magna diminutione et libertatis iactura. Neminem esse qui ignoraret, quae Regis partes essent improborum hominum sceleribus vindicandis. Eorum furta, peculatus, latrocinia esse in omnium ore, qui frustra opem, unde affuturam nulla spes esset, perditis rebus implorarent. Hoc ius, fas postulare, ut qui regia auctoritate publicis muneribus obeundis abuterentur, impune haud ferrent: qui ita in his caste, atque integre essent versati, ut suam fidem, quibus deberent probarent, iis et haberetur honos, et praemia digna domestica virtute, atque industria decernerentur. Hanc unam certam rationem



secutos primos homines, unius imperio, cuius sapientia atque auctoritate in officio continerentur, non naturae, non libertatis, non iuris sui memores subdere colla, leges, iura agnoscere quibus parerent, ac discere vere homines esse potuisse. Quae quamquam vera essent, non minus tamen hominum rebus moderandis, ubi usus posceret, a rege requiri prudentiae, quam severitatis partes. Quando vindicari hominum malefacta sine metu caedis atque armorum haud possent, animadvertendi severitatem in commodius tempus videri differendam; communi otio et securitati in praesentia prospiciendum. Et quando nemo dubitaret, quin probi sua sponte, improbi legum metu et iudiciorum a male agendo deterrentur, iis assentiendum, qui auctores mitioris sententiae, Regem sua sponte ad clementiam proclivem, a summi iuris praescriptione inexorabili, quae nonnumquam, ubi obfirmatior esset, in duritiam atque immanitatem verteret, revocarent: id poscere pacis et concordiae rationem, qua una re semper civitates maximae et regna opulentissima magnitudine imperii beatissimae opibusque floruisent. Nam si placeret quaestionem de peculatu haberi, cuius necesse esset permultos reos postulari, neminem non videre, ubi per hanc rationem a corruptis essent integri secreti, insigniorem nocentium labem, quasi posito discrimine, effectum iri. Qua ex re esset futurum, ut nobiles atque illustres domus permultae macula afficerentur. Ita vero, omni discrimine sublato, placere Regem edicere: Quicumque ad eum diem, magistratum gessissent, quique in civitatibus, praefecturis, arcibus, alia publica munera administrassent, in primis qui iudicia exercuissent, et quorum esset integra existimatio, et quorum suspecta fides et muneribus labe-

factata argueretur, se munere abdicarent, in eorum locum suffectis, quorum integritas atque innocentia perspecta, cum in privata vita, tum in reipublicae administratione esset. Moveri homines, atque eos praesertim, qui nobilitatis et generis splendore conspicerentur, infamiae magis, quam supplicii metu. Credere enim, amissa honestate, vitam sibi relinqui supplicii loco, ac tanto illius quidem gravioris, quanto alii citius per celerem mortem infamiae sensu carerent; iis non prius, quam cum vita adimeretur, quam saepe in multos annos proferrent, perpetuo conscientiae morsu, sibi gravem, aliis invisam. Multos esse, qui aliis magistratibus fungerentur; plures qui iudicarent; omnes suspectos; neminem fere intactum invidia haberi: ut si novae de his quaestiones institui, ac nova iudicia fieri oporteret, vix ullus esset cognoscendi finis, ulla vacua domus ab infamiae labe futura. Quantas hinc tragoedias, quanta incendia in honestas et claras familias excitatum iri? Atque ea tamen mala esse eiusmodi, ut non semper intra domesticos parietes continerentur, sed saepius, quam publicis rationibus conduceret, in regiam irrumperent, et gravissima incommoda populis importarent: quid enim si Turca victor, bello instaurato, Vngariam interea aggredereetur armis; et ad externa mala, intestina bella, populorum odia, discidia, dubia hominum studia, incertaque accederent? Quae cum ita explorata essent, ut ne dubitari quidem de iis posset, ita quod esset in praesentia tutissimum consilium, voluisse in medium afferre, ut meliora, tutioraque consulenti, aequissimo animo esset assensurus.

Movit quidem tanti viri auctoritas omnes, qui tum Regi in consilio aderant, sed multo etiam magis ratio movit. Itaque iussis omnibus eodem tempore ma-

gistratu se abdicare, nulla cum cuiusquam nota infamiae, a summa arcis Pragensis praefectura Ludovicus initium facit, quam quidem ad eum diem, magna cum hominum offensione atque invidia principes administraverant. Eam Carolum Mirstenbergensem, genere Boemum, quem novo nomine militum praefectum populares appellarunt, obtinere iubet: regni Cancellarium pronunciat Adamum Novamdomum, cuius fides par tanto muneri habebatur; aliis qui iudiciis praessent, delectis magni consilii hominibus, et quorum innocentiam vita anteacta probasset, relatis aliis in iudicium album, quorum aequae cognita probitas esset, atque in Regem fides. Cetera eodem modo, et prudenter pariter, et accurate administrata, quae cito, ut alias semper vincente regionum omnem diligentiam longa die inveterato malo, exoleverunt: ut enim maxime Ludovicus regium munus sapientium consilio tueretur, quo id tamen minus diuturnum esset, eorundem potentium hominum conspiratio efficiebat, qui per regium edictum defuncti periculi metu cum victa publica auctoritas privatorum potentiae cessisset, non ferendos spiritus sumpserant, et fiduciam atque audaciam ad perdendam rempublicam maiorem. Vna vero ratio tutissima regnorum administrandorum, ut media reiiciat, spectet extrema: aut enim non sunt irritandi, qui semel plus quam leges potuerunt, aut si irritati sunt, tollendi de medio; conservati enim alieno beneficio scelerum conscientia damnati, ubi liceat impune ferre quae admiserunt, memoriam servant, non ad referendam iis gratiam, qui ignoverunt, sed ad delendam ignominiam, eorum exitio, qui perfecerunt, ut quibus parci per magistratus dissimulationem incolumi existimatione licuisset, potuerint damnari. Ergo brevis

voluptas ex bene constituta re, ut vulgo credebatur, eandem mox malorum cohortem invexit, quibus se perfunctos Boemi credebant, contempta Regis auctoritate (quo nihil perniciosius est in magni regni administratione) quae visa esset imbecilla sceleratorum hominum malefactoris puniendis, aucta improborum impotentia, quos in ordinem coactos ad nova ineunda consilia contumeliae dolor excitabat, quae reipublicae fere exitio fuerunt. Ita sensim deplorata spe salutis iterum dilabi, in quorum sapientia et consilio credebatur posita publica salus; quod nobis ab iis recte factum atque ordine videtur, ne eorum, quae administrata secus ac reipublicae conduceret, rei culpam, a qua longissime abessent, sustinerent: virtus enim nunquam tuto in improborum regno cum nequitia incertamen descendit, ne quae invicta sua natura est, improbitati victa cecidisse videatur. Inde Rex sibi permissus, imprudens quantum aliena culpa peccaret, per sapientium hominum discessum laxatis licentiae habenis, iisdem sceleratis hominibus totum se dedere, eorum nutu pendere, inniti consilio, susque deque omnia, regnum, suam, suorum salutem habere, magno reipublicae malo, quae iis praedae esset relicta, quorum libidinem nulla quantumvis magna atque opulenta praeda expleret. Quae ut deteriora haberentur, ingens eorum in regia solitudo faciebat, a quibus disceret recte administrare regium munus, quod privati convellerent, qua praecipites libido atque avaritia ferebat. Neque vero Ludovicus in unius potestate erat, quem eximium haberet, quod ipsum tamen saepe magnis regibus ingentium malorum causa fuit (mitius enim malum), sed multis patebat, uni, eodem consensu, cuius ruina crescerent, insidiantibus, ita quidem aperta cupiditate atque hianti, ut neque iis aerarium publicum, neque regni

vectigalia, non portoria, non arces, non auri fodinae, eadem pravo studio captantibus essent satis. Interea, omnibus in Boemia ex sententia administratis, Ludovicus in Vngariam rediit regno praeesse iusso duce Mirstembergensi. Aque haec quidem cum alii, qui per ea tempora floruerunt, tum Dubravius imprimis, multus ut semper fere solet, iis narrandis, quae a regiiis ministris avare et sordide, Rege in omnibus iis connivente, administrabantur, ut nemo non videt Vngaris iniquus, de quorum fama detrahere per hanc rationem conatur; nonnulla certe huiusmodi sunt, ut vere potuerint admitti, admissa esse eadem minime cuiquam verisimile videatur; sed illud levissimum, et quo nulla cum suae fidei iactura potuit supersedere, gravis aliqui scriptor, de Opoliensi duce, peropulento homine, et cui mortuo iusti heredes decessent; ad quem versantem in ultimo vitae discrimine missum ait eundem Stanislauum Olomucensem episcopum, qui eum hortaretur, ut quando secundum propinquos haberet neminem, cui iustius domesticas copias et fortunas legaret, Regem, qui ut honoris maiestate, ita amore, et benevolentia in illum omnes anteiret, testamento heredem faceret. Quod quidem, ut maxime acciderit, non video tamen quare dari Regi probro debuerit, cum nulla cum cuiusquam iniuria, non contemnenda regni accessione id agi potuerit. Nam rem a flagitio abfuisse, hominis persona docet, cui legationis munus mandatum ait, qui quidem vir moderatus et gravis, quam illi laudem tribuit, haud verisimile videtur has fuisse partes suscepturus, si id agi non posse sine certa dedecoris nota aut Regis, aut sua existimaret: cum praesertim grandi natu homini non esset defutura ratio tam foedam a se legationem amoliendi, sive morbum iuraret, sive

quid aliud excogitaret, qua re minus idoneus infami legationi obeundae haberetur.

Sed eorum famam, quae partim in Boemia, partim in Vngaria, magna cum regionum invidia ferebantur, alia certior, et quo de gravioris momenti re, eo maiore cum offensione hominum obruit: Rhodum insulam, captam a Turca hoste, ut olim Romani imperii adversus maritima bella, sic per id tempus adversus Turcam Christianae reipublicae firmissimum obiectum propugnaculum. Quae tanta audita clades, cum eos etiam, qui longissime abessent, Gallos, Hispanos, Anglos, atque ad occidentis oras ultimas incolentes homines, terrore implevisset: parum tamen Vngaros movit, quibus aut elatis fiducia domesticarum virium, aut mentis stupore a sensu praesentis mali aversae, hostis barbarus insigni de nostris parta victoria non Vngaris ex propinquo imminens, sed haerens in oculis atque in sinu adeo, non poterat iniicere metum, et quidem quo tempore per se validum suo robore, Christianorum regum discordiae et perpetua bella, quorum armis poterat terra marique debellari, redderent invictum; ut cum Vngaris multa essent timenda, quae Thracio bello subito oppressis impenderent, domesticis viribus in magno rerum discrimine deficientibus, ad quem confugerent oppressi ingenti malorum mole, neminem haberent. Neque deerant tamen periti rerum homines, quibus esset suorum stolidi ferocia invisita: sed optime animatis deerat audacia ad refutanda ea, quae facile patiente Rege, et aspernante meliora consilia, temere et inconsulte de praesenti Vngariae statu in medium afferebantur. Quae quamquam ita essent; aliquando est libera vox tamen audita, recti animi fiducia in nonnullis metum regionum vincente, quibus ire obviam nemo auderet: E

Rhodiorum flamma (prohiberet a suis deus tam dirum omen) incensa face, brevi Vngarorum regiam, ni expectati principes, propius et suas et hostis vires spectarent, exarsuram. Praepostera quidem eorundem hominum audacia, in quorum erat Rex potestate (non enim penes omnes haec culpa), ingentium malorum cum iis ipsis, tum Christianae reipublicae universae imminentium, vera caussa fuit; qua quidem defendenda, cum belli vis, animi robur, et corporis vires requireret; alterum quidem praestare potuerunt, haud falsi suarum virium aestimatores, ut non deesset animus ad exorientem belli procellam disiciendam; in altero, quod necesse erat accidere, succubuerunt, ubi adversus Solimani innumerabiles copias, non animis modo, sed viribus paribus fuit in acie pugnandum: illud certe effecit, ut et minus sese manirent impares propulsando bello, quod ultimi discriminis instabat, cum quidem nimia sui fiducia elati se crederent pares, et maiore licentia atque impotentioribus animis suos vexarent, quibus non poterant tam praeposteram administrandarum rerum rationem probare (quod gravissimum malorum omnium est), ne quid praesidii bene de republica sentientibus esset adversus tantum improborum consensum, iuvene Rege a regni procuratione averso, qui quo pauci vellent, non quo postularet reipublicae salus, pateretur se trahi. Vsque eo quidem impunitate progressos, scriptores eorum temporum tradunt, ut Budae palam, in foro, tantum non in oculis Regis, homines interficere auderent, domos diripere, privatam, publicam rem, iuxta praedae habere, nemine existente, qui fretis Regis gratia obviam iret: cum nulla esset auctoritas publica, quae malorum vindex, privatorum vim atque audaciam, unde manabat, coërceret.

Quisquis esset, quem insignes divitiae et domestica opulentia opportunum iniuriae redderet: is, nullo discrimine, furenti multitudini obiectus praedae erat; iam enim licentia in infimos derivata, militaris turba urbanae immista, omnia in promiscuo habebat. In his insignis iactura Emerici cuiusdam feneratoris, Iudaei genere, qui non ita pridem, caussa redimendi se a populi convicio, cui est Iudaeorum gens invisae, Christianis sacris erat initiatus: eius palam direptae aedes spectante populo, pretiosa suppellectili, facto argento, infecto, rebusque omnibus refertae, quae oculos incendere atque animum, in magna turba egentium hominum atque impunitate gladiatorum, possent. Ferunt in aedium interiore parte sexaginta aureorum vngaricorum millia inventa: quod haud dubium indicium esset, locupletis domini et minime multitudinis spem et iudicium fallentis. Eius exemplo Iudaeorum alii, quorum non minus invidiosae opes divitiaeque habebantur, ut quae vulgo malis rationibus partae crederentur, coacta militum manu, vim vi propulsare ausi, irruentem in se multitudinem armis represserunt. Sed haec per se gravia, quae tamen prae aliis levia habenda. Adamum Novamdomum, quem paulo antea Boemiae Cancellarium a Rege creatum docuimus, magnae hominem nobilitatis, cum neque in magistratus honore, neque in Regis maiestate, apud quem, principem gratiae locum obtinebat, quidquam praesidii haberet, dum discessurus in Boemiam rheda per urbem veheretur, a nefariis hominibus, ad portam, vi in familiam facta, conspectantibus omnibus spoliatum nudatumque reliquerunt. Aliud aequae turpe et flagitiosum admissum in Fuggeros negotiatores, quos maiorum industria honesto dignitatis loco apud suos constituit. Ex omnibus regni provin-



eiis, cuius aerarias aliasque metallorum fodinas conductas habebant, effossum aes ubicumque deposuissent, uno consensu et conspiratione, qua cuique est visum, distractum dilaceratumque diripuerunt. Res quidem adeo foeda indignaque visa, ut Carolus tantus Imperator, Ferdinandus Rex frater, caussa Fuggerorum suscepta, legatos, qui de tanta suis illata iniuria expostularent, sibi ad Ludovicum censuerint mittendos. Quae tamen legatio nihilo magis eos, quorum res erat, sublevavit, Regis invidiam regionumque auxit vehementius, qui eam praedam, cuius iacturam, fidei et pudoris pretium fecissent, non facile passi sunt sibi e manibus extorqueri. Nam ad Regem quidem tantum dedecus hoc uno nomine pertinere visum, quod non aequae ac regem deceret, imperium obtineret in suos. Tametsi enim aetatis excusatio iuvenis culpam elevaret, non deerant exempla tamen, tum aliorum, tum Matthiae Regis maxime, qui patrum memoria in eodem regno ingenii ac magnitudinis animi insignia documenta, prima sua adolescentia, dedissent. Atque ad Regem tamen, cuius nimia indulgentia haec patrabantur, nihil praedae pervenit, cum ex tabulis publicis constaret, quadraginta nummum aureorum Vngaricorum millia summam aeris direpti excessisse. Per eadem tempora insidiae in Regem detectae, neque tamen in maiestatis et paricidii convictos lege animadversum, magna omnium admiratione, qui, cum Rex petitus veneno, et quidem e longinquis locis comparatum diceretur, quae res pertinacis odii indicium haberet, et tanti sceleris auctor neminem falleret, iudicii severitatem expetenda a scelerato paricidii poena desiderarent; caussam quidem omnes requirebant, quare quisquam in Regem innocentissimum, et qui in omnes effusus, multos beneficio

comprehendisset, neminem umquam verbo inclementiore appellasset, induceret animum pestem atque exitium moliri. Iustituta veneficii quaestione in praepotentem reum, cui nihil in caussa praesidii, spes nulla salutis, nisi aut in Regis clementia, aut in domesticis copiis, et iudicium sordibus constituta esset, cum apud eos caussam diceret, quibus potior fidei laude erat perfidiae quaestus, ubi rerum absoluerent non Regis solum, in quem erat tantum scelus admissum, sed eorum etiam praeiudicio damnatum, qui alieno dolore non suo movebantur, omnium sententiis absolutus, et missus est factus; tanta regionum invidia, qui reo adfuerant, ut maiusne flagitium admisisse absoluendo tam convicto et iugulato reo, an in publicum audere prodire, qui se adeo insigni flagitio contaminassent, haud satis hominibus constaret.

Iam temere a principio orta fama, quae numquam hominum expectationem fefellit, ut superare omnem fidem videretur, sensim latius manare in Vngaria coeperat, Solimanum, ut numquam alias accuratius intentum parando bello, primo quoque tempore Vngaris arma illaturum. Ingenti rerum successu barbarus sublatis animis, cum mari terraque victor validissima duo Christianae reipublicae munimenta, Rhodum mari, Belgradum in Vngariae finibus, suae ditionis fecisset, nihil ita arduum rebatur, quod non armis aggredienti esset concessurum. Ea spe vero expeditionem in Vngaros parabat. ut non dubitaret, quin nudati munitissima regni urbe, simulatque audirent propius inferri infesta signa, relictis quae media intercederent, receptum quaererent in interiora regni. Neque vero ille poterat dubitare de belli eventu, ita periculo facta Vngarorum virium, ut non illos acriores defendendo re-

gno, quam tuendo regni propugnaculo se inventurum speraret, praesertim, quo erepto, spes omnis retinendae salutis Vngaris, ut tum res erant, praecisa esset. Credebat porro, minime coniectura sua falsus, cui vires defuissent ad summovendum hostem gradum in regni fines inferentem, unde facile poterat arceri, haud validiores ulteriora penetranti obiecturum. Raro vero umquam accidisse, ut qui gerenda re inciperet praeclare, non primis media consentientia, his pari successu attexeret postrema. Adnitendum modo in principio totis viribus, ubi ex sententia gesta res aditum in regnum molienti aperiret. Hoc qui esset adeptus, eum populorum studia, quae victoris felicitatem aut metu, aut spe sequerentur, qua una in re maxime posita esset summa belli, continuo consecutura. Aegre vero, qui non occurreret statim exorto belli incendio, quod Vngari superiore expeditione fecissent, crescentem flammam et late proferentem vires exiguis viribus tamquam aquae sextario restincturum. Atque haec quidem apud hostes barbaros vulgo ferebantur, non male suis rebus, ut docuit eventus, per nostrorum cunctationem ominantes. Quibus quidem sero coeptae domesticae agnoscere vires, quas brevi adversus praepotentem hostem sibi explicandas intelligerent; tum fluere animis ferocia, quam ex umbra in campum, atque in aciem deductam, imminentis exitii metus, propius accedens ad hominum sensum, postulabat. Grave quidem per se bellum, Rege fortissimo, et qui niteretur viribus maximis, rem administrante, ut omnium gravissimum haberetur, quae gesta umquam in Vngaria essent, praeter cetera, quae commemoravimus, longa armorum desuetudo, et rei militaris, quae iam diu apud Vngaros exoleverat, efficiebat. Nemo tum erat magnitudine re-

rum gestarum clarus belli dux, et quem magis domestica virtus, quam nobilitatis suffragatio commendaret. Et Ioannes quidem Scepusius, cum ob partam rei militaris gloriam rusticorum bello, tum propter ingentes opes, quibus conspiciebatur, longe inter alios eminebat; sed ut eius esset regiis suspectus animus, Regi in primis, caussae et multae et graves intercedebant; quarum viget in magnis animis, ubi praesertim suspecta sit regni aemulatio, quam domesticae vires, et hominum studia alant, aeterna recordatio, atque adeo saepe ingenti cum hominum peste. Vtrum vero Ludovicus virum tantum suspectum iure haberet, an invidiae semper nimia potentia obnoxia efficeret eius suspectam fidem, ut de dubia re aliorum esse iudicium volumus, quos quidem spectare aequum est, non solum quid magnus vir possit, sed quid etiam velit, cum quidem magnus vir esse haud possit, nisi idem suae fidei sit atque existimationis memor. Atque inde inimici maledicendi occasionem nacti, quae danda laudi essent elevando, ea quae adversa et cum hominum offensione gessisset, augebant. Nam partam gloriam domestico bello, cuius magnam partem sibi merito sumerent alii, qui neque erga patriam pietate, neque maiorum meritis in rempublicam, neque splendore familiae illi concederent, obscuratam male re ad Cernovicium gesta, contendebant; ut etiamsi de fide minus esset dubitandum, aut fortuna, aut virtus suspecta videretur, quarum neutra recte posset in belli duce atque imperatore desiderari. Itaque ad cetera mala, quae urgebant, uno gravissimo Rex conflictabatur, ut cum instaret minime dubium belli discrimen, quem ipse impar proficeret rebus gerendis, neminem haberet. Iam, quod aequae torquebat anxium, neque de eo satis constabat,

adversus adeo paratum hostem a rebus omnibus quo milite uteretur; cum sub Rege deside, et in demortui locum aequè inertis et molli Rege filio surrogato, rei militaris gloria plane, ut paulo ante diximus, exolevisset. Veterani pauci, et qui diuturno otio, cum flore aetatis, plurimum de pristina virtute remisissent: novi milites suoapte quidem ingenio alacres, tum ad alia omnia militiae munera obeunda, tum impigri maxime et manu prompti ad rem in hostem gerendam; sed quos neque ulla rei militaris disciplina in tam corruptis moribus, neque usus ullus, aut exercitatio adiuveret, per diu Vngaria quiescit ab omni belli tumultu, quae una gravissima caussa fuerat subito malo oppressis Belgradum amittendi. Nam, ut maxime animis vigeret antiquum robur, atque ut numero inferiores superiores virtute haberentur, quantum hominum vires ferrent, allaturi in aciem videbantur; ut pugnarent cum spe victoriae, quorum singuli essent cum hostium cohorte certaturi, maiorum virium opus, quam ferre hominis natura videretur. Iam bellicus apparatus aut nullus, aut perexiguus (cum pro tanti regni viribus maximus semper et instructissimus esse consuevisset), si cum hostis conferretur; non bellica tormenta, non arma, non commeatus; non parata pecunia e reipublicae aerario, quod improbi homines, iuvenis Regis corruptores, variis artibus illius aetati insidiando, exhausissent; non e privato loco, cum perpauca patria caritas moveret ad opem ferendam afflictis rebus; nulla spes externi auxilii in ultimo regni discrimine positus ostenderetur; et si adesset, apud eos, qui maxime eo indigerent, eius superba contemptio, ita animorum ferociam ostentantes, ut non aequè ea alte insideret animis, atque in vultu et in oratione appareret. Cum

autem iis alia omnia deerant, quae requirebat belli usus, tum deerat imbecillitatis suae conscia mens, quae efficeret, ut peritos rerum homines et prudentes audirent, indigentibus nequidquam salutaria consilia afferentes, qui contra obfirmatis animis omnia, quorum ipsi auctores non essent, aspernarentur: non enim desiderabantur ne illi ipsi quidem prudentes homines, qui quasi ex alta specula exorientem tempestatem prospectantes, essent parati afflictis rebus consilio occurrere, et postremum pietatis officium patriae praestare, cuius imminens fatum ad occasum vergentis, precibus lacrymisque ab irato numine deprecabantur; frustra illi quidem, et nullo cum usu, quibus praecinentibus brevi eventura mala, omnes praeter eos auscultarent, a quibus positus excelso loco, certiores spem salutis populis affulgere oportebat. Erat vero in magnis circumfusiis tenebris, tristis rerum ac miserabilis aspectus. Quarum quidem eo magis erat spes deploranda, quo maiore cum reipublicae incommodo, qui illius vulnera curare et perducere ad sanitatem opportuno consilio possent, contempti abiectique iacerent: communium malorum auctores, et sua fortuna, et Regis iudicio superbi, erecti atque alacres, omnia de se meliora hominibus sponderent, inani sui fiducia, cuius nulla causa suberat tumentes. Eo quidem reciderant Ferdinandi Regis, et Sigismundi abhortationes, ut appareret, ob eam causam restitutos ad tempus viros bonos pristinae dignitati, et per eos populis spem salutis iniectam, ut maiori ludibrio inimicis essent, deiecti mox ex alto loco, et populis reddita lux, subito erepta ex oculis graviores tenebras offunderet, quae aequae funestum rerum exitum portendere credebantur. Neque dissimulabant tamen, quid sentirent super privatam contume-

liam communis patriae excidium lugentes, cum vitam simul execrarentur, quam ad eum usque diem produxisse viderentur, quo viventes, acerbum patriae duce-  
rent funus; oculos, qui aspicerent belli externi incendio flagrantem; aures, quae propediem exciperent miserorum querelas, flebili carmine reipublicae fatum complorantium; mentis, animi facultates, quas a natura haustas, studio ingenuarum artium exultas, ad reipublicae adversa tempora reservassent; omnium vero maxime paucorum scelus atque amentiam, quorum effrenata cupiditas suis redderet vitam execrabilem, qua nihil homines in terris haberent amabilius. Quam vero reliquam vitae caussam superstitionibus patriae maiorum monumentis, qui rem Vngaricam tantam fecissent, dei immortalis sanctissimis delubris, superstitionibus nobilissimo regno, quod unum nativo robore per tot saecula invictum intestino rueret malo, iis spectantibus, quibus ne leve quidem reipublicae incommodum sine certa sceleris et flagitii nota posset opprobriari. Non magis infesta Vngaris Solimani arma, unius Christianis populis formidolosi hostis, quam quorum fidei in Vngariae regno esset commendata publica salus. Eo vero domestica mala graviora, quo eorum esset gravior et foedior caussa. Regiam potestatem penes iuvenem esse, ut quasi experts animae corpus, sine mente et consilio perdita respublica pessum iret. Sed hoc tantum incommodum, grave, et non ferendum aliis, leve Vngaris prae aliis haberi, quibus angerentur: non solum enim non adesse reipublicae rectorem, cuius sapientia respublica fulta, recta adversus omnes bellorum procellas retineretur, sed adesse, qui stantem et florentem paulo ante tum magnitudine imperii, tum rerum omnium affluentia, quibus qui po-

tiuntur, beati populi et fortunati existimantur, ultro volentes et prudentes perditum irent, neque ipsi pares obeundo publico muneri, et iis infensi, qui sua virtute et sapientia prolabantem sustinere a gravi casu et praecipiti ruina possent. In aliis reipublicae partibus procurandis posse errare homines cum spe sarcienti quae male procurata essent: non posse eos sine certa reipublicae pernicie peccare, ad quos unius prava indulgentia esset summa reipublicae delata; quae certa caussa fuisset nobilissimis populis, et optimis legibus temperatis civitatibus semper, non cuius fortuna, sed cuius virtus excelleret, spectandi. Infimos homines, qui rem nauticam exercerent, ne secundis quidem ventis afflantibus et prospero navigationis cursu, parum peritum navis gubernatorem pati; recte illos quidem, quibus exploratum non esset, quamdiu navigantibus secunda aura adspiraret. At beatos homines, quasi perpetuo praesenti fortuna se usuros sperarent, securos animis clavum reipublicae tenere, quem per adversam tempestatem venti reflantes brevi essent e manibus excussuri. Cum vero illos multis aliis nominibus, tum uno maxime plectendos, quod non intelligerent, in publicae rei naufragio, quod omen deus averteret, includi rem privatam, quam unam spectarent. Dira vero, atque execranda capita, quorum scelere, nobilissima gens nullo suo merito male apud exterarum nationes audiret, quae in tot viros fortes maiorum gloria et domestica virtute florentes culpam conferrent, quae in paucorum temeritate et audacia haereret.

Haec viri boni, atque alia multa, quae extorquebat domesticus dolor, quorum nullus erat usus. Non est operae pretium hoc loco commemorare, quae iidem rerum scriptores de Vngarorum amentia et vecordia



tradunt, ita enim sunt foeda, ut si de temulentis tradantur, et in ganea de summa republica consultantibus, vix videantur digna, quibus fides habeatur. Longe certe absunt a maiorum gloria, quorum virtus et rei militaris scientia, finitimis populis olim, et Turcae adeo magnitudine imperii et clarissimarum gentium victoria exsultanti iniecit frena, ut si esset pereundum, nemo dubitaret, quin tantae cladis culpa fatali cuidam pesti esset adscribenda, quae tum ita occupasset Vngarorum animos, a ratione et mentis consilio aversos, ut viderentur ultro volentes et prudentes, et regnum simul, et Regem, infelicibus sibi et patriae natum auspiciis, in exitium trahere. Nam et Iovius a Dubravio non dissentiens, inter ceteras caussas, quibus adductus Solimanus alteram in Vngariam expeditionem suscepit, eandem unam gravissimam praesentem Vngariae statum miserabilem agnoscit. Cum tamquam corporis, anima carentis, regni summam, destituti rerum moderatore, penes eos esse audisset, qui neque sui, neque meliorum consilii potentes, praecipiti furore et stolidi ferocia elati prius quam hostilia arma inferenti, conficerent bellum. Vsque adeo vero tum contempsisse vires hostium dicuntur, quae ne tum quidem contemni tuto possunt, cum maxime videntur contemendae, ut perexiguum suorum numerum eorum immensis copiis opponere non dubitarent: illud passim iactantes, viros fortes, et animi robore nitentes, quales Vngari essent, virtute vincere, non hominum multitudine assuetos. Nam et aliis contumeliosis verbis insectatus, oblitos antiquae disciplinae, seditiosos, impotentes regii imperii appellat, cuius se moderatores ferrent, nae hoc quidem male in utramque partem effusus, sive laudandum quem sibi, sive reprehendendum

accusandumque suscipiat. Ergo cum multa quotidie de Turcarum apparatu nunciarentur, et quidem minime illa temere atque e vano hausta tum de equitum peditumque copiis, tum de ceteris rebus, quae etiam cum dubiae sunt, pro certis habitae numquam fuerunt fraudi, saepe non creditae exitio fuerunt: audiebantur iuvenum importunae voces in ferocia verba luxuriantium; quas Dubravius tamquam a se exceptas mandare litteris non dubitavit, qui cum Iovio in Vngaros odio certat. Primo concursu, Turcam, ubi esset ventum in certamen, non militum vultus, non vim oculorum, non virium impetum laturum: prius formidine et pavore, quam Vngarorum armis profligatum, victum debellatum iri. Copiarum numerum, etiamsi tantus esset, ut ne iniri quidem posset, nullum usum ad pugnam allaturum: tam imbellem hostem, simulatque acies concurrissent, se annulis, quos digitis gestarent oppressuros. Iam tamquam his parum insanirent, inter pocula, hostium capita, quae merces bibendi esset, quinque, decem, plura inter se somniantium in morem propinantes, gratas futuras victimas Vngarorum manibus devovebant. In hoc rerum statu cum maturam consultationem certior in dies fama de belli duce deligendo postularet: omnium fere ordinum consensu, Rex in Paulum Tomorem Colocensem episcopum inclinavit: quem, superioribus annis, egregie multitudinis tumultu comprimendo Budensem arcem defendisse, et ducis simul et militis officio impigre functum commemoravimus. Erat tum regnum ita administratum, ut militiae honores et alia reipublicae munera, quae maioris potestatis a regibus mandabantur, gererent viri principes atque ex praecipua nobilitate, sed quibus, ut maxime cetera adessent, quae in imperatore requiruntur,

deesset usus, quo uno viget rei militaris scientia et consilii vis; tum aliis moderandis rebus, quas casus et ratio temporum invehit; tum continenda multitudine in officio, corrupta quasi contagione communis pestis, quae e regia in multos prava unius indulgentia manabat: laborasse quidem tum Vngariam imperatorum penuria, haud dubia coniectura, ad Tomoreum Regem descendere coactum, cui ut quis multum tribueret, strenui militis laudem impertiret; quae ita requiritur in belli duce, ut non sit eius tamen prima laus: cum tantum quidem intersit inter militis et ducis munus, quantum inter recte imperandi et alacriter parendi: quorum alterum ad caput, cuius est in homine principatus, aliud ad ea pertinet, quae capitis consilio atque imperio reguntur. Palatini dignitas *penes* Stephanum Bathorium erat, cuius alibi mentionem fecimus; qui quidem re militari administranda parum felix, maioris virtutis nulla adhuc certa dederat documenta, indolis certam spem, natus ex ea familia, quam illustria monumenta fortitudinis et pietatis erga patriam honestarent. Ioannes Scepusius Transilvaniam cum imperio administrabat: quem ille honorem per se summum, patriis fortunis, quae ad tuendum domesticum splendorem amplissimae suppeditabantur, et magnitudine animi augebat; ut et Ladislao olim, et tum Ludovico filio, fere potentia se parem ferret, non invita pleraque nobilitate, quae omni genere honoris, tamquam non Budae regia, sed in Transilvania esset, quasi vere Regem non provinciae praesidem agnoscebant. Moldaviae, quae eadem a popularibus maior Valachia appellatur, Stephanus praeerat; Transalpinae Radulus, quorum uterque Ludovico parebat. Maritimarum urbium imperium, qua Dalmatiae et Croatiae littora

mare superum alluit, obtinebat Franciscus Batthianus, iam pridem per cubiculi ministeria, ob egregiam virtutis indolem, in pueri Regis gratiam adolescens insinuatus. Petrus Perinnius, praeter Themensiensem arcem, regionibus omnibus praeerat, quae inferioris Vngariae limitibus continentur, vir propter domesticas opes et generis nobilitatem magnae auctoritatis, et cui, patre vita functo, sacrum diadema, quo reges inaugurari solent, asservandum, addito Ioanne Scepusio collega, traditum erat. Provincia Sirmiun, et tota ea regni pars quae inter Savum et Dravum amnem ad ripas Danubii pertinet, Tomoreo mandata; et quidem quamquam pridem adductus pietatis studio, et militiae renunciasset, et in Franciscanorum collegio religiosae vitae sese devovisset. Quod tamen vitae institutum haud illi licuit per Regem retinere. Decesserat per id tempus, Colocensium pontifex, quod quidem sacerdotium tum insigne et opulentum, urgente metu Thracii belli, aequae qui operandis sacris praesesset, indigebat, et qui armis sacerdotii iura adversum vim barbarorum tueretur, recepto hoc iam Vngaris more, ut iidem et rem divinam procurarent, et ubi classicum caneret, patriae versanti in graviore belli discrimine armis operam navarent. Itaque in principum et patrum frequenti conventu, cum Rex ageret de novo pontifice in demortui locum surrogando, neque facile occurreret, qui sacerdotii munus simul, et, ut temporis eius rationes postulabant, rem militarem administraret, dicitur mentio Tomorei facta; quem quidem spes erat, ubi a Romano pontifice legibus solueretur, egregie tum pontificis partes, tum belli ducis praestaturum. Res per se gravis, ut necessaria etiam videretur, exoriens belli procella, et quae pro lege habebatur, fati violentia perfecit. Itaque facta a pontifice potestate, cum et Re-

gis, et principum consensum, summa constantia contra obnixus, vincere non posset, Colocensium pontifex renunciatus, et simul est iussus provinciae cum imperio praeesse. Qua quidem administranda, ita se gessit. ut ne inimicis quidem locum sui reliquerit obtrectandi. Nam et ducis partes, ubi id usus postulavit, cumulate implevit, et nunquam passus est a se pontificis munus, tum procurandis saeris, tum ad pietatis et religionis cultum docendis adhortandisque suis, desiderari, pari usus constantia superiore vitae instituto caste et religiose tuendo; imprimis inter bella atque arma praecidenda sibi licentia omnium rerum, quam vix otii et pacis tempore coercet gravis et severa legum censura. Ioanni Bornemissae custodia Poseniensis et Budensis arcis permissa, exactae aetatis homini, cuius perspecta virtus tum Regi, tum principibus nobilitatis maximis in rebus, omnes trahebat in admirationem sui. Regiis quidem ministeriis a prima usque infantia assuetus, cum eodem vitae tenore per omnes fortunae gradus ad honestiores militiae ordines pervenisset, et apud Regem magnam erat auctoritatem consecutus, et, ob id ipsum, apud populum gratiam parem. Is est Ioannes Bornemissa, qui domestico bello, magnam agrestium manum, quae Budam oppugnatum ibat, non calido magis, quam salutari consilio in regias partes traduxit. In hos omnes, partim ob magistratus honorem quem gerebant, partim ob nobilitatem, erant omnium oculi coniecti. Reliqui erant quos pontificatus et sacerdotii religio, sed multo magis divitiarum magnitudo insignes reddebat. Horum unus dignitate princeps Ladislaus Zalcanius, Strigoniensium pontifex, cum magna apud Regem gratia, tum in regni administratione auctoritate pari, non honore ille quidem magis, etsi per se

conspiciebatur, quam virtutis opinione ad summum dignitatis gradum euectus. Quae cum ita administrarentur, increbrescentibus nunciis in dies certiora de Solimani adventu afferebantur, minime rerum peritis novae res, qui, superiore expeditione Belgradi et Sabbatii arcibus expugnatis, haud diu quieturum Solimanum credebant, aditu sibi ad interiora Vngariae Budamque adeo armis patefacto, quo non prius irrupturus credebatur, quam quidquid medium intercederet, quod iniiceret properanti moram, suae ditionis fecisset. Quae, qui minus prospexissent e longinquo imminentia, ita praesentia horrebant, ut pertinaciam et vecordiam nequitiae addentes, eandem in Regis consilio animorum fiduciam arrogantiamque ostentarent, quasi id esset vincere, hostis vires elevare, suas efferre, quae neque ullae erant, et unde parari possent, magnis undique rerum angustiis Rege circumvento, vix cuiquam cogitare veniebat in mentem. Quae dum ad hunc modum geruntur, Paulus Tomoreus, cum de hostium adventu eadem quae regii cognovisset, conscensa rheda, atque equis ad celeritatem mutatis, ad Regem, qui tum Visegradi agebat, contendit, minime ulterius cunctandum in tanto regni discrimine arbitratus. Mox docet quantum summae reipublicae intersit, quidquid copiarum sit, coactum eodem convenire. Inprimis urget, ut primo quoque tempore delectorum equitum manus ad Dravum amnem mittatur, qui transitu hostem prohibeant, id quod haud difficile factu futurum ostendit; simul demonstrat, quanti discriminis futura res sit, ubi patiantur Solimanum, per otium exercitu traducto, primam belli facem nobilissimae provinciae iniicere: haud dubie enim eam flammam excitaturam, quae universas regni provincias eodem incendio haustas, demergeret

ultimo fato. Hanc fere rationem bellorum gerendorum, ut ex eius praescripto, qui prior arma inferret, militaris res administraretur, id natura rerum postulante, ut qua is initium belli faceret, sive terra, sive mari rem gereret, illi occurreret: non enim semper dari facultatem ei, qui esset armis petitus, per translata arma in eius ditionis fines, quicum bellum gereret, avocandi rem gerentem ad sua tuenda, id quod rerum gerendarum ratio postularet: frustra enim id in eum hostem tentari, ubi etiam tantae essent Vngarorum vires, ut non minus ad arcendam domi vim, quam ad inferendam foris, esset paratus. Neque vero unius provinciae caussa modo laborare se, quae praesertim longe lateque vastata, praeter barbarae crudelitatis insignia monumenta, nihil haberet, quod non lugubre, funestumque ostenderet: laborare totius regni caussa, quo, si hosti aditus pateret, nihil caussae esset, quare non actum de Vngarorum salute videretur. Deesse sibi vires, quibus diffusus aegre se tueretur, munito etiam loco inclusum. Instare bellum, quod, ut nulla umquam maiorum memoria magis, ducem requireret cum peritum rei militaris ab usu, (tum) prudentia, consilio paratum, sine quibus in Imperatore haec nulla essent, armis, copiis, telis, tormentis instructum. „Ita enim gerendis bellis utrumque requiri, ut neque utiles vires essent, quas non consilium corroboraret, neque utile consilium, quod viribus careret.“ Quae tamen ubi etiam praevalidae essent, et haud impares tanto gerendo bello; non magna spes videretur, ingressum iam in regnum hostem, qui duceret secum equitum peditumque copias innumerabiles, prohibitum iri, quominus, quamcumque in partem visum esset impetu facto, quo infesta signa inferret, redigeret in potestatem. Adhuc eo loco

- rem esse , ut si Rex pro sua virtute et nominis maiestate rem sibi agendam statueret , haud dubitandum esset , quin copias traducere conantes barbari , quod non magni operis esset , transitu possent prohiberi : sed ita hoc quidem sperari potuisse , si integris adhuc rebus impigre sibi gerendam rem , et nihil de celeritate remittendum statuisset : cunctanti et trahenti moram nullam reliquam spem superesse , arceri et reprimi hostem maioribus etiam copiis instructo posse. Se quidem , quantumvis duras atque arduas sibi impositas belli partes , ut dignum sua fide esset atque in patriam pietate , alacri animo obiturum.

Rex Tomoreo collaudato , ut in subita re , minus quam periculi magnitudo postulare , ad tam tristem nuncium territus , ab animi magnitudine in tam arduis rebus , non meliore consilio quam in reliqua regni administratione , subsidium petendum , quando in praesentia cetera deessent , et quibus viribus posset obviam hosti eundem statuit. Quae vero consilii ratio , cum pateret in munitas urbes receptus , atque in tuta loca , et quoad copiae cogerentur , non longa mora hostis impetum ludificando , male rem coeptam administrari studio et sedulitate sarcire , quidquid in praesentia virium et roboris adesset , quod perexiguum erat , et cum eo Regis caput , tot populorum salutem regnumque universum adducere in discrimen ? Nam et Boemorum et Transilvanorum copiae ad externa auxilia expectabantur ; quae ut nullum maiorem usum rem proelio permittentibus sponderent , ad hostem tamen sustinendum , tanto superiorem viribus , fatigandumque , ut taedio victus , et desperatione melioris eventus fatisceret , et de reducendo exercitu cogitaret , per opportuna loca dispositis praesidiis , satis adiumenti erant allatura.



Interea tamen, ut de omnibus, quae agenda erant, aliquid certius posset constitui, ex omnibus regni provinciis adesse principes frequentes, atque omnes ordines IX Calendas Maias, qui est Georgii festus dies, ad consultandum de ratione belli gerendi iubet. In eo conventu cum alia multa acta, quae necessaria magis ad tuendam communem salutem, quam facilia explicatu videbantur, de conscribendo milite, de muniendis arcibus, de hostibus transitu arcendis, tum illud unum maxime, ut omnes sive ex nobilitate regiae militiae, sive rebus divinis praeesent (delectum rerum omnium belli discrimine adimente), ad Tolnam, cum ea militum manu, quae iis ex censu esset descripta, ad Quinctum Nonas Iulias convenirent. ductu atque auspiciis Christi imperatoris, cuius causam suscepissent adversus eius hostes defendendam, bellum gesturi. Dimisso conventu Ludovicus ad cetera comparanda, quae belli usus requirebat, sero ille quidem, sed aliquando tamen animum convertit, unum rebus omnibus sibi praevertendum arbitratus, quod multo ante agi oportuit, ut dimissis ad Christianos reges legatis, rem nequidquam tentatam superiore bello, auxilium dubiis rebus imploraret; externis viribus, quando suis diffideret, sperans se gerendo bello parem fore. Omnium autem maxime urgeri Clementem Pontificem placuit, qui fortunae magis suae, quam muneris memor, nova bella ex bellis serendo, eadem elatus cupiditate novis ditionibus atque imperiis ditandi atque augendi suos, armis universam Europam sollicitam habebat. Auxilium si minus ab eo impetrare queant, at, quod illi facillimum sit, et pro potestate sacri imperii praestare nullo suo incommodo queat, dent operam, ut impetrent ad externum militem conducendum, ut se ex voluntariorum collatione, sacra

pecunia iuuet, id quod superiores pontifices gravioribus reipublicae temporibus permulti egerint, qui propositis coelestibus praemiis Christianis populis, stipem ad sacrum bellum conferentibus, auctores fuissent summis regibus, Christiani orbis a barbarorum oppressione liberandi. Hoc unum esse liberalitatis genus, quo, insigni cum pietatis laude, nulla sacri aerarii iactura, prospicere Vngarorum accisis rebus possit; quas quidem nisi intelligat, aequae ad universam christianam rempublicam pertinere, cuius summa potestas penes Romanum pontificem sit, longe eum falli: certe nisi in tempore expergiscatur, fore, ut quo incendio Vngariae Regnum conflagrarit, in continentem Germaniam atque Italiam neglectum serpat, indè latius augendo vires, quidquid intra inferum mare, et Britannicum Oceanum, ad ultimas Hispaniae oras pertineat, vastaturum. Inprimis iubet docere, quae pecunia coacta hoc nomine in Vngaria sit, nisi eam sibi augendam primo quoque tempore nova aëssione per eandem rationem statuatur, eius aut perexiguum, aut nullum usum ad bellum fore. Exstant vero ad hunc diem Ludovici Regis ad Clementem Pontificem litterae, ut olim ad Hadrianum aliae, deiecti animi indices, et plane de salute desperantis, quibus oblitus maiestatis regiae, unius temporis memor, ad infimas usque preces descendit, quae frustra fatigatis Pontificis auribus, ad impetrandum auxilium parum, ad eius augendam culpam plurimum valuerunt, futuram aliquanto leviolem, si non oratus et multis lacessitus precibus, litteris, nunciis, sed sua sponte ferre opem quiritantem christianae reipublicae et in Ludovico Rege periclitanti, animum induxisset. Nam quod postremo certum numerum militum, ultimis extortum precibus, auxilio miserit, et pe-

cunia iuverit; non laudandus, quod parce, et sero, sed reprehendendus, quod non miserit quantum vere volenti et serio agenti licuisset; usque eo in suos effusus, ut ad oppugnandam patriam impiis armis, vastandam Italiam bellorum incendiis, christianum orbem universum perpetuis cladibus deformandum, et sacros Romae thesauros exhausserit, et potentissimorum regum arma exciverit; cum unus Christi pontifici esset propositus finis, iniustissimam in patriam dominationem suis comparandi, quae ad hunc diem durissimum servitutis iugum subire coacta, nequidquam libertatis vindicem atque ultorem iniuriarum quaerit. Tanto vero studio acriore Rex erat iuvandus, quanto unus cunctanti fuerat certior et gravior auctor, foedus a Turca oblatum reiiciendi, atque adeo frustra monente Sigismundo patruo, id quod eius multae litterae testantur, quae penes nos exstant, ne pateretur se a salutaris consilio avelli, satis gnarus, quam infirmis viribus, quamque attritis et labefactatis Vngarorum rebus, esset Solimanum hostem regno inferentem arma excepturus. Quibus litteris obfirmato in contrariam sententiam animo, ita respondit, ut negaret sibi hoc integrum per Clementem Pontificem esse, quo inconsulto, non esset passurus se ullo foedere Christiani nominis acerrimo hosti illigari. Atque cum his litteris consentientia habent Clementis Pontificis nomine ad Thomam Cardinalem Caietanum scriptae, eius apud Ludovicum Regem legatum, quoad efficere consilio, auctoritate, monendo, adhortando possit, iuvenem Regem deterreat ab ullo feriendo cum Turca foedere; certasque rationes atque argumenta addit, quibus contendit id illi agendum, quae operae pretium duximus his attexere, ut appareat, quibus artibus interiora consilia

occultaret, quae tamen nihil minus, quam communem salutem, atque otium, id quod volebat videri, respiciebant. Hoc vero argumento erant scriptae. Non posse Pontificem adduci, ut crederet Ludovicum Regem eo descensurum, ut induceret animum cum barbaro hoste aut foedus ullum, aut inducias pacisci, cuius rei afferri rationes multae et validae possent: quarum primam atque antiquissimam Christianum Regem habere aequum esse, Christianam pietatem, quae moneret, pro eius nominis gloria, qui sua morte et sanguine aditum ad vitam immortalem hominibus patefecisset, ultro mortem appetendam. Namque alteram in existimationis et nominis iactura positam, cum quidem non posset recusare, quin maioribus esset reus iniustae Vngarico nomini aeternae dedecoris atque infamiae notae, qui praeclaras de Turca victorias superioribus saeculis adepti, posteris virtutis et fortitudinis exempla illustria defendenda patria, barbaris hostibus armis ad interneccionem persequendis, aemulanda reliquissent. Accedere ad nominis et famae iacturam libero homini ultimum malorum omnium, minime dubiam servitutem; quae utrum saevior esset, immanior, crudelior, an indignior, et contumeliosior, difficile esset pronunciare. Hoc enim Regi statuendum, Turcam pacis specioso nomine quasi illecebra obiecto, hoc spectare, ut ubi sopitum alto somno incautum et apertum suis insidiis reddat, subito imparatum a rebus omnibus adoriatur. Quid enim minus verisimile, quam Turcam, se rerum potente, quenquam passurum in Vngaria regnare, qui in magno orbis terrae imperio, cum tot nationes, tot gentes, tot populi unius nutum atque arbitrium pro lege habeant, uno mancipii nomine omnes amplectatur, neminem ita eximium habeat, quin servitutis iugum

teterrimum subire, volens nolens cogatur? Magnum incendium per Vngarorum ruinam (avertat deus a suis tam triste omen) in universum Christianum orbem excitatum iri, sed cuius flammis prius sit Vngariae regnum conflagraturum. Haec aliaque multa esse iuveni Regi inculcanda, qui non suo, sed aliorum consilio regatur, inprimis callidi hostis aperiendum consilium, qui speret falso pacis nomine ludificatum, ad suum nutum atque imperium quo velit circumacturum. Ne deiiceret animum armis petitus a barbaro hoste; multa affutura subsidio gerenti bellum; quae quamquam superiores Reges desiderassent, saepius tamen in re gerenda discessissent victores, quam victi. Habere vicinum Regem, eundem patruum Sigismundum, qui non solum magnitudine imperii, sed rerum gestarum gloria clarus, praeter sapientiam et magnitudinem animi, qua inter reges omnes sui temporis excelleret, instructissimus viribus atque omni bellicae rei apparatu, esset fratris filium iuvaturus. Accedere Carolum V. Caesarem, omnium, qui superioribus saeculis christiano imperio praefuissent, maximum et potentissimum, qui pro Christiano Rege, sororis viro, secum multis necessitudinis vinculis coniuncto, ad domesticas suas adiunctis imperii viribus, adversus communem hostem capesseret bellum. Accedere et Caroli fratrem Ferdinandum, Austriae, Germaniae populos, qui ad commune restinguendum incendium concurrerent, quod per populatum Vngariae regnum intelligerent finitimas provincias continenti flamma hausturum. Nam, et illud addere animos dubitanti Regi debere, positum in Romani pontificis tutela, iam a Leonis X. usque tempore, cuius fidei esset a Ladislao patre, clarissimo Rege commendatus: quod quamdiu illi memoriae hae-

reret, non posset dubitare, quin Pontifex suae fidei et constantiae memor, caussaeque adeo, quam qui non intelligeret communem Ludovico Regi cum omnibus esse, qui colerent Christi nomen, plane captus oculis videretur, omnibus nervis viribusque esset adnixurus, ut suae in illum pietatis documenta clarissima constarent; ne illud commemoraret delatum sibi olim, ante pontificatum munus, apud pontificem Vngarorum res procurandi, quorum esse immemor eorum difficillimo tempore, sine certa infamiae nota et dedecoris haud posset. Neque vero alia modo, sed caput etiam in salutis et vitae discrimen Turcae obiecturum, ut Christianae reipublicae nobilissima pars, cui avarus hostis inhiaret, ab illius maleficio et iniuria incolumis staret. Neque vero Regem ignorare a se missum legatum ad Christianos reges Nicolaum Schonenbergum Campanorum pontificem, magni consilii et spectatae prudentiae hominem, eos ad sacrum bellum adhortandi causa; quod quidem, ubi sublatis discordiis et obliteratis iniuriis capessant, dubitari non oporteat, quin Turca prius cogitare cogatur de tuendis suis, quam de occupandis alienis; se quidem, ut pastorem deceret, officii sui memorem, curam commissi gregis, etiamsi capitis sui periculo communis salus redimenda sit, non neglecturum. Quae cum ita essent, non potuisse adduci, ut crederet, vera esse quae de ineundo foedere cum Turca ferrentur. Nihil enim sibi certius, quam Regem, si ad id consilii esset descensurus, quin integra re, certio rem se esset facturum, neque tamen Pontificem negare, saepe fieri posse, ut quae turpia et foeda sua natura essent, temporis vi extorquente ab invitis honesti rationem susciperent. Si destitutus Rex exterorum regum auxiliis, desperaret se posse aut

occurrere hosti inferenti arma, aut impar bello gerendo lacessere quiescentem, parum credatur prudenter facere, qui illum a pacis consilio revocet, praesertim cuius honestae condiciones ab hoste proponantur. Illud vero ne suspicari quidem posse, ullius incommodi caussa, ullo mali metu, atque adeo ut mors etiam sit obeunda, cum Turca ad opprimendum Christianum nomen consociaturum arma; prohiberet vero deus, ut de tanto rege, tam tetrum immane horrendum facinus, cuiquam veniret in mentem suspicari. Vnum esse quod Pontifex vereretur, ne parum aetate adversus hostis insidias Rex cautus, pacis dulcedine falsus, poculum hauriat dilutum veneno, et Rex maximus ac nobilissimus coactus teterrimae servitutis iugum subire, a cuius rei commemoratione refugiat animus, barbari hostis regiam mancipium honestet; dandam operam omni vi atque artificio orationis, si modo sparsi de foedere rumores non abhorreant a vero, ut quamdiu spes sit malum tolli posse, a tam foedo incepto Rex avertatur. Neque hoc cum Rege tantum agi, sed agi cum principibus regni oportere, quorum maxime consilio res administrantur. Additur postremo in iis ipsis litteris diploma pontificium ad Regem, eodem fasciculo inclusum, quod ille iubeat tradi. Esse autem eo argumento scriptum, quemadmodum facile ex illius exemplo legatus cognoscere queat, quod ad illum mittatur, (mandat vero, ut de suo addendo, et artis coloribus ac pigmentis aspergendo, diploma, ut sese det occasio, ornet), ut moneat, caveat hostis fallacias, qui per eas tentet sibi aditum in regnum aperire, qui sit illi omni arte et consilio obstruendus; ne per oppressos Vngaros, quod deus avertat, ad totius Christianae reipublicae ruinam atque excidium sibi faciat gradum,

quod non minus \*) — — — — —

— (\* Tentatus et Sigismundi animus, qui pridem cum omnem spem abiecisset de Christianorum Regum concordia, inter se ad internecionem gerentium bellum, regni vires, quas, ut alibi diximus, ad tantam belli molem sutinendam imbecilles esse intelligebat, integras servare ad meliora reipublicae tempora staturerat. Ita vero foedus icerat in aliquot annos, ut si suae fidei et constantiae rationem habere vellet, non posset adversus foederatum, ne pro Rege quidem propinquo, salva sua existimatione, sumere arma. Superebant vero adhuc, qui iam aetate defuncti, non ita vetus exemplum Ladislai a parentibus acceptum per manus referrent, qui Sigismundi patruus, per violatam foederis religionem, adortus bello Turcarum Imperatorem Amurathem, dignum exitum infaustis auspiciis suscepto retulisset, ad Varnam cum universis copiis caesus, ut non temere discedendum a sua fide et constantia statureret, praesertim qui malorum praesentium non ignarus, ea monendo praedicandoque multo ante iuveni Regi denunciasset, a melioribus consiliis averso. Quae quamquam ita esse non ignoraret, usus Ludovicus suorum consilio ad Sigismundum Andream Trepezam Polonum, summum regiae praefectum, legavit, auxilium ad bellum postulatum, adhuc non desperans se apud patrum Regem, quem semper eximie cultum parentis loco habuisset, Regem optimum et sanctissimum, extremis suis rebus opem inventurum.

\*) Itt a Pesti Codexben két ívrét levél hiányzik; a Bécsiben csak ezek elseje, s így a hézag felét emeből pótlom, két csillag közé szorítva a pótlást: (\* — \*).



Quae illum spes longe fefellit, ita Sigismundo statuente, sibi colenda officii et propinquitatis iura, ut afflicti Vngarici regni nollet fieri additamentum, id quod erat timendum, excissum atque eversum Polonorum regnum. Itaque illud Trepezæ erat additum in mandatis, ut si id minus impetraret, tum, quod commodo rei publicae fieret, ut in Sarmatiae et Vngariae finibus se adiri pateretur, postulare: Quando non ignoraret regem patruum foedere cum Solimano icto impediri, quominus se copiis iuvaret: rogare magnopere, ne recusaret, quod salua religione posset, iuvare iuvenem Regem consilio sapientissimus Rex, quem filii loco haberet; is qui coleretur parentis loco, ne aut de eius prudentia, aut de voluntate et fide in dando consilio posset dubitari. Cum his mandatis missus legatus, Dantisci Sigismundum convenit, illuc profectum caussa sedandi urbanos tumultus, quos nova infecta a Luthero de religione dogmata excitaverant, e civibus, aliis Pontificis Romani auctoritatem agnoscentibus, reiicientibus aliis, ut diffieillime convenire inter dissidentes de re gravissima, nisi per Regis auctoritatem, posset. Varia fuit Sigismundi excusatio, temporis, cum publicis rebus procurandis districtus, quae incertis populorum studiis fluctuarent, quam longissime ab Vngariae finibus abesset; foederis, quod ita cum Turca icisset, ut in eo fidem violare\*) et parum sibi honestum, et id, quod nemo non videret, perniciosum regno Poloniae esset. Non se destitisse melioribus Vngarorum rebus, et cum liceret per aequiores condiciones de compositione agere, hortari, urgere, monere Regem, et qui illi in consilio adessent, ut suo exemplo animum inducerent aut foedus cum Turca ferire, aut si minus de eo conveniret, in multos annos inducias pa-

cisci, quae cum frustra caneret, imminetia mala non dispicienti, castigare se Regem nonnumquam liberius solitum, quam delicatae aures ferrent, et quae perpetuis amicorum assentionibus personarent, cum adolescentia ferox, salutaria consilia minus aequis auribus admitteret, perditorum atque amentium hominum consiliis depravatus. Quae quidem quam pernicioosa essent futura communi saluti, non fuisse exspectandum ut tempus doceret, qui imperitorum hominum mos esset, sed adhuc integra re cognoscendum, et cum id nemini posset esse obscurum, qui praesertim non suos tantum, sed aliorum etiam oculos in perpetua regni vigilia intentos haberet: id enim reges agere par esse, quibus ob eam causam esset sanctius consilium adiunctum, ut eius robore et viribus respublica rectum et firmum cursum adversus omnem fortunae impetum teneret: quod quidem cum alios omnes agere oportere, tum eos maxime, quibus positus in tam excelso gradu, per se arduam viam difficilemque, aetas lubricam magis et praecipitem redderet. Tum quaeri consilium oportuisse, cum resipiscenti integer ad salutem receptus esset; nunc id tentari, cum potentissimus hostis propediem armatus, infesta signa in regnum a suis proditum esset illaturus. Quod quidem quid aliud esse, quam ab hoste victore, ultro decedentem victum de suo iure, depraecari perfidiae et contumaciae poenas, non de compositione agi? unam enim rem esse, de qua, integris rebus et salva dignitate, quo per aequiores condiciones transigeretur, esset agendum. „Detrahi vero plurimum de illius causa, qui bello decertaturus, exspectaret ab hoste illata arma: fiduciae enim in eo, qui inferret; in eo qui illata exspectaret, inesse certum timoris argumentum.“ Sero Ludovicum de sua for-

tuna queri; cum mature assensus meliorum consiliis efficere posset, ut non esset sibi de fortuna expostulandum, quam iniuria accusarent, qui a virtute animi deficientes, sese ultro ipsi traderent fortunae regendos. Iam pridem se, id quod evenisset, prospexisse animo, fore aliquando, ut aequi atque iniqui intelligerent, et vera se et maxime apta Vngarorum tempori, quod turbulentissimum a barbaro hoste instaret, sed surdis auribus cecinisse. Postulari a se auxilia, quae quidem ubi a se extorqueri pateretur, quid periculi inde Polonis impenderet, tacente etiam se neminem fugere; quem enim non videre, Vngariae excidium, quod dicere animus perhorresceret, cumulatam Polonorum ruina, uberiores luctus materiam orbatae christianae reipublicae duobus opulentissimis regnis suppeditaturum? A quo vero regum opem imploraturum se, si quid durius accideret propinquo regi, ubi domesticis copiis nudatum Poloniae regnum victor hostis aggredere-tur, quod quidem, ut vindicaretur ab intestinis malis, externis auxiliis indigeret? quid non egisse, quid non exco-gitasse, quam reliquisse viam intentatam pontifices Romanos, a primis usque regni sui initiis, Iulium, Leonem, Hadrianum, Clementem, ut susciperet in Turcas bellum? Pollicitos aureos montes, maximorum regum foedera, principum auxilia, paratas a Venetis classes, Caroli V. Caesaris, Francisci Regis immensas copias, veteranum militem, arma, bellica tormenta; quae inania nomina, et turgentia magnificis verbis, haud satis illecebrae habuissent ad se concitandum ad arma, quae raro non infelicia Christianis regibus, reipublicae exitio fuissent: non enim se umbra rerum, neque speciosis pollicitationibus, quae stultos homines atque imperitos fallerent, sed rebus moveri; id quod utinam

fuisset Ludovico persuasum, cuius nimia facilitas in praecipitem locum cum Vngarorum regno universam Christianam rempublicam coniecisset. Ita Galliam, Italiam, Germaniam, et quae eam propius provinciae attingerent, incensas belli facibus ardere; ut Sigismundo Regi ob id gerendum bellum adversus Turcam videretur, ne quis superesset, qui lugeret eversae Christianae reipublicae occasum. Consilio iuvare se nunquam desiisse vicinum regem, propinquum, fratris filium, quod ille, cum posset usui esse, semper aversatus esset: nunc, cum esset nullus consilii locus, quid se aliud acturum, qui consultus de re tanta sententiam diceret, quam ut consilii vim et prudentiae redderet infamem; quae nulla esset, nisi ante gerendam rem, qui esset eventus futurus, ex certa rerum et temporum observatione pronunciaret: certe, ut nulla alia in re obsesset, id effecturum, ut iuvenis Regis culpam augetur, qui cum consilio, ut nullus esset locus veniae, peccaret? Maluisse ei, in quem summa esset sua indulgentia, quae parentem aequum esset liberis, laetis illius secundisque rebus pietatis munera praestare; quae ne praestare adversis cogeret, quando sua monita huc recidissent, ut eius, qui esset monitus, caussa deterior, monentis melior esset, supplicem se, deum malorum vindicem precari.

Hic legatus lacrymis perfusus, cum perorare volentem interpellasset: Nihil, inquit, est ut video, cur de Regis salute speremus, quando eam tantus Rex habes deploratam. Extrema haec ad te eius legatio erit, qui ne legare post hac quemquam possit, negando illi tam necessario tempore auxilia, effecisti. Haud falsum vatem fuisse, ominis fidem tristis secutus rerum exitus comprobavit.

Haec ita cum Sigismundo ; alia ratione cum Boemis, Moravis, Slesitis actum, qui in regis ditione erant ; exigebantur enim, ex peditum equitumque descriptione a civitatibus milites , ex censu pecuniae, quae ita populis imperabantur , ut nulla esset satis iusta caussa, quamquam exhaustis, et ad vocem edicti frementibus, tam necessario reipublicae tempore recusandi. In eodem conventu dicitur mentio illata de sacris thesauris ad belli usum convertendis , in magnis aerarii angustiis omni alia ratione deficiente : neque enim verum esse, republica perducta ad extremum casum, divinitus oblatum auxilium , vana superstitione captos animos, quasi in Regis consilio non viri fortissimi et prudentissimi, sed trepidae anus de republica consulantur, aspernari. Religionem animis coli, quos nulla inficiat sceleris labes : utrum sacerdotes adhibeant ad sacrorum usum aurea gemmata atque argentea vasa , haud magni interesse existimare , qui intelligant , nisi in tanto rerum discrimine usui reipublicae sint , immani atque avaro hosti brevi praedae futura, quam tantam cladem deus, exoratus supplicum precibus, a suis in immanissimos hostes avertat. Sed ne quis religione moveretur, iam Clemens pontifex sua interposita auctoritate perfecerat, Regi facta potestate, de ea re, quod esse e republica censeret, statuendi ; quidquid statueret , ne quando esset fraudi per eam rationem prospicienti publicis rebus, firmum se ratumque habiturum.

Eodem tempore et de externis ducibus deligendis actum, quibus cum Tomoreo belli administrandi summa potestas mandaretur. Et Christophorus Fran-  
gipanes nominatus magni nominis , qui tum Ferdinando Regi merebat, et Nicolaus Salmensis Comes , cui honos capti Ticinensi proelio Francisci Regis debeba-

tur, quique aliquot postea annis eundem Solimanum, CCC amplius hominum millibus Viennam oppugnantem, ingenti sua gloria sustinuit.

His rebus ita administratis, Rex, ut iam diximus, et ad reges alios, et ad Franciscum Regem in Galliam atque ad Carolum V. Caesarem arctissima sibi affinitate coniunctum, qui tum atrox bellum cum Gallo gerebat, parum ille quidem Vngaris opportuno tempore, legatos misit. Et tum quidem imperii principes conventum Spiraee agebant, quo iam missa altera legatione, opem atque auxilium adversus Turcam implorabat, qui iam in regni fines, succinctus maximis copiis, atque ad omnes belli usus ingenti telorum et tormentorum vi, omnique bellico apparatu irrupisset; cuius legationis idem exitus fuit, principibus negantibus et civitatum legatis (Caesar enim longissime tum in Hispania aberat), per religionis discidium, quo tamquam exorto incendio universa Germania flagrabat, licere exteris auxilia mittere, quibus ipsi, ut numquam alias magis indigerent. Neque legatorum miserabilis habitus; neque oratio apta tempori, quod tamen non disertore oratore, cum res satis per se loqueretur, sed qui tantum fari posset, indigebat; non malorum metus, quae male succedentibus rebus Ludovico, Germaniae impendebant; non religio, non pietas, quae unam, atque eandem causam communem Vngaris Germanisque efficiebat, potuit aut mitius, aut benignius responsum extorquere, non magis quidem inter se, propter diversas de religione sententias, quam ab Vngaris propter eas causas, quas alibi commemoravimus, dissidentibus. Sub exitum comitiorum tamen decreta auxilia, sed, ut appareret, videri voluisse opem ferre, quod ad declinandam invidiam satis esse crederetur, re noluisse;

eodem tempore, quo iam Solimanus magno proelio victor in Vngaria debellaverat. Neque in tanto regni discrimine, in quo totius Christianae reipublicae salus vertebat, plus perfugii in Carolo Caesare fuit, Clemente Pontifice et exterorum aliorum regum arma, et Venetorum, atque Italiae universae in eum concitante; immemore eorum, quae tam prolixè atque amanter Ludovico pollicitus, a salutari consilio Sigismundi patruï, cum Turca inducias paciscendi, Vngaros averterat. Qua de re Caesar ad Imperii principes Spirae agentes litteras dederat expostulationum plenas de Clementis inprimis in se iniuriis, quas graves atque acerbas nullo suo merito sibi illatas querebatur; cum unus sibi impedimento esset, quominus prolabenti Vngariae regno hostilibus armis (quas partes sibi sumeret, qui summam christianam rempublicam suae fidei mandatam agnosceret) auxilium afferret. Neque se deprecari ait, quominus de his, indicto more maiorum legitimo concilio, quo se provocare a Pontifice affirmat, patres cognoscant, a quorum decretis et sanctionibus numquam sit discessurus. Ac missi ad Franciscum Regem legati, illi redegisse in memoriam dicuntur, quae ille verba usurpare solitus esset, cum in Insubribus ad Carolum V. victorem in Hispaniam adducendus captivus, arctissima custodia asservaretur: ubi dei immortalis beneficio libertati restitutus esset, nihil se prius facturum, quam ut in Vngariam conversis armis, cum Ludovico Rege viribus iunctis, Turcae communi hosti bellum inferret. Id vero illum, et praesenti Ludovici oratori, et per eum ipsum litteris Ludovico eo tempore curasse significandum, graves habeo auctores. Eam quidem mandatorum summam dicunt fuisse: Dei immortalis benignitate voti damnatum, recuperato re-

gno florentissimo, cuius immensis opibus celsiorem animum gereret, magnificentissimo pietatis titulo insignem regem, has partes praecipuas sibi sumere aequum esse, ut magnam in praesentia oblatam occasionem pietatis suae in Christianam rempublicam testificandae induceret animum amplecti, maiorum virtutem et animi magnitudinem aemulatus, qui partum insignibus meritis (*nomen*) Christianissimi posteris haereditarium reliquissent. Animum verae laudis et gloriae appetentem, cuius semper Franciscus Rex avidissimus fuisset, non a fortuna solum ostentatam occasionem decere amplecti, id quod multorum esset, sed undique studio acerrimo captare, quod eius unius esset, qui a natura insitum virtutis studium omnibus artibus excoluisset, quae dignae magnis regibus haberentur, cum quibus pietatis laude certare sibi pulcherrimum ad posteritatem a prima sua adolescentia duxisset. Ac si vetera repeterentur, vix ferendum videri, Vngaros Gallorum consanguineos in extremo discrimine positos Francisci Regis tanti opem atque auxilium desiderare. Armis Turcarum, aequo animo spectante Francisko Rege, nobilissimum regnum opprimi; in quo quidem augustissima Gallorum suboles, duo Caroli, postremus Ludovicus floruerit, qui idem Polonorum Rex, omnes suae aetatis maximos ac potentissimos reges, gloria rerum gestarum, sed multo magis sapientiae fama, animi magnitudinis, iustitiaeque anteisset; non miserum et funestum magis Vngaris, quam si fas esset vera loqui, probrosum Gallis, posteros existimatu-  
ros; quorum iudicium quo minus contemnendum videretur, a studio atque odio esset abfuturum. Sed et ea ipsa irrita legatio eundem exitum habuit; nihil enim facilius, quam eius religionis oblivisci, quam una fortuna,



aut laeta aut adversa, moderatur; unde illud vulgo usurpatum, periculo perfungentes homines, numen, per voti nuncupationem implorare, et numinis et voti oblivisci simulatque sint periculo perfuncti. Cum Burzio Clementis legato fere eadem Rex egit, quae legatis Romam decedentibus in mandatis dederat, cum de auxiliis tum de pecunia ad sacrum bellum decernenda, cuius ille usum potiozem habebat viribus adversus Carolum Caesarem instaurandis, quam sublevandis Vngaris; quae praepostera ambitio urbi Romae ultimo exitio fuit. E sacro argento placuit sumi dimidiam partem, eius rei administratione tradita Ladislao Macedonio Quinqueelesiensi episcopo, cui, ob summam integritatis et innocentiae opinionem, in magnis rebus fides a Ludovico habebatur. Hinc datum negotium Nicolao Gerendio, ut flando cudendoque argento animum cum cura intenderet, et quidem legato Pontificis praesente: qui sibi caveri volebat, inde conflata pecuniam usui tantum ad bellum fore, magis id quidem sedulo, quam aut pro cetera calliditate prudenter, aut pro ratione praesentium temporum benigne ac prolixè, tanta belli procella extorquente, ut si fieri posset, ea ipsa, quibus alitur hominum vita, in argenti vim naturamque converterentur, ne deessent Vngaris, quibus uterentur ad bellum, non pro Vngariae regno solum, sed pro salute totius Christiani imperii amentibus. Pari cura regii quaestores, tum a pontificibus et sacerdotum collegiis, tum a liberis civitatibus, a Saxonibus inprimis, pecunias ex censu exigebant, qui e superiore Germania oriundi, Transilvaniae partem feracissimam incolunt; a Iudaeis aliquanto acrius exactum, quibus ut minus parcerent, et belli ratio, et religionis diversus cultus efficiebat, cuius odio favere

Turcarum victoriae credebantur. Hinc collecta ingens pecuniae vis, ut si praesto essent qui nomina profiterentur, militum delectum habenti stipendii facultas non deesset. Quae dum cura acerrima administrantur, tum a Scepusio e Transilvania, tum parte diversa a Tomoreo alii nuncii afferuntur, a Solimano praemissam copiarum partem iam Savum annum traductam, frementibus peritis rerum hominibus, et patriae amanti- bus, tantam subito vecordiam occupasse regionum animos, ut paterentur hostes, ludibundos et per otium exercitum transmittere, cuius transitu non magna equitum ac peditum obiecta manu poterant prohiberi. Neque tantum flagitium, accuratius ad Dravum administrata re, oblitteratum; quod eo acriore studio erat agendum, quo maiore cum inertiae infamia erat ad Savum offensum, quem quidem quando hosti transire, Vngaris quiescentibus, licuisset, ne pertinacia in flagitio, praeter incommodum graviolem nomini labem infamiae adderet, erat laborandum. Quid vero foedius, quam armato occurrente et prohibente nemine, cum in eo de summa rerum ageretur, duos annes, quibus munitissima ab ea parte Vngaria crederetur, hostes, ne uno quidem e suis desiderato, copias traduxisse? His tamen Rex, ut par erat, commotus Ezechum, quod oppidum est situm ad ulteriorem Dravi ripam, firmari praesidio iubet, arbitratus Solimanum, quod illic amnis, ripis in arctum coeuntibus, facillime potest ponte iungi, transitum tentaturum: quae illum coniectura minime fefellit. Nam et Vngari eodem loco, copias superiore bello traducturi, quas Belgradum ducebant, loci opportunitatem secuti, pontem exstruendum curarant. Sed optimum consilium, cuius ubi maturius rem sibi agendam statuerent, ingens erat operae pretium

futurum, eadem negligentia corruptit. Regionis periti, haud dubiis adducti coniecturis, magnam olim urbem, qua situm Ezechum oppidum est, fuisse putant, cuius nonnulla adhuc vestigia supersunt. Ergo qui locum praesidio tueretur, Stephanus Bathorius Palatinus delectus, qui tum pedibus aeger, apud fratrem, impar tam salutari consilio expediendo, in oppido haud ita procul a Dravo agebat. Sed ea omnia, quae, ut numquam alias, acriore cura administrari oportebat, eodem, quo cetera reciderunt: neque enim eadem animi alacritate, qua Ludovicus falsus a suis rem agi sperabat, milites ad signa convenerant, quorum erat praesidio oppidum defendendum; cum alius alia caussa obiecta, aut animorum contumaciam detrectando Regis imperio, aut ignaviam refugiendo a bello, quod magni discriminis futurum haud dubitabant, praetexere conarentur. Qua re Bathorius animadversa, animi magnitudine superata morbi vi, ad Regem proficiscitur, atque acriter inprimis, et vehementer de militum tarditate et socordia queritur, quam ne imminens quidem ultimum patriae discrimen disiiceret, letali somno sopitis torpentium animis. Ac ne quando videretur, quae sua culpa esset aliorum facere, apud Regem mansit, cum eo ipso et suae, et maiorum virtutis memor, bello gerendo interfuturus. In hoc statu cum Vngariae res essent, dicitur Regi a studioso sui homine, quod ut crederet, multis sedulitatis et industriae officiis (nomen non traditur) facile erat assecutus, salutare consilium, nisi subessent insidiae, oblatum: Quando non ita esset facile factu, ut celeriter Transilvanorum et Transalpinorum copiae, cum suis coniungerentur, id quod maxime reipublicae usus postularet; Scepusium moneret, sub cuius signis militarent, ut eodem tempore,

quo ipse cum hoste manum consereret, eum vestigiis subsecutus a tergo adoriretur. Ita Solimani exercitum, magis turba hominum, quam robore militum nitentem ancipiti malo, quod sperandum esset, circumventum, nulla spe effugii reliqua deleri brevi momento ad intercessionem posse. Sed aliud multo certius consilium, cuius dicitur Scepusius auctor, certe quod, ut minime contemnendum videretur, et ratio tueretur, et summorum imperatorum exempla illustria, qui eo usi, magnos saepe proventus in re militari fecissent, uti ad avertendam tanti belli molem ab Vngarorum cervicibus, quibus in nullius auxilio salutis spes reliqua erat, Rex Scepusium cum Transilvanorum copiis, quibus praeesset, finitima Thraciae invadere, exurere agros, oppida vastare, depopulari omnia iuberet. Ita fore, ut Solimanus, ne subiecti populi suo imperio iis cladibus afficerentur, quas ipse esset Vngaris illaturus, infecta re, quod dedecus quin admitteret effugere non poterat, iis auxilio iret; quod quidem ubi accideret, praeter ceteras belli opportunitates, satis spatii Ludovico relictum iri ad ceterorum auxilia exspectanda, quae propediem dicebantur ex Boemia, Austria, Moravia ad futura. Et consilium quidem placebat (optimum enim esse ratio vincebat), ab eo allatum, cui omnia hostium consilia cognita credebantur: sed auctoris suspecta fides, etiamsi minime de ea esset dubitandum, quominus Rex assensus sibi utendum statueret, efficiebat. Verisimilius est, simulata ad tempus fidei suspicione, quae de tanto viro nulla in magno regni discrimine poterat haberi, tectum regionum odium, qui nollent Scepusium ex servati regni gloria crescere, ubi, quod sperandum erat, ex illius consilio bene gesta res in unius quem odissent gloriam verteret. Quae quamquam

ita essent, non ausus Rex plane improbare prudentiorum hominum auctoritatem, quorum sententia a Scepusii non abhorrebat, adhibito in consilium Strigonien- sium Pontifice, quo inconsulto nihil seriae rei agi placebat, cum appareret, et tutum consilium esse, et si regii duces impigre inceptam rem exsequerentur, haud dubia spes esset, quin aliquid, ut in imparatos et nihil huiusmodi timentes, operae pretii essent facturi, rem nemine non approbante, mature in Transilvaniam ad Scepusium scribi iubet, dato illi negotio, ut communicatis consiliis cum Urbano Batthiano, qui cum mandatis ad Moldavum mittebatur, id ageret, quod esse e sua fide atque e republica duceret; magnam quidem spem esse, cum Transalpino viribus coniunctis, cuius erat fides in primis regiis probata, in provincia, quam nullum praesidium firmaret, aliquid, quod ad belli summam conduceret, explicaturos. Sed neque pro Regis expectatione res acta, et Scepusio properanti iniecta mora, quominus in tempore laboranti Regi in ultimo discrimine, cum Transilvanorum copiis adesset.

Iam dies praeterierat, quo die a Rege edictum erat, ut armati milites Tholnam convenirent, quorum nemo adhuc (tantus omnium animos stupor occupaverat) adveniebat, ferocia illa, et suam, et suorum spem deficiente, quo maxime tempore patria posecebat, qua belli victoria, et opulentissimarum gentium de victo hoste spolia, inter pocula praecipiebant. Itaque aliquanto aequioribus animis exaudiebantur virorum fortium, tum iustae, tum vehementes et graves expostulationes de praesenti Vngariae statu, et quidem magna cum eorum invidia, qui praecincentibus ea mala, quae iam iam instarent, superbo et contumaci animo vim

omnem consilii obruente, parere recusaverant; requirebant enim, quo repente abiissent generosi illi spiritus, quo illa animorum vis, quo superbae illae minae, quo tanta illa hostium contemptio, qua turpi assentatione sibi ipsi blandientes, dicerent, ne primum quidem Vngarorum congressum signa explicantium barbaros hostes laturos. Non ea fuisse priscorum Vngarorum ingenia, non illas artes, ut magnificis verbis, in conviviis, inter pocula et vinum, exercitus delerent, urbes excinderent, arces solo aequarent; in gerenda re. adversus armatum hostem, animos gynaeceo praestarent quam bello aptiores; otium et umbram, non pulverem, non solem, non aciem spectantes. Vere Vngaros comprobare generis originem fortibus factis, armatos in acie; non domi socordes verbis ostentare: haberi indignos tam illustri titulo, qui degenerantes a contestata virtute maiorum, nondum classicum canente hoste, refugerent a signis, quo quidem excitarentur ad decus virorum fortium pectora; pavore et formidine segnes atque inertes consternarentur; quibus unus vitae finis communis cum bestiis propositus esset, ut ea appeterent, quae sensibus suavia essent, ea aspernati, quae hominis propria \*) ad spem certam immortalis vitae animos recte sibi conscios efferrent. Haud eos Vngaros habendos, qui non magnitudine periculi, in quo verteret omnium salus, non ob oculos obversanti patriae interitu, non maiorum exemplo, atque aemulatione fortissimorum hominum, commoverentur, ut liberi fato mallent in acie defungi, quam mancipia barbari hostis tristi servitio infamem vitam quotidie

---

\*) Innen a következő 177. lapon álló csillagig hézag a Pesti Codexben, pótolva a Bécsiből.

centies execrari, quam quidem qui vere Vngari essent, sibi statuerent morte redimendam. Quanto illos vero beatiores, qui freti magnitudine animi, cadere in acie armati, quam servituti turpissimae vitam addicere, patriae pectora devovere, quam spectare incendio absumptam, direptas, incensasque urbes, ingenuos pueros, virgines, matronas nobilissimas in servitutum abductas. Foedis voluptatibus addictis hominibus non posse facile persuaderi, ut vitam per immanem licentiam in omni vitiorum coeno volutatam, postulanti patriae redderent, quam vellent, nollent, natura lege inexorabili, saepe fortuna cum dedecore et infamia ab invitis extorqueret; patriae, maiorum, sui immemores, desides domi in hominum corona ostentarent nomini inustas ignominiae notas; quas non in umbra maiorum meritis, sed in acie, per honesta vulnera suo atque hostium sanguine, elicere liceret. Imploratam spem patriam extremo casu, malle praedam fieri Turcae hostis, perpetua sua cum infamia, quam cum spe immortalitatis sibi incolumem et posteris servari, bellum animi magnitudine et digna virtute maiorum fama capessentibus. Quid vero exploratius esse, quam, si quid durius accideret, eundem patriae atque eorum, a quibus prodita esset, interitum futurum. Regis imperio parere recusare vocantis ad tuendam patriae salutem, non Vngarorum esse, sed patriam hosti Solimano proidentium, cui minime dubiam victoriam, non prius arma et tormenta, quam eorum nequitia et scelus, qui in Vngaria rebus praeesent, portenderent: Regis enim nimia indulgentia emollitos, etiamsi vellent emergere e voluptatum sordibus, et animos suscipere maioribus dignos, haud posse; expectandum scilicet, ut armatus in acie Rex, obiecto capite hostium telis,

Vngaris, qui se Martis milites iactarent, liberi patris verius, rubores turpes eliceret, et ad capienda arma, tum cum futura nulli usui essent, stimulos adderet. Atque haec illi quidem, Solimanus cum copiis Savum transgressus, omnibus, qua iter faciebat, incensis ac solo aequatis, Varadinum Petri, quod oppidum ad Danubium situm, post Belgradum amissum, Vngariae propugnaculum habebatur, summis viribus adortus, oppugnare eodem tempore terra pariter et qua fluens amnis oppidum praeterlabitur, instituerat. Cuius rei nuncio accepto Rex, quamquam undique sua spe frustratus, cum neque a suis auxilia adessent, quorum maxime expectatione tenebatur, neque ab exteris, quos a cura Thracii belli accersebant Christianorum regum arma, dignitatis magis suae quam salutis memor Buda movit IX. kalendas Augusti, Tholnam secundum Danubii ripam militem ducturus, nondum amissa spe, suos, uti edixerat, (*adventum non*) dilatare in longiorem diem, armatos occursuros. Iam antequam Buda moveret, mutato consilio, Stephanum Bathoreum Somliaeum, magnae auctoritatis hominem, cuius nunc Stephanum filium Polonorum gentes regem venerantur, ad Scepusium in Transilvaniam miserat, datis aliis mandatis, quorum summa haec erat: Quod non perstaret in suscepto consilio invadendi Thraciam, quod optimum esse belli ratio ostenderet, quod esset adversus Solimanum hostem gerendum, nihil illum mirari oportere. Etsi enim sperandum esset, urentes et populantes Vngaros hostium agros a suorum cervicibus belli vim depulsuros, longe tamen abesse facultatem tam salutaris consilii expediendi; consilii mutationem, cuius causa non in hominum voluntate, sed in fortunae inconstantia posita esset, non videri merito reprehendendam,



ubi quo ratio duceret , quam hominibus praeire ducem ad agendum aequum esset , sequeretur. Non se regia auctoritate, non maiestate nominis atque imperio, non exemplo suos movere potuisse , ut hoste barbaro iam in regni fines ingresso, qui tela iugulis intenta ad omnium exitium ostentaret, a terrore collectis animis, inducerent arma. Iam Savum traducto exercitu, Petri Varadini arcem oppugnare, quae minime tamen diu ferre tantam vim posset, quidquid illi munita esse, et loci natura et operibus adversus vim omnem diceretur. Se Buda movisse vix tribus millibus equitum et peditum secum assumptis, quorum magna pars a Strigoniensi, et a Maria Regina essent conscripta, haud satis digna cohorte, quae Vngarorum Regem, si prisca maiestas imperii magis, quam praesens fortuna spectaretur, venatum euntem comitaretur. Iubere, cum iis copiis, quas collectas in praesentia haberet, omnibus aliis damnatis consiliis, quae inutilia hostis celeritas, et suorum cunctatio efficeret, primo quoque tempore ad se properare. Si pietas erga patriam, quam non semel periculosis reipublicae temporibus suis probasset, si cupiditas verae gloriae generosa pectora moveret, si nominis, hominum existimationis per illustres honorum titulos ad posteritatem propagandae: eam occasionem nunc offerri, ut qui eam non agnosceret, eum ne agnoscere quidem videretur, quae vera esset pietatis laus, quae gloriae, nominis, existimationis hominum, viro forti expetenda. Non sibi monendum Scepusium, non adhortandum statuisset, ne tanto viro iniuriam faceret, qui captare occasionem, nedum amplecti oblatam, declarandi suum studium et pietatem erga suos, consuevisset. Atque haec quidem ad Scepusium scripta, nulli usui futura, obstantibus fati Vngarorum saluti, quae

mentis vim, et consilii, ut omnia praepostere atque incondite agerent, regiis ademissent. Ominis loco acceptum ferunt, quo die Rex Buda movit, generosum equum, qui omnium illi carissimus ferebatur, repente mortuum concidisse, cum equus validis viribus et vigentibus, ac firmissima corporis constitutione esset, ut nulla mortis iusta caussa haberetur. Hinc Ludovicus, cum Erdy, qui erat pagus in Ambrosii Sarcani ditione, nequidquam aliquot dies substitisset, et destitutum se ac proditum a suis non graviter minus, quam vere quereretur, ad Erchium pagum, non ita procul ab Erdio distantem, progreditur, cum praeter eandem militum manum, qua erat ex urbe regia profectus, nemo eundem sequeretur. Hinc eadem spe incertum consilii ludificante, atque anxium de belli eventu, quem in tanta suorum contumacia tristem sibi ominabatur, aliquamdiu expectatio suorum tenuit, cum neque quid patriae deberent, quid sibi, quid suis in tam sera tempestate republica fluctuante, cogitarent. Affuit ex principibus unus Andreas Bathoreus, adductis secum non contemnendis copiis, cum magno in praesentia regis solatio, tum haud minori usui in gerenda re futuris, si aequae omnes ex nobilitate impositas sibi partes bello administrando impigre praestitissent. Inde Rex Bathoreo, ut par erat, collaudato, ad Penteleum, secundum Danubii ripam ducto milite, processit, oppidum, ut fama est, exstructum Romanae coloniae ruinis. Eo in loco Georgius Badius a Scepusio missus Regem convenit, cuius oratio haec fuit: Non debere Regem mirari, si minus Scepusius, quam illius postulet consuetudo, properanti ad bellum praesto sit, temporum (*in*)constantiam (mandatorum non audere dicere, quae varia ad se multi pertulerint, cui perspecta Re-

gis gravitas virtusque sit) restitisse, quae, ut rerum humanarum ratio fert, crebram mutationem \*) consilii videantur postulare. Litteras primum ad se missas, quibus Rex iuberet, comparatis copiis primo quoque tempore sibi ad bellum eunti occurrere; mox litteras crebros secutos nuncios, qui eadem afferrent. In his Gasparum Horvatum, dapiferorum magistrum; qui hoc ipsum habuisset in mandatis, eum illud adiecisset, ceteris omnibus omissis, quae ante eum diem Rex illi curasset significanda; quod postremum consilium exquisitis suorum sententiis probaret, omnibus sibi praeventendum statueret, cum quidem plurimum a superioribus consiliis variaret. Cum, his auditis, ut par esset, vires nervosque omnes intendisset ad ea comparanda, quae necessaria iter ingredienti essent, brevique esset futurum, ut collectis omnibus copiis e Transilvania moveret: qui haec omnia revocaret, Urbanum Batthyanium subsecutum, qui Regis nomine imperaret, ut omisso in praesentia protectionis consilio, de Thracia invadenda cogitaret, assumptis secum militibus Transalpinis, de quorum in Regem fide dubitari haud posse affirmaret; a quibus tamen nihil subsidii esset sperandum, praefecti fide Solimano obstricta, per obsidem filium, nihil illo rem gerente in Vngaria moturum. Missum postremo Stephanum Bathorium, qui ita de sua protectione egisset, ut quae curasset Rex sibi per Batthianum significanda, mutata sententia, revocaret. Quod tamen ipsum egisse satis perplexo, certe non ita aperte, ut quam in partem consilium explicaret, satis haberet exploratum. Se quidem eo animo esse, ut imperanti Regi, pro sua constantia et fide, minime esset in mora futurus, atque adeo quantumvis quae sibi imperarentur, ardua difficiliaque

essent: sed, si se audiret, quando per Transalpiui defectionem, tentare Thraciam parum tutum consilium videretur, statueret sibi utendum Transilvanorum copiis, et regno, et se Rege adeo tuendo; ubi enim Rex esset, illic universam Vngariam haberi; pro cuius salute qui non esset paratus fortunas, sanguinem, vitam profundere, is proditor, patriae desertor, Regis, suorum paricida esset habendus.

Audivit haec Rex soluto omni alia cura animo, ut et Scepusii fides requirebat, et ipsius apertum ingenium certe minime vafrum aut fallax in rebus malis cum id ratio vinceret, „optimum esse habendum consilium, quod longius a pessimo abesset.“ In eo vero Ludovicus sibi constitit, et quidem, quamquam non deessent, qui apud illum Scepusii fidem in dubium vocarent, propter eas causas, quae non semel sunt a nobis commemoratae. In primis illius consilium collaudavit, non fidele solum et profectum ab optimo animo, sed certa etiam ratione susceptum, ne quis de illius fide et prudentia dubitaret. Inde Rex, eodem die Feldvarum progreditur, situm oppidum ad Danubii ripam, ubi Basio iusso in consilium vocari Rex imperat, dies noctesque accelerato itinere properet ad Scepusium redire, eumque ad rem impigre gerendam adhortari. Ita illius consilium se existimaturum salutare sibi et regno Vngariae fore, si ipse in una celeritate positum crederet, ut salutare patriae esset, hoste celerius omnium opinione iam ingresso regni fines, et cum universis copiis ad se contendente. Primo quoque tempore cum his copiis, quas cogere in praesentia posset, se viae daret; obviis quibusque, qui essent ad arma ferenda apti, invitis etiam et recusantibus, nomina dare, et signa sequi coactis; non ex nobilitate cuiquam, non

regiae militiae adscriptis, non ex agrestium numero quamquam militiae vacationem atque emerita stipendia iactarent, parceret; eodem loco omnes habitos, vi coactos atque imperio, nullo ordinis, aetatis discrimine secum adduceret in castra. Haec Basio mandata; illud Scepusio poscente additum, ut litterae ad eum Regis in eandem sententiam darentur, et ad declinandam invidiam, ubi ex Regis edicto severius cum nobilitate ageret, quae negaret, praeter unum Regem, cuiquam se passuram obligari militiae auctoramento, et ad auctoritatem conciliandam, ubi militiae munus ab iis exigeret, qui vacationem impetrassent, aut aetatis legitimam excusationem haberent, quos esse permultos non ignorabat. Ita autem litterae erant scriptae, ut nulla cum exceptione, ut iam diximus, ordinis, aetatis, fortunae, sive quis pedibus, sive quis equo mereret, omnes arma capere, et se sequi iuberet; quo magis ceteri verbo audientes essent, duci indulgentius atque ambitiosius Regis mandata exsequenti, eadem dicta muleta, quae Maiestatis convictis irrogari consuevisset. His datis Basio mandatis, quo maior accederet auctoritas, cum eo ad Scepusium Ioannes Statilius mittitur, vir cumprimis integer et clarus eruditionis atque ingenii laude, cuius erat fidem Rex magnis in rebus expertus. Haec Ludovicus, ut in tantis temporis angustiis, et praesenti animo pariter et maturo consilio, adversis quidem urgentibus Vngariae fatibus, sed non aequè, ac suorum animis infestis: dignus vero Rex, qui ingenio obsecutus, quo ad honesta quaeque sua sponte propendebat, aut melioribus imperaret, aut sapientioribus pareret; certe, quod illi aequi, atque iniqui tribuunt, nulli maximorum regum futurus secundus, si illi, ut a natura animi vis atque ingenium, ita sapientium consilium affuisset; quod non semel nequidquam tentatum,

aetate vim consilii non admittenti, aut fortuna aut fati inclementia negavit. Nondum Statilio cum Basio profecto, alii subsecuti nuncii, qui ferrent Petri Varadini arcem a Solimano in potestatem redactam, nostris cum fortiter atque industrie aliquamdiu arcem defendissent, fere ad unum interfectis. Solimanus enim aliquamdiu frustra tentata deditioe, cum maiora tormenta admoveri iussisset, ita vetustate corruptum murum crebris ictibus labefactarat, ut eo prolapso et deiecto, nuda propugnatorum virtus suo robore in extremo salutis discrimine vigena, hostibus esset admirationi, in vestigio, timoris nullo edito signo, morientium. Ea arce potitus Solimanus, Vilachum victorem exercitum duxerat, simul a flumine impositis in navibus idoneis tormentis simul a terra arcem oppugnaturus. Quibus Rex auditis, ut in tantis malis satis forti animo, cum male gestarum rerum nuncii ad suos excitandos pro aculeo essent, properare Basium et Statilium in Transilvaniam, alios ad Georgium Scepusii fratrem, qui circiter quinque hominum millibus conscriptis ad Albam Regalem consederat, ad Franciscum Bathianum alios, Croatiae praefectum, alios ad Christophorum Frangepanem primo quoque tempore ire, et urgere atque impellere adeo ad profectionem iubet. Missus eadem diligentia Budam Ladislaus Macedonicus monitum Reginam, uti ad Austriae praefectos idoneos homines mittat, qui doceant, quanto in periculo Rex atque unversa Vngaria versetur: simul hortentur, si minus vicini Regis incommodo moveantur, at sua causa, ad quos, Vngarorum regno belli incendio absumpto, continens belli flamma sit perventura, excitentur, atque omni praecisa mora, auxilia mittant, quae a Ferdinando fratre sint Regi desponsa. Inprimis agit de sollicitandis Boemis ad

profectionem, cum, qui Regi ex syngrapha a civitatibus debebantur, tum iis maxime, quos Rex privato aere usus Mezericii opera conductos habebat. Iam et Thomas Nadasdius, quem Ludovicus ad Ferdinandum Spiram legaverat, crebris litteris iussus erat et eum ipsum Ferdinandum et Carolum fratrem adire, ac quibus angustiis laboraret Vngariae regnum, inprimis Ludovicus Rex, docere: destitutum omni alia spe auxilii, desertum, proditum a suis pariter atque ab exteris, hosti potentissimo eidem atque infestissimo, qui ducenta hominum millia adversus Vngaros duceret, per quorum exitium aditus inhiantis orbis imperio ad invadendam Christianam rempublicam universam aperiretur. Ad eum Ludovicum Regem, quod infimo loco nato homini miserum ac calamitosum esset, tendere supplices manus, quem nisi sanguinis coniunctio, arcissimum affinitatis vinculum, communia sacra, religio, Christianae pietatis sanctissima iura moverent: at periculi metu, quod certa rerum serie a devicta Vngaria vicinam Austriam maneret, moveri par esse; unum quidem Ludovico superesse decus, quod viventi adhuc sibi magno solatio esset, ut gloriosa morte defunctus, se oculis subtraheret superbi victoris, qua sua clade, nullius umquam victoria clarior maiorum memoria fuisset, nulla esset futura. Nam et illud consecuturum se, quod sibi ad posteritatem fore gloriosissimum speraret, ne eversi regni, olim totius Europae florentissimi, nullo suo, magno cum Christianorum regum dedecore, Ludovicus Rex esset superstes. „Ultimum vero malorum omnium credere sibi viros fortes impendere, ubi contumeliae insolentes, vitam rerum omnium amabilissimam cogarentur odisse, quae pressa tristi servitii iugo careret honestate.“ Quod cum

omnibus proprium a natura esset, tum eorum maxime debere videri, quos summus in terris honos, et regia maiestas ad decus pariter atque ad contumeliam redderet insigniores: unum pro sua pietate animi aculeum et morsum non posse effugere, quem mente revoluens, totus horreret ac contremisceret, non videre summos reges, et qui christianae reipublicae columen velint haberi, Vngarorum exitium, initium malorum futurum, quae Christianae reipublicae universae impendeant, desertoribus iustior poena proditae patriae hosti immanissimo, neque illa tamen, pro eorum scelere gravis satis, quorum culpa tam foedum vulnus sit acceptura. Vtrumvis autem horum esse dolendum, sive haec Christiani reges ignorarent, sive imminetia minus vererentur, cum cognita explorataque ea haberent: quorum in altero inesset argumentum emotae mentis et stupentis ad domestica mala; in altero immanis atque execrandi sceleris, per Christiani orbis excidium privatas similtates atque inimicitias persequentium. Eadem iussus Nadasdius privatim principibus demonstrare, vir cum alias semper suo ingenio disertus, tum ut abesset vis ingenii, quem sensus malorum patriae imminentium disertum efficeret: qui tamen nihilo illos acriores, quam qui superioribus legationibus erant functi, invenit.

Quae dum apud Regem geruntur, Tomoreus, circiter duobus peditum millibus assumptis Petri Varadinum nondum ab hoste oppugnatum contendit, e re ipsa facta coniectura, Solimanum ob loci opportunitatem eo copias ducturum, recte arbitratus nihil retro callidum hostem relicturum, quod in medio belli ardore rem gerenti esset in mora. Ita optimo consilio, qui arcem tuerentur, mille e suis praesidio relictis,



ipse cum reliqua militum manu Danubium traiecit, ab ulteriore ripa, transitum hosti, navalibus copiis, quas haud contemnendas contraxerat, infestum factururus. Interea Rex Feldvaro movens, propter Danubii ripam exercitum ducendo, Pachos, atque inde Tholnam progreditur, ita auctis copiis, ut, quod referre pigeat, equitum quatuor millium numerum, aut paulo amplius explerent. Occurrit palatinus Tholnam Regi ingredienti, quo fuerat praemissus, cum Rex adhuc Erchii castra haberet. Huc pudore vincente metum nonnulli e nobilitate, cognito Regis adventu, ex citerioris atque ulterioris Vngariae provinciis, quos comitatus appellant, frequentes convenerunt: In his Georgius Scepusius equitum trecentos mille, et ducentos pedites adduxit: Hannibal Carthaginensis cognomine, parem fere peditum numerum, qui ex sacra pecunia conducti, et missi ad Regem subsidio ferebantur. His accedebat Italarum militum manus, quos delectos e iuventutis robore Clemens Pontifex miserat, tum iuventae flore, tum militari ornatu maxime conspiciendos, ad mille quingentos, quibus Leonardus Gnoscius praererat, vir praeter cetera militiae decora, locandorum castrorum, ut ferebatur, imprimis peritus. Iam et ex Vngaris praeterea frequentes affuerunt, nobilitate et magnitudine animi clari homines, Paullus Vardaius Agriensium, Franciscus Perinius Varadinensium pontifex, tum eiusdem ordinis alii complures, atque illos aemulati ex nobilitate permulti, quos singillatim enumerare haud necessarium duximus, dignos quidem eo maiore laude, quo patriae salutis magis quam suae memores, volentes et scientes ad bellum ibant, cuius propter praesentem regni statum haud laetiores eventum sibi, quam qui secutus est, divinabant futurum.

Agebatur interea in frequenti Regis consilio de transitu Dravi occupando, iam ab hoste Savum copiis ductis, ut arcibus castellisque omnibus, quaecumque sunt ad Danubium sita, aut dirutis aut incensis, praeriperetur illi commeatum facultas. Nam proxime Vila-chi arce occupata ducere Ezechum dicebatur, qua commodissimum esse Dravi amnis transitum superius commemoravimus, id quod ne accideret, omni ratione erat providendum. Ita qui castellum occuparet, simul prohiberet transitu hostem, Palatinus eo cum copiis mittitur, iussis e nobilitate praecipuis quibusque cum iis militibus quos secum adduxerant, eum ducem sequi. Quod quidem magna cum offensione auditum, paene in castris seditionem ingentem excitavit, palam multis frementibus, a Rege nobilitatis iura et maiorum instituta violari, quibus stantibus nemini umquam licuisset, ne Regi quidem, adeo nobilem hominem cogere sub cuiusquam signis militare, cum eo ipso semper in bello merere assuetum. Indignam rem et minime ferendam, confundi civilia iura; tolli discrimen ordinum, nobilitatis insignia, principem inter suos locum, titulos, honestiores militiae ordines, quae posteris maioris virtutis praemia, et in patriam pietatis, maxima reliquissent. Non metu se urgentis mali deterreri: didicisse a maioribus hostibus ultro obviam ire, aequo iniquo loco pugnare, inferre signa, opponere pectorum roborum infestis armatorum agminibus, vitam, quae natura mortalis sit, pretium immortalitatis facere. Id unum non posse pati sibi imperari, ut cuiusquam signa, praeter regia sequantur, qua in re non de sua dignitate solum, sed de Regis etiam constantia agatur. Nobilitati semper superiores reges praecipue indulsisse, et ad eum diem Ludovicum maiorum auctoritatem se-

cutum ; diserte certe maiores legibus latis cavisse, ne qui eius ordinis esset, sub cuiusquam signis cogere-  
tur militare. Hoc maximum semper fuisse regum de-  
cus, ut qui amplissimo ordini cum potestate praeesset,  
idem Rex, idem nobilitatis dux, quemadmodum di-  
ginitate, ita re gerenda princeps, adversus hostem prae-  
sens gereret bellum : hoc fuisse solatium, hoc prae-  
mium laborum, quibus nobiles homines, domi militiae-  
quae fungerentur, ut unum agnoscerent Regem, cuius  
imperio parerent, sub cuius signis militarent, cuius  
ductu atque auspiciis rem gererent : cum aliis, quan-  
tumvis potentia opibusque excellerent, in eadem aequa-  
bilitate pares continerentur : hoc ius, hoc fas postulare,  
ut cuius liberalitate et munificentia partum a maioribus  
locum multis commodis atque honoribus aucti tuerentur,  
pro eius salute, dignitate, imperio, ad arma ire, stare  
in acie, excipere vulnera adverso pectore, mortem oc-  
cumbere non dubitarent. Quam constantiam eo aequius  
esset eos praestare, quo magis intelligerent, cum re-  
gis salute, totius regni, cum omnium exitio unius exi-  
tium et ruinam esse coniunctam. Haec quamquam  
a turbulentis hominibus nobilitatis tumore inflatis, con-  
tempta maiestate regii imperii iactarentur, et res ad  
seditionem spectaret : viri graves et periti rerum, qui  
quorsum tenderent tam importunae voces non igno-  
rarent, inani ambitione furentibus ire obviam non du-  
bitabant, cum quidem clientium manu circumfusi, qua  
vehementius seditio orta exardescens in apertam vim  
eruptura videbatur, non esse ea reipublicae tempora  
dicerent, ut quae certa essent nobilitatis iura, quae  
maioribus immunitates a superioribus regibus, quae  
militiae vacationes datae (quae disceptatio forensis  
operae, atque otii esset) viris fortissimis, quibus mos

esset pro patria, forti atque alacri animo rerum omnium aleam subire, disquireretur; quorum omnium discrimen hostis, qui in vestigiis haerens iugulis omnium haberet intenta tela, sustulisset. Vngaris unam esse militiae vacationem, ubi aetas annis gravis vires, aut morbi vis debilitaret: quamdiu vires vigerent, nullum vacuum tempus a gerendis rebus, a perfungendo officio, a bene merendo, cum de aliis omnibus, tum de patria, ac de suis civibus dari. Neque vero usquam maioribus, quorum aemulari virtutem posteros aequum esset, sub cuius signis militarent, cogitare venit in mentem: sed pro quorum imperio, salute, libertate, ut quemcumque ducerent militiae ordinem, quamquam infimus etiam esset, sibi honestum, dum fortibus factis dignos se maioribus honestioribusque ostenderent, censerent; longe ab eo abessent, ut honorem sibi aut ab ordine, aut a loco, aut a ducis nobilitate, modo ille virtute et altitudine animi munus quod gereret aequaret, spectandum arbitrarentur. Honestam quidem munera regum esse, quibus bene meritos de republica homines impertirent, quaeque virtutis ornamenta, non fortunae haberentur; sed multo honestius iis nolle uti ubi reipublicae tempora postularent, quae neminem eximeret a pietatis munere patriae praestando. Ita enim reges indulgere suis, immunitates dare, remittere de summo iure, ut eorum indulgentia parce uteretur vera virtus et patriae caritas, quae nullius imperio cessare a bene gerenda re, et quae praeclara essent, ultro agere consuevisset. Ferocem hostem, elatum successu instare, qui postulareret a seditiosis hominibus, ut quam ferociam ostenderent domi tuendo privato iure; in acie pugnando, feri-

endo hostem, vulnera, mortem contemnendo, mandata, reipublicae munera impigre obeundo, praestarent; ita statuentes, gloriam et nomen, cuius iactarent cupidos esse, contemnendo, non ferociter, contumaciterque ambiendo se adepturos. His virtutibus tueri debere nobilitatis iura, qui maiorum recte factis partam domi segnes otiosique ostentarent: a quo longe abessent vere Vngarorum ingenia. Militem decere, si de iis disceptandum esset, pro foro castra, pro iudice armatum imperatorem, qui pro cuiusque merito de his pronuntiaret, agnoscere; eos vere nobiles iudicaturum, qui robur, fiduciam animi, vim, adversus hostem in pugnam afferrent. Virtute et magnitudine animi, qua freti maiores, dignas res immortalitate gessissent, non litibus et iurgiis, qui vere nobiles essent, qui parum digni maiorum gloria, diiudicandum. Ita posteros haereditariam nobilitatem per manus a maioribus accepisse, ut discerent eorum exemplo, „ubi conspicerentur regia signa, ibi Regem esse; ducibus parere, cuiuscumque illi ordinis, loci, fortunae, Regis personam referrent: non esse suum de his, sed horum de se iudicium: militis esse partes, praesto esse duci, ad accipienda imperia, in expeditionem ire, obire vigilias, contra hostem pugnare, in castris sedatos animos, feroces in pugna ostendere.“ Neque vero eam esse causam recusandi Regis imperium, quam videri vellent, sed quibusdam quasi involucris tectum timorem, natis Vngaris indignum, quem dissimulare, tegentes inanibus nobilitatis titulis haud possent: „Raro vero timidos non persolvere, quas fugerent, poenas“: neque enim minus vere, quam eleganter dictum: „Mortem fugaces persequi, nec parcere imbellis iuventae poplitibus timidoque tergo.“ Quanto vero speciosius, ut Varadinenses propugnatores paulo

ante, ut alii multi, maiorum memoria, mortem pro patria pugnando, quam domi inertis otio consenescendo, obituros?

His prudenter, et copiose, ut eius temporis angustiae postulabant, studiosi Regis homines refutare nobilium hominum importunam petulantiam, ortum tumultum seditiosis vocibus alentium conabantur, nequidquam de communi salute solliciti: qui tamen obfirmatis animis pertinaciter in suscepto consilio perstiterunt adversus horum voces verissimas. Ita Rex sive suorum contumacia, sive, quod vero propius est, dei immortalis decreto inexorabili, cui non poterat obsisti, omisso in praesentia consilio de hoste transitu arcendo, quod unum rebus omnibus praevertendum erat, ducere Mohatium militem constituit, ignobilem locum, et obscuri nominis, insigni sua et suorum clade nobilitaturus. Minime visum est hic silentio praeterire, quod iratus Rex frequenti senatu dicere auditus est, cum haec ipsa nobilium caussa ageretur: referam vero eadem verba fere, quae Brodericus gravis auctor ex Regis ore excepta litteris mandavit. Video, inquit, unumquemque vestrum capitis mei periculo securitatem sibi et salutis spem quaerere: quod quando visum est, ego vero lubens, et personam, quam gero, et vitam simul, quae mihi vestra caussa carior est, pro vestra salute sum in omne fortunae discrimen obicere paratus, atque hoc equidem, ut vobis quid agendum sit, non oratione magis quam re et exemplo ostendam. Itaque, ne cui vestrum liceat in posterum tam turpi excusatione uti, et praetexere suae ignaviae nobilitatis iura, quae res vestros animos plus aequo angit, neve quid mihi vitio dare, quod parum dignum regis persona sit, cras deo bene iuvante et nostris favente

inceptis, vobiscum ibo, quo pridem mecum vos ire recusastis, superbe in his, quos duces vos sequi voluimus, imperii maiestatem et nostri nominis contemnentes. Quae vestra contumacia animorum est, adversus Regem vestrum suscepta, vos salutaria monentem, ne in vestra capita vertat, neu sit reipublicae fraudi, quam vos decet vestra salute habere cariorem, eum ipsum deum immortalem oro, cui supplicibus votis et iustis precibus placato desertam ac proditam a vobis patriam permitto, quantum vires hominum ferant, non sanguini non vitae parcens, patriae in hoc meae adolescentiae flore, quem illi, ex animi sententia volens et sciens devoveo, affuturus.

Hanc Regis orationem admiratio omnium, miseratione paucorum subsecuta est, quibus ea mala ob oculos versabantur, quae aegre Rex effugere, sine caede multorum posset. Ergo cum ab eo divelli nulla spes esset, frustra iis profectionem dissuadentibus, quibus assentiri magnis de rebus consueverat: postridie eius diei, quo haec acta erant, classico signum profectionis dari et se omnes ad iter parare iubet. Ita Tholna profectus, alteris castris Batham pervenit, pridie eius diei, quo die assumptae virginis in coelum solennia sacra celebrantur. Is dies est XIX. kalendas Septembris. Inde percrebrescente fama de hostium adventu, negotium dat regiis praefectis, ut palatos milites per circumiectos pagos, et per agros dispersos iubeant Batham convenire, mox ad Tomoreum, et ad Georgium Palinam Bosnensium pontificem mittit, qui iis significet, comitia indicta de imperatore deligendo qui Tomorei collega bello gerendo praecisset, quae haberi illis absentibus nolit, et differri ulterius non possint: properent Batham venire, ut praesto Regi sint de sum-

ma republica consulenti. Multos se habere in consilio, quorum aliis usus, peritia rei militaris, ut minime de voluntate dubitandum sit, aliis desit: in quibus prudentia, et fides sit par, perpaucos se habere. Paruit Tomoreus, etiamsi satis gnarus, facilius factu, tanto muneri tuendo aptum, quam qui aptus imperando tam corruptis et depravatis militibus haberetur inveniri, quibus tanta in Regem contumacia impune processisset. Profecto Batham Tomoreo, cum Rex iam per idoneos e suis homines, exploratis militum animis, animadvertisset ingenti consensu in Tomoreum omnes propendere, iam ante de consilii sententia ducem declaratum, cunctis praeteritis, tanta erat de eius virtute apud omnes opinio, ei totam summam belli gerendi administrationem mandavit; ne videretur tamen Rex nobilitatis minus rationem habuisse, dato Georgio Scopusii fratre, id ipsum sua sponte poscenti, imperii collega, qui et familiae amplitudine, et paternis opibus, ut flore ac robore iuventae inter paucos eminebat. Hoc Regis iudicium ut multitudo, quae erat Tomorei tota, magno plausu excepit, ita e nobilitate nonnulli iniquo animo tulerunt; maior enim pars illi suffragata erat, cum ob aliarum virtutum commendationem, tum ob rei militaris scientiam, quam quidem non respondisse hominum opinioni, ubi eius est periculum factum, non magnopere mirandum, eius temporis angustiis id postulantibus, ut cum non esset, qui excelleret et summam teneret, qui proximus esset a primo, pro summo haberetur; verisimile quidem est, ut Rex de suorum sententia huc descenderet, eorum exiguum numerum fecisse, cui recte tantum munus posset mandari periculoso reipublicae tempore, in quo ne leviter quidem peccari sine certa omnium pernicie posset. Sed et ii



ipsi sensim eius facilitate et comitate deliniti, cum in militari habitu religio et sanctitas morum animos in eius admirationem traheret, facile dicto audientes fuerunt. Namque ad hunc hominum consensum, insignis eius moderatio accedebat, de cuius honore agebatur, quae virtus ad minuendam invidiam magno semper usui atque adiumento fuit: nemo vero eo ipso magis, cui habebatur honos, Regi imperanti obsistere, adversari, deprecari sibi gravem atque arduam provinciam impositam, belli ingentem molem a patriae cervicibus amoliendi, cum a nulla alia re minus, quam ab ea virtute diceret se paratum, quam tantum requireret belli munus. Nullas in se conspici virtutes, quae imperatori auctoritatem apud eos conciliaret, in quos obtineret imperium, id quod desiderari in re gerenda sine magno incommodo haud posset: multa esse, quae, si quam partam haberet, auctoritatem elevare plurimum, minuereque viderentur. Male vero cum eo agi, „qui auctoritatem ab honore et munere, quod gereret, non a domesticis virtutibus haberet quaesitam: hoc aequum et ius postulare, ut non prius quis acciperet aliorum suffragiis delatum honorem, quam suo ipse iudicio statueret se esse honori gerendo parem.“ Habere Regem nobiles homines, in quibus cum esset dignitas summa, quae illam aequaret, virtus aequae insignis et prudentia inesset, Stephanum Palatinum, Scepusium, Perinnium, alios, qui quam auctoritatem spectari in imperatore oporteret, non solum partam haberent maiorum meritis, sed etiam suis. Si quid ipse usus in re militari aliquando habuisse creditus sit, totum id genere vitae interpellatum, quod longissime a licentia armorum abesset, iam pridem exolevisse; qui tamen si adesset, si aetas, si animus vigeret, de se id polliceri posse, quod

militem non impigrum, et duci verbo audientem praestare aequum esset, sive in expeditionem ire, sive cum hoste conserere manum, sive pro muris pugnare, sive alia militaria munera obire oporteret: numquam ita alte extulisse animum suae imbecillitatis parum memorem, ut quasi aliquando esset par ducis muneri obeundo futurus, statueret sibi imperatorias artes addiscendas, satis gloriae se adepturum arbitratus, si quemadmodum dux suis recte imperando, ipse bene parendo militis partes sibi statueret praestandas. Non negare se quidem Regis imperio parendum: sed illud tamen addere, quantum quisque posset, id agendo quod Rex imperaret, spectari oportere; quod nemo prius sciret, quam is qui conscius suarum virium, imperium cui se imparem nosset, detrectaret. Cum nihil sibi certius esset, quam in eo Regem falli: nolle se committere, ut quod ipse imperitia peccaret, haud sufficiens imposito muneri, et Regi ipsi et universo adeo regno Vngariae esset fraudi, cuius salutem se vita et sanguine esset redimere paratus.

Rex cum de suorum sententia semel statuisset omnino id reipublicae conducere, Tomoreum, quamquam ille et palam cum aliis, et cum eo ipso coram questus plane se inexorabilem illius postulatis praeberet, quod iam erat in sanctiore consilio actum, praesse cum imperio iubet. Dicitur et Georgius Scepusius, qui illi collega addebatur, multis precibus a Rege contendisse, ne pateretur a Tomoreo se in sententiam perducere, cuius fiducia fretus passus esset, se illi collegam dari, cum, et illud adderet, se belli administrationem ea lege suscepturum, ut integrum sibi ius relinqueretur, ubi frater adveniret, sese imperio abdicandi. Quod quidem dicitur Rex passus a se impe-

trari, ut si quid ex vetere similitate animo resideret, quod gerenti rem esset impedimento, id quod in tanto reipublicae discrimine omni erat studio cavendum, per hanc Regis moderationem et facilitatem, omnis offensio e fratris animo oblitteraretur. Quin et sua sponte iam Ludovicus constituisse ferabatur, ut per tres duces, quorum erat in re militari spectata virtus, Scepusium, Frangipanem, Tomorem res gereretur: quominus id accideret, eorum cunctationem et moram, hostium alacritatem, qui nihil sibi reliqui ad summam celeritatem facerent, obstitisse. Nam Nicolaum Salmensem, ne Regi in tanto momento rerum gerendarum adesset, domi valetudo adversa detinebat, propter excellentem virtutem, et rei militaris scientiam, cuius ad eum diem praeclara dederat documenta, magno usui, adeo difficili patriae tempore, ad rem gerendam futurum. Ita delectus Tomoreus exercitus imperator, Regi fere omnibus ad unum assentientibus, quorum auctoritas maior in regni procuratione erat; ut satis mirari non queam, unde Iovio haustum argumentum ad maledicendum viro fortissimo atque innocentissimo, in quem ita acerbe invehitur, ut aegre iudicari possit, ubi stari illius testimonio oporteat, graviorne culpa Regis fuerit, qui illi detulerit in suos imperium, an eius, qui acceperit delatum, cuius tam temeraria atque incon-sulta ratio toto bello administrando fuerit. Equidem sive haec ab aliis mutuatus, ita temere sibi mandanda litteris censuerit, sive ita volens et prudens, cum speraret se cuiquam gratificari, qui minus aequus Tomoreo esset: habeo in quo scribentis desiderem fidem, certe gravitatem et constantiam requiram, quod haud levius peccatum sit in rerum scriptore habendum. Cum vero alii non desunt, quos sequar auctores, gra-

ves homines, et quibus erant Tomorei mores perspecti, tum qui omnibus his rebus gerendis, quibus ille praefuit, interfuerunt. Neque vero iis ulla mentiendi caussa, cum Tomorei caedes, ut alia omitam, scribentibus ad gratiam, praemii spem omnem praecidisset. Nam si quando visus est vehementius cupiditate pugnandi exarsisse, quam callidum ducem deceret, et longo militiae usu exercitatum, id quod accidit sub proelii tempus: id egit optimam rationem secutus, cuius nunc non est commemorandi locus. Ambitiosum vero Iovius vocat, cuius tanta constantia fertur fuisse Colocensi sacerdotio reiiciendo, ultro sibi a Rege oblato, ut quamquam ille per interpositam suam auctoritatem illum in sententiam traducere niteretur, non prius passus sit ab se impetrari, quam Clemens Pontifex legibus soluto potestatem fecerit et ordini, cui se devoverat, renunciandi, et sacerdotio fungendi, a quo erat maxime aversus. Iam, quae in comitiis de imperatore deligendo egisse eundem commemoravimus, ut Regem ab incepto revocaret, obfirmate in suscepta sententia perstantem, ita multi sunt, qui affirmant, ut uni Iovio ab his dissentienti fidem habere, scriptori, id quod omnes noverunt, mendacissimo, scelus possit videri.

His ad hunc modum administratis, peritos homines rei militaris duces Mohacium praemittunt, qui loci situm, et circa regionem omnem, cum cura contemplati, castris idoneum deligant locum. Ignobile oppidum ante nostrorum cladem, unde illi nominis celebritas est, in ditione Quinqueecclesiensis pontificis erat; nunc Turcae vectigale, eorum quibus in Vngaria potitur, minima accessio. Opportune vero ad Danubii ripam, medium iter Batham, et Dravum, qua Danubio

miscetur, positum est. Danubius Batham praeterfluens, duos alueos efficit in duas diversas partes diffusus: alius qui maior est, ulteriorem Vngariam, quae campestris et plana est, mediam dirimit; minor duo oppida Batham Mohaciumque alluit. Inde e diverso infra Mohacium sensim iidem coeuntes, insulam efficiunt, quam Felmohatium populares, hoc est Mohacium superius, loci naturam secuti, appellant. Et Mohacium quidem, sive illud oppidum appellari, sive pagum lubet, satis frequens aedificiis atque incolis locus, longe lateque prospectum in subiectam planiciem habet, quae, ut diximus, plana atque demissa, nullisque collibus discriminata, undique oppidum cingit. Quinqueecclesias ab occidente sola, quae insignis civitas fuit, quamdiu regibus paruit, Batham a Septemtrionibus spectat, ab oriente, minore Danubii alueo, Dravo a meridie, inde circiter quatuor millia passuum, clauditur. Totum hoc spatium, quod inter Mohacium et Dravum interiacet, colles nitidissimi, ubique arboribus et vineis consiti tenent, ut tamen alicubi palustria loca, imprimis haud procul Mohacio, admittat. Aquam incolae, qua late inertis eluvie diffusa stagnat, et palustre solum efficit, Crasso appellant. Ultra eum locum Tomoreus circiter sex equitum millia, ex iis, quos aut ipse a principio armaverat, aut Petrus Perinnius alique ad eum adduxerant, in castris habebat. Eos Rex traductos in citeriorem annis ripam, ubi cum omnibus copiis consederat, ad se Tomoreum adducere, et quamprimum coniungere cum suis iubet. Ita Tomoreus Mohacium profectus, cum idoneo loco castra posuisset: secum Perinnio assumpto ad suos rediit, quos ultra eam paludem in castris reliquerat. Erat autem illius consilium, ubi se illi traduci in sententiam pateren-

tur, id quod minime facile factu futurum propter insitam animis ferociam, ac praeposteram fiduciam sui intelligebat, ad Regem adducere, in eius potestate, cuius imperium contemnebant, haud facile futuros; sive enim consulto vani rumores a Turca ferrentur suas vires ad eludendam Vngarorum ferociam dissimulante (nihil enim eorum, quae in castris fiebant, ignorabat), sive sua sponte stolidi sui fiducia tumentes, tanto viribus inferiores, iam victoriam de hostibus animis praecipiebant, nihil laturo iniquiore animo, quam perexiguam exitii moram, immensi fato, praecipites vesano furore in rabiem agente: sibi quidem persuaserant, id quod aequae in contuberniis atque in conferta militum turba procaciter petulanterque iactabant; inermem multitudinem, ex colluvione omnium gentium collectum militem, quorum vix centesimus quisque esset in hostem pugnaturus, non secus ac trepida pecorum armenta temere per saltus et prata vagantium, subito excitato clamore se in fugam acturos. Iam et illa a ducibus commemorabantur, quibus militum imperita multitudo suam spem foveret: a magnis ducibus saepe parva manu fusos et victos hostes, copias innumerabiles ad bellum trahentes, et quidem patentibus campis, atque apertis, ne quando videri possent, loco magis freti, quam militari robore et magnitudine animi vicisse. Ad explendas fossas in urbium expugnationibus, et retundendos sua caede hostium gladios, infelicium capitum agmina ab hoste barbaro duci, ob eam caussam haec luce fruentium, ut quorum vita nullius usus haberetur, esset mors compendio, et vitae occasus. Iam, et nostrae et superioris aetatis exempla clarissima commemorabant: ab Alexandro Macedonum rege parva manu Darium victum, a Lucullo Ti-

granem, a Caesare in Asia Pharnacem, in Africa adversariorum copias innumerabiles, cum corona circumdato exercitu, pugnaret miles virtute animi ingenti, exiguis subnixus viribus; a clarissimis aliis belli ducebibus insignes victorias et triumphos de hostibus deportatos; cum adversus multitudinem et numerum pugnaret virtus et robur animorum, quae una semper invicta sua vi stetit. Vngarorum animos ignominiae insolentes, rei militaris dedecus redimere vitae iactura consuevisse, neque posse pati, ut, quo tempore ultro armati occurrere hosti deberent, retrocedendo fiduciam hosti signa infesta inferenti, suis iniicerent metum, quibus ex hostium audacia vires minuerentur: quarum conscientia nisi in vultu, in oculis, in dextris emineret, ultro appetendo hostem, lacessendo, urgendo, ne animo quidem vigere diu posset. Nam si quis esset, qui existimaret, secum veteranum militem Solimanum adducere, eum longe falli. Invictam illam delectorum militum manum, cuius forti fidelique opera usus esset, superioribus expeditionibus Parthicum, Vngaricum, quod novissimum cum Rhodiis gessisset maritimum bellum, id quod accidere necesse fuisset, absumpsisse. Numquam vero Turcae, etiamsi immensas vires et innumerabiles iactaret copias, de Christiani nominis propugnatoribus, sive terra, sive mari rem gereret, incrementam victoriam referre licuisse.

Haec certatim commemorando concionantium in morem, non solum militum ductores alii, et quos insigniores militiae ordines honestabant, sed e vulgo etiam nonnulli, quorum audaciam linguarum impunitas alebat, usque eo omnium animos accenderant, ut non de victoria quam haberent exploratam, sed de victoriae praemiis, inflati vana opinione sui, cogitarent. Vt

vero minime dubia essent quae iactabantur, ita longe alia ratio Vngarorum erat, atque eorum quorum exempla commemorabant, qui ita exiguum militum manum adversus numerosissimos exercitus duxerant, ut pro iis summa virtus, rei militaris scientia, usus, pectoris robur, summo duce administrante militare imperium pugnarent. Neque enim dux erat cum duce, neque cum milite miles conferendus, cum non temere quisquam ex his esset, cuius non plura monumenta gloriae, quam stipendia numerari possent. Ita Alexander adversus Darium invictus, adversus Tigranem Lucullus, Caesar adversus Iubam in Africa, et Pompeii duces adversus Pharnacem Ponti regem vicisse. Nam quod Rex per Tomoreum detrectantes imperium in castra adducendos curasset, eius rei caussa quemadmodum suspicabantur, ut Rex in contumaces, et imperii impotentes animadverteret, quae illos cura maxime sui conscios angebat, id ita interpretabantur, ut in principes et patres auctores eius consilii referrent, quos libero linguae convicio lacerabant, quasi qui specioso prudentiae nomine, timorem insitum animis aversi a fortioribus consiliis tegerent. Neque vero eos, id quod credi vellent, propterea refugere a conserenda manu, quod aut Regis cura aut communis salutis tangerentur: sed metu amittendi, quae parum honestis rationibus parta haberent, sacerdotiorum opima vectigalia, latifundia, uberes agros, pagos, arces, urbes: quae tamen, quando instaret armatus hostis, qui illi e manibus male parta extorqueret, quamnam illis spem tuendi reliquam, nisi confugerent ad arma? Avertendos, ablegandosque adeo quam longissime a Regis consilio, qui virilem illius animum mollire effeminareque conarentur, tutis quidem consiliis, si quis apud eum Re-



gem ageret, cui tuta essent ab honestis separata, sed parum Rege eo dignis, cui nihil posset tutum haberi, quod non idem cum honestate coniunctum esset. Meminisse eos debere, quorum auctoritate Rex publicam rem administraret, cum eos perrogaret de republica sententias, ponendam sibi privatam personam, et eius sumendam a quo consulerentur: multa enim esse, in quibus privato esset convivendum, ut minus etiam honesta viderentur: „nihil in rege non ad virtutis normam, atque honestatis exigendum, qui gravem sibi eam vitam putaret, in qua haereret quantumvis minima infamiae labes“: a quo ingenio qui abesset, haud dignum habendum, qui Vngaris imperaret, qui non ab hoste fugiendo, sed ab insectando fugientem, cum stante pugnando, cessantem lacessendo, non copiis, non viribus, non numero validiori concedendo, vitam in acie pro patria profundendo, merere stipendia consuevisent.

Dum ita milites tumultuantur, iam ad Mohacium, a ducibus, ut diximus, praemissis qui castris idoneum locum deligerent, omnes regionum copiae convenerant: Rex in proximo pago (Novam Villam appellant) inter Batham et Mohacium sito, cum paucis agebat, non siue magno periculo, ubi id hostis rescisset, quod facile accidere poterat, cum omnia essent, ut belli tempora ferebant, exploratorum plena, in illius potestatem veniendi. In eo pago quiescentem, intempesta iam nocte, nuncius a ducibus missus, cum incredibili celeritate usus esset, interpellat, atque hostem Dravum transisse, cum magna copiarum parte docet: ut nisi animum a pavore colligat, et se statim ad suos recipiat in castra, brevi futurum sit, ut imparatus ab omnibus, opprimatur. Imminere pugnae discrimen, quae

ut differatur, non iam amplius in illius potestate sit, sed in rei gerendae opportunitate, quam hostis a Rege oblatam parum suae dignitatis memore, haud sit neglecturus. Hoc nuncio Rex accepto, e suis acciri iubet, quos eo tempore consulere de summa reipublicae consueverat, magnae virtutis atque auctoritatis homines, cum iis de summa rerum consultaturus; dilapsi enim iam sua sponte e regia, quos suis non Regis temporibus servientes, praedandi spes, quae nulla iam erant, destituerat. Neque ullus tamen consilii usus, rebus ita perditis, ut certa omnia ad exitium, dubia omnia ad spem salutis haberentur: quo in statu ubi res sunt, ne prudentissimus quidem vir, et magni consilii habeat, quod de his consultus in medium afferat. Per eos dies Rex a Scepusio litteras acceperat, quibus quae illius sententia esset de toto administrando ac gerendo bello, docebatur; praesenti rerum statu, in quo quidem cum regni universi salute privatorum fortunae salusque periclitabantur, per voluntariam simultatum oblivionem, omne personarum discrimen tollente, sive amicus quis, sive minus, qui modo consilio praestare et sapientia crederetur. Erat vero illius consilium, ut minus in praesentia speciosum, ita in posterum tutissimum, id quod brevi postea docuit eventus: necessarium certe maxime, ubi quis vera et salutaria, ab iis, quae vana et in speciem honesta, secernere novisset: censebat enim Regi procul ab hoste in interiora regni recedendum, quamdiu locus receptui esset; minime certe committendum, ferocia consilia suadentes ut temere conicerent et Regis caput, et universas regni fortunas in unius horae discrimen. Rem esse cum hoste, qui paratissimum etiam Regem nactus ab iis rebus, quae desiderari recte non possent magnum ge-



renti bellum, dubiae illi pugnae eventum facturus videretur. Quamdiu in itinere subsisteret, dum ipse e Dacia Transilvanorum copias, e Boemia alii, Silesia, Moravia, Austria auxilia adducerent, omnibus viribus dandam operam, ut se suis locis teneret, ne invitus manus conserere, tanto inferior viribus, cum hoste acerrimo, et a rebus omnibus paratissimo cogereetur. Se quidem, ut primo quoque tempore cum regis copiis suas coniungeret, dies noctesque accelerato itinere, operam daturum. Quando aliunde non liceret extremis rebus petere subsidium, non ab exterorum auxiliis, non a domesticis copiis, non ab alia humana ope, quam frustra Vngari implorassent, a tempore subsidium petendum. Saepius quidem consilio, quam armis bene rem gestam: numquam non laetum eventum rem gerentem secutum, ubi consilium cum viribus coniunctum consociatumque haberet: quo quidem qui carerent, belli summam verti in una rerum et temporum opportunitate existimantes, iis minime mirandum esse, si ea ipsa opportunitas in fraudem verteret inconsulta temeritate atque audacia corrupta, qua plus aequo efferri ferocem et seditiosum militem, destitutum beneficio temporis, consilio, viribus quod gravius sit, magno suo cum dolore, et Regis et reipublicae causa audierit. Quod vero eorum consilium esse, qui iuvenem Regem, in quo uno sit posita totius regni salus, cum viribus suis diffidat, externis auxiliis nullis sublevetur, configere cum hoste formidolosissimo audeant; cuius qui declinare impetum cedendo queat, is multum assecutus videatur. Quem vero exitum tam praecipitis consilii esse? Hocne illos agere, hoc moliri, ut Solimano inhiant, per innocentis regis sanguinem, regni fortunas, per se satis opimam praedam,

ut nulla praeterea accessio quaeratur, hac una illi mactata victima, gratiorem uberioremque reddant? Militum ferociam, tanta animorum contumacia poscentium pugnam, tum futuram usui, cum qui eam moderarentur, ratione et consilio, eos ipsos amentia furentes in potestate haberent; nimiam ferociam atque audaciam arma ad perniciem, non ad salutem suppeditare: id quod clarissimis vetustatis exemplis permultis doceri posset. Bellis magnis gerendis, saepe animadversum, quae initio parum speciosa consilia viderentur, progressus meliores honestioresque habuisse, nonnumquam stravisse ad certam victoriam viam, prudenter suscepta aequae certa ratione et consilio administrata. Docuisse olim clarissimos imperatores, ab iis posse vinci ferocem hostem et semper victorem, qui cunctando et tergiversando, nitentem invictis viribus, ipsi viribus inferiores ludificarentur: „semper vim consilio, prudentiae temeritatem, verae virtuti inanem iactantiam concessisse:“ cuius rei documentis multis essent referti veterum annales: ut peccare belli dux sine insigni nota flagitii haud posset, cui e magna exemplorum copia, quae in rem essent, liceret mutuari. Quod semel monuisset, se etiam atque etiam orare, obtestari regios duces, quorum consilio Rex fluctuantis reipublicae adeo saeva tempestate gubernacula tradidisset, quamdiu per hostem liceret, sibi statuerent retro conversis signis receptum in interiorem Vngariam quaerendum, aut in regiam urbem, aut in locum opportuniorem, si quis modo esset, quo quidem, id quod esset sperandum, brevi universi regni viribus contractis, accessus hosti difficilior, honestior, tutiorque Regi eruptio de loco superiore, validior certe in subeuntem futura videretur.

.

Haec ferunt Scepusium insigni cum fidei et prudentiae laude significanda Regi curasse, et superioribus diebus per alios, et postremo per Ioannem Statilium, perspectae ut diximus virtutis hominem, qui affirmaret, quas copias esset Scepusius e Transilvania ducturus, ita militum robore, exercitatione, rei militaris usu, firmas validasque, ut iis regiis adiunctis minime esset de victoria dubitandum. Ita, quae copiae in praesentia, propter militum exiguum numerum, ingentem hostium, vix Regi praetoriae cohortis loco, si vetusto regum more Rex proficisceretur ad bellum, futurae viderentur, iusti exercitus formam expleturas; ut si se occasio daret, et hostis proelio lacesseret, sua sponte bene animatis militibus, ex conscientia domesticarum virium, recte pugnandi potestas fieri posset. Iam a Frangipane, cuius hominis erga se fidem prudentiamque Ludovicus exploratam habebat, eadem e Croatia scribebantur: ut non posset dubitare, quin, quod consilium ratio tueretur, et auctoritas summorum virorum comprobaret, optimum idem, tutissimumque esset. Litterae quidem hoc scriptae argumento ferebantur: Audisse quidem se, quae Regis sententia de receptu esset, et prudentium hominum, quos in consilio haberet, quibus parere de republica recta suadentibus, argumentum verae regiae indolis haberetur: sed aequo magno cum dolore audisse, pro sua in patriam pietate, quominus tam salutari consilio uteretur, prohiberi militum consensu seditiosorum hominum, atque quorumdam auctoritate, qui copiarum duces, iis plus aequo ambitiose indulgerent, severe certeminus, quam ratio rei militaris pateretur, quam dissolui continuo necesse esset, ubi miles imperatori praescribere, imperator militi verbo non audienti oc-

currere auctoritate et potestate legitimi imperii non auderet. Ab iis in castra Mohacium Regem vocari, praepostera ratione, et non sine gravi nota violatae in Rege maiestatis, cuius nomen apud maiores, ut non apud alias gentes magis, augustum semper et sacrosanctum fuisset. Quid vero turpius, quam qui ipsi vocati venire ad Regem recusarent, salutaria monentem, audere Regi praescribere, ut ad se veniret, de belli ratione ex sua sententia consultaturus? de quo adeo tetro atque immani scelere, si senator in regis consilio rogatus sententiam diceret, levem se poenam crediturum decernere, ubi ex vetere disciplina, tam seditiosum militem decimandum, atque ad supplicium rapiendum censeret. Quam vero rationem sequi, qui tam perditam caussam desperatamque tuerentur? Dicitur flagrare milites cupiditate pugnandi spe certa victoriae incensos, id quod rei militaris periti homines illis persuasissent, ut nisi Rex militum ardore uteretur, frustra longa mora et cunctatione restinctum esset desideraturus; relanguescere enim animos primo illo ardore restincto, et de viribus plurimum remitti, quantumvis antea per se visae essent vigere; cuius rei culpa, et Regi simul, et iis qui auctores tam perditum consilii essent, videretur esset adscribenda. Quae quidem ita vera essent, ut ea temporum et gerendarum rerum ratio variaret: ut enim Vngari, propter insitam generi ferociam, maxime pugnae studio calerent, doceri debere, esse certos fortitudini praescriptos fines, ut quae hominum vires cum perficiendi spe aequarent, viri fortes aggredierentur, „maiora viribus ne tentarent, non ignari saepe fortitudinem in temeritatem verti.“ Non hoc postulari a viro forti, ut uno ictu montes solo aequaret, urbes maximas everteret, obiectis ad cae-

dem XX armatorum millibus in certamen descenderet, adversus CCC armatorum millia pugnaturus; quorum magna pars usu atque exercitatione bellandi, ut quis plurimum Vngaris faveret, non essent inferiores habendi. „Nihil capitalius haberi in bellicis rebus, quam hostem contemni, quantumvis imbecillum, atque exiguis (*viribus*) instructum; saepe enim contemptum de iis insignes victorias retulisse, qui elati mani fiducia, quem non deberent, contempsissent.“ Animi ardorem in milite, si non adesset, omni ratione debere excitari; cuius rei caussa, ubi esset in aciem descendendum, signa concinere, tolli clamorem, cetera agi consuevisent, quae rei militaris ratio postularet: sed ne animorum ardor in furorem et praecipitem temeritatem militem ageret, laborandum; quo furore tum correpti Vngari, per equitum et peditum praefectos, emollitis animis, ad sanitatem essent perducendi. Eius rei si deplorata spes esset (utinam falsus vates mente atque oratione in tam tristi ac diro omine deliraret), de universi regni salute esse desperandum.

Ita animi dubius Rex, cum ancipiti cura torque-retur, praecisa omni spe, quam in partem ratio suaderet, contumaces militum animos perducendi, ne hoc quidem potuit a praefectis impetrare, ut eorum auctoritate a pertinacia abducti resipiscerent, qui, vellent nollent, iis morigerari cogerentur. Quae quamquam ita essent: quo maiore tamen cum sceleris infamia iterum moniti intelligerent se in tam scelerato incepto perstare; per graves, et prudentes homines, quos a se avelli tam necessario tempore temere non patiebatur, tentare eorum animos constituit, ac, si fieri posset, et qui auctores tam praecipitis consilii essent, et qui abducti metu in eorum sententiam concessissent, ad sa-

niora consilia revocare. Qua re ita constituta, eadem ferme hora, cum longius ad deliberandum spatium in magnis temporis angustiis non relinqueretur, cancellario viro impigro negotium dat, ut in castra celeriter contendat, ac quae Regis sententia sit, cum belli alios duces, tum Strigoniensem Pontificem, Palatinumque doceat: sperare enim, ubi adductum se prudentium hominum consilio atque auctoritate ita sentire intelligant; temerariam sententiam, quae tristis eventus sit, et in rerum omnium discrimen Regem et nobilitatem omnem adducat, ei, quae tutissima explicatissimaque sit, minime praelaturos. Eodem fere collectas universi regni vires, quidquid roboris in Vngaria sit, lectissimam iuventutem, florem nobilitatis, tot patriae lumina, tot viros fortissimos, e sacerdotum ordine amplissimos viros, regni principes fere omnes, quorum consilio et sapientia communis omnium salus et regni incolumitas inuitatur. Qui si infinitae hominum multitudini obiecti, id quod dicere animus perhorrescat, et tamen verendum sit, patriae eripiantur: penes Regem unum, qui longissime a culpa absit, eius sententiae auctor, quae tutissima sit, orbatae patriae nobilitatis splendore, militum fortissimorum praesidio, sacrorum religione, omnibus ornamentis, quibus adhuc florentissima steterit, infamiam apud posteros haesuram; quorum iudicium qui non vereatur, neque dignus sit, qui habeatur in hominum numero, quorum unus inprimis proprius est immortalitatis atque aeternitatis sensus. Certa exspectari auxilia a Transilvanis, Boemis, Moravis, Slesitis, tum a maritimae orae adiacentibus urbibus, quibus auxiliis fretos, praeter domesticas vires, ubi conferenda sint cum hoste signa, multo certiores victoriae spem, quam solos, una virtute fidentes sua,



desertos, ab omnibus proditos, de hostibus manere. „In optione malorum, cum e duobus necessario sit alterum subeundum, quod mitius habeatur, id quod ratio doceat, contrariam vim, rationemque suscipere, ut quod sit vi sua declinandum fugiendumque, sit salutare tempore habendum.“ Vbi cum hoste congredi Rex recuset, et retro referri iubeat signa: haud dubitari posse, quin aditus hosti simul patefiat ad universam Vngariam ferro ignique vastandam; malum hoc, atque adeo, si ulla modo spes declinandi sit, id quod maiores vires requirat, quam quae praesentes Vngarorum sint, ex Vngariae regno, tanto subito bello oppresso, viribus nervisque omnibus propulsandum; malum hoc esse, negare neminem; sed si eum spes fallat, quod sit propius vero, qui rem proelio decernat, quanto id gravius malum futurum? nihilo enim magis hostem a populationibus prohibeat, et quod est omnium malorum postremum, deletis ad interneccionem regiis copiis, ac Rege cum universa nobilitate, aut vivo in victoris potestatem redacto, quod Deus in hostem vertat, aut caeso, acerbissimum ducat patriae funus. Id si accidat, cuius commemoratione modo animus perhorrescat: quibus viribus, quibus copiis, quibus auxiliis, nisi repente demissis e coelo, spes sit, imminens Vngariae exitium e regno arceri? „Rationi numquam non inconsultum audaciam cessisse, atque id quidem cum compendio semper, integra re de qua agatur. Exspectari vero ut eventus arguat, quem praemonire multo ante ratio debeat, nihil aliud videri, quam ad perniciem labem infamiae addere; tamquam non sit satis in impendente calamitate incommodi, nisi mali accessio ex fama stultitiae quaeratur. Nihil porro esse quod minus hominem deceat, quam tum illum poenitere, cum poe-

nitendi nullus sit usus. Id accidere necesse esse, ubi ante geratur, quam consilio explicatur res: in eo enim naturam praecipue homini prospexisse, ut in agendo, ne quando temere obiecto errore, fallatur, duce ratione utatur: eam efficere, ubi praesto consulenti sit, dictorum factorumque moderatrix, ut is frustrari eventu possit (neque enim id in cuiusquam positum potestate), accusari merito non possit. Scitum olim, atque a multis celebratum, praeter culpam sapienti nihil esse praestandum: eam minime in eo haerere, qui functus sapientis officio, nihilominus falsus in errorem inducatur“, quod quidem iis, qui de summa rerum consulantur, et de totius regni salute, in sententia dicenda etiam atque etiam cogitandum sit.

His regii duces auditis, videbantur in Regis potestate futuri, si per milites, quos minime ipsi in potestate haberent, id agere licuisset. Vna modo omnium exaudiebatur vox inconditis clamoribus, quibus obstreperent salutaria suadentibus, classicum in hostem et cani signa iubentium. Ad omnia alia consilia, quae idonea atque opportuna essent, oclusas aures, in hoc uno contra obfirmatos animos habebant. Ita infelicibus patriae auspiciis Rex, quos in consilio habere turpe esset recte etiam de republica sentientes, pessime patriae consulentibus cogitur assentiri, sero execratus nimiam suam indulgentiam, qua adeo vecordes et contumaces, per tot annos melioribus et sapientioribus regia exclusis, in se aluisset. Igitur prima luce, iussis suis cum impedimentis sequi, in castra contendit. Hinc digressus in episcopi domum, quae opportune propinqua oppido erat, omni ratione delinire feroces animos, atque adhibitis in consilium, quorum apud multitudinem erat maior auctoritas, deterrere a tam

praecipiti ac temerario consilio suos constituit: hanc unam enim sibi reliquam spem fecerat, ubi praesens ipse rationem suscepti consilii exposuisset, id quod frustra per alios tentasset, auctoritate ac maiestate regii nominis, quae pluris esse apud imperitos homines quam ratio consuevit, ut pugnam in magis idoneum tempus atque opportunum differrent, se impetraturum. Ergo eadem repetita a regiis gravi ac luculenta oratione, quae, cum iam per se male affectos non movisset, haud maiorem a personae dignitate auctoritatem obtinuerunt; auxerunt culpam, peccantibus alioqui ubi abesset praesentis Regis laesa maiestas leviolem futuram. Erat in consilio Tomoreus e castris accitus, qui principi loco exercitus dux sententiam diceret: quem cum Rex animadverteret in eorum sententiam inclinare, qui experiendam proelii fortunam censerent, neque tamen de illius fide et prudentia dubitaret, quae caussa gravis illi fuisset militare imperium defendendi, percunctatur, qua spe fretus, mutata priore sententia, de patria atque universis regni fortunis, statuatur potius in praesentia, quam commodiore tempore, opportunitate, loco idoneo magis, auctis copiis militum numero, dimicandum? Ad haec interrogat, an hostium numerum, vires, arma et suorum satis explorata habeat; simul, dicere iubet, qua fiducia fretus, tanto viribus hoste inferior, spem victoriae animo concipiat. Tum fidenti animo Tomoreus: enimvero sibi omnia explorata esse, de quibus doceri Rex velit. Nam, ne quid se fallat, quod scire, muneris et personae eius, quam gerat, intersit, et Regis pariter et principum tam honorifico de se iudicio moneri, cuius esse immemor, sine magno suo dedecore, minime possit: de hostibus sibi aequae ac sua certa omnia; praeter regios explora-

tores, quorum sedula opera et fideli utatur, transfugis multis, certatim ad se confluentibus, a quibus de iis doceatur, quae apud hostes quotidie agantur, nimirum iis congruentia, quae iam per exploratores cognita habeat: quorum tamen ne insidiis pateat, eorum se dicta factaque omnia ita observare, ut ad consilii mutationem, quo saepe levia ingenia recurrant, nihil his integri relinquatur. Eo aliud commodum accedere, quod totum ab hostibus proficiscatur, omnes aut Italos, aut Germanos esse, quibus tormentorum cura mandata sit, quos tacito naturae instinctu faventes suis compertum habeat, librandis tormentis, sui generis hominibus in magno rerum discrimine praeclaram operam navaturos: de industria enim eo loco collocaturos tormenta, unde emissi globi eorum capita quos petant, supervolantes ictum perdant. Ab his ubi nihil sit timendum, quando hostibus in vi tormentorum, quibus sint superiores, tota bene gerendae rei ratio vertatur: sperare se inconditam multitudinem, vera virtute, quod saepe maiorum memoria acciderit, superatum iri. Milites, qui ad signa convenerint, ad XX millium summam efficere, ut eorum qui apud Regem, et in suis castris sint, numerus ineatur, perexiguam quidem manum, si cum hostium immensis copiis conferatur: quorum numerus, praeter eos qui arma gerant, qui CC amplius millibus ferantur, sive operis faciundi, sive comeatuum et cibariorum caussa castra sequantur, ingens sit; ut copiae universae CCC hominum millibus constare haud dubie credantur: nihil his sibi certius esse. Hinc cum omnes percussi dicentem interpellarent, et Regem confirmare in suscepta sententia conarentur: non dubitabam, inquit, fore, ut ad huius rei mentionem, non alii modo, sed ii etiam, qui consilio praestare, et

prudencia inter ceteros crederentur, repente territi, Regem ab imminente cum hoste pugna deterrent: sed spero tamen, ubi iis mei consilii rationem explicavero, quemadmodum dignum eorum virtute est, in eadem illos sententia futuros. Numerus quidem est tantus, sed est eorum vix quarta pars, qui utiles bello sint in acie cum hoste pugnaturi. Interpellante hic Rege, atqui enimvero ita etiam suis imparem futurum congressum affirmante. Neque, inquit, tota ipsa illa pars ab hoste stabit. Multorum, qui nunc in castris Solimani sunt, habemus apud nos animos, qui aut ipsi initiati Christianis sacris, supplicii metu ad Turcarum barbaram superstitionem defecerunt, aut e parentibus Christianis inter Turcas orti, memores magis veteris originis, quam praesentis conditionis et fortunae, nobis sua sponte favent, ita animis affecti, ut in medio pugnae discrimine polliciti sint se ad regia signa recepturos, et contra Turcas conversuros arma. Neque ego temere loquor, satis memor, me in arcano Regis consilio, quo convenerint regni principes praediti insigni sapientia homines, de rebus maximis agere, in quibus ne leviter quidem errare sine certa reipublicae pernicie et regni exitio possim. Et in gerenda re, id quod lubet ominari, nostrorum militum virtus, ne quis sit, qui dubitare queat, et fortuna adeo, quae saepe a melioribus stat, nostrorum consilium comprobabit: est enim viris pugnandum cum hominum fece, cui una spes vincendi sit posita in suorum internecone et caede, quibus mactandis nostri fessi patiantur sibi victoriam e manibus extorqueri, debilitatis viribus atque hebetatis caedendo armis.

Quae dum in Regis consilio geruntur, ita plerisque bene sentientibus, ut a dicenda sententia deterre-

rentur et Tomorei auctoritate, et multitudinis consensu plane a salutaribus consiliis aversae: nuncius repente advenit, qui diceret, se ad Regem mandata et ad senatum habere, ab iis missus, qui erant in superioribus castris. Is, remotis arbitris, Regem prius (quod ob eam caussam erat imperatum, ne qui essent, qui, si mutata sententia ad pugnam inclinaret, a gerendae rei studio, sua auctoritate averterent) mox principes patresque singillatim docet: constituisse milites, nisi Rex inducat animum, omissis omnibus aliis consiliis, ultro hosti obviam prodire, conversis ab hoste in cunctantem et tergiversantem signis, vi cogere invitum pugnare, vel eos potius, qui ad tegendam suam ignaviam, ut ipsi dicitent, Regis imperio atque auctoritate, aeterna patriae inusta ignominiae nota, abutantur. Certam victoriam ultro damnata inertia, occurrere audentes manere, quam praesens suis et propitius deus, secunda omnia et laeta multa, Vngarorum invicta virtus inprimis portendat, quae neque efferatur altius lactis rebus, neque adversis depressa, sua natura invicta semper retineat vires. Ad hunc maxime modum, iuvenis Rex, non hostium prius, quam suorum praeda, damnato prudentiorum hominum consilio, in funesta castra, et tristis ac diri ominis universae Vngariae devota victima Solimano hosti contendit. Equidem non dubito fore, quin multi sint futuri, qui non caussam quidem quaerant tam temere initi a Tomoreo consilii, qui sibi cognitus satis aperte, in extremo patriae periculo, ducis munus tanto viribus maius deprecatus esset, sed Vngariae principum summorum hominum nimiam facilitatem admirentur; qui ex iis argumentis quibus proelium suadebat, non intelligerent vere eum esse, non quem sibi finxerat Rex, sed quem ipse pro-

fitabatur. Nam sive auctoritas in belli duce esset spectanda, quantam in eo oportuit esse, cui qui plurimum faveret, recte parendi laudem tribueret, quamdiu bellicas artes excoluit; vitae sanctitate atque innocentia clarior in Franciscanorum otio, quam in strepitu armorum gerendis atque administrandis militaribus imperiis; quorum scientiam, si modo ulla esse potuit in milite, qui paullo esset gregario melior, in secordi atque otiosa vita verisimile esset obsolevisse. Nam si esset spectanda rerum gerendarum ratio in tanto communis salutis discrimine, quam par erat iis esse primam, qui in Regis consilio de re tanta consulere? quid turpius quam transfugarum dictis fide habita, qui esse transfugae, nisi prodita fide, et violato iure gentium haud possint, et Regis simul vitam, et regni fortunas omnes unius proelii aleae permittere? Eadem vero ratio de Turcarum praevaricatoribus, infimo hominum genere, qui ministri tormentorum emittendorum, proditis suis, a quibus uberrima praemia recte munere functi sibi spondebant, quosque tanto superiores viribus, victoria potituros non dubitabant, hostibus suam operam spopondisse dicerentur, prius sua conscientia victis quam hostium armis. Iam et illud videtur suspicari principes debuisse, per officii et pietatis simulationem, transfugas adornatos ab hoste fallacissimo ad nostros transisse, qui sibi aditum ad victoris gratiam, et ad ampliora praemia quaestuosa perfidia quaererent. Subesse vero aliquid fraudis, ubi nihil aliud indicio esset, inde licuit suspicari, a validiore paratioreque a rebus omnibus transfugere ad eum, cui omnia adessent, quae longe abesse oporteret, nihil adesset eorum, quae propulsando bello idonea haberentur, quod cum Turca hoste multis partibus in

acie futuro superiore, esset gerendum. In uno quidem nemo non statuatur Tomoreum reprehendendum, cuius cum singularis fides in Regem atque in patriam esset, adeo fuerit mens consilii expertus, ut esse dux mallet seditioso militi ad perdendum Vngariae regnum, quam cum melioribus Regi comes ad servandum: id quod erat futurum, ubi a proelii discrimine tanto de meliorum sententia sese reciperet, ut iam dictum est, in tuta loca. Itaque si res magis, quam voluntas spectetur, „quae una hominum elevat et auget in agendo culpam“, ita quis in Tomoreo prudentiam requirat callidi hostis fallacia detegenda, constantiam comprimenda militum contumacia, ut in iis culpam constituat, per quos impotentes imperii minus duci licuerit Regis consilio in re administranda uti, quod unum reliquum erat sustinenti a tam praecipiti fortunae casu rempublicam labantem. Quid porro fieri recte atque ordine potest in re militari administranda, quae una ducis auctoritate atque imperio continetur, ubi miles ducem contemnit, dux cogitur ad militum praescriptionem, in quos ius atque imperium habet, omnia agere? Probabile quidem contendat, qui illius memoriae faveat, callidum hominem, quod Regi intelligeret necessario agendum, qui minus imperium in suos obtineret, consilio in bonum vertisse non malo, ut in perditis rebus, haud temere idem tamen si utrumvis licuisset, regnum in discrimen adducturum; excluso enim Regi temporis angustiis neque effugium ad salutem patebat, iam in vestigiis armato hoste haerente, et quando nulla erat spes detrectandi pugnam, consultius ut in tam necessario tempore videbatur, uti militum ardore poscentium proelium, quamdiu ad pugnam vires et robur animi vigeret, ut non solum dux non videretur repre-



hendendus pugnae auctor, sed constantiae et fortitudinis laude impertiendus. Nam et praesentis animi fuit, et sibi praefidentis, cum pugnae facultas non iam penes Vngaros, sed penes hostem esset infesta signa inferentem, in certamen descendere, cum tanto viribus inferior esset, non dubitare: erant enim, praeter Tomoreum, alii quoque, qui etiamsi cum Rege, et cum melioribus sentirent, propter hanc ipsam causam necessarium ducerent subire proelii casum; verebantur enim non mala adducti coniectura, ne ubi retro Rex iuberet signa referri, hostis, qua parte invictus esset, praemisso levis armaturae equitatu, qui cedentem vestigiis insequeretur, parum illi tutum receptum, certe minime honestum Regi, turpemque inprimis Vngaris efficeret, qui hostis Turcae congressum vitare, numquam, multo etiam inferiores numero, consuevissent. Hoc vero unum equitatus genus Turcae noverunt, quod ut illis explicatius sit, facit e propinquis Thraeciae armentis generosorum equorum facultas, quorum est pernicitas summa, et ad ferendos belli atque itinerum labores robur par; quibus durati XX saepe annum vegetas vires, atque integros animos ad bellicos usus servant, quibus nostri vix decimo peracto fessi aetate fatiscunt. Occurrit cum exercitu adveniēti Regi in castra Tomoreus, cum quidem eo praemissus aegre a suis impetrasset, ut animum inducerent hunc illi honorem habere, irati quod non citius quam vellet se suosque per iniquae pugnae discrimen, sese volens et sciens perditum iret. Hinc castra coniuncta, parvo tamen relicto inter utraque intervallo, non malo consilio, ne qui in officio erant, morbi contagione, quod erat facillimum, in eandem amentiam furoremque raperentur. Quod tamen ne videretur timendum, exigui-

tas temporis faciebat, atque accelerans suum adventum, et iam poscentibus signum dans ad pugnam hostis, qui invitos etiam et tergiversantes, cogeret primo quoque tempore decertare. Etsi vero de pugnae eventu non dubitabat, cum maiestate imperii ipse invictus dux, qua una re Turcarum potentia in tantum fastigium crevit, militem fortissimum, et disciplinae militaris peritum adduceret, certiolem tamen victoriae spem in eo positam intelligebat, si Regem, dum seditionibus regia castra laborarent, aggredereur, cum quidem non dubitaret, quin Regi prius esset cum suis, quam cum hoste pugnandum; non virium exiguitate magis, quam militum vesana ferocia et suis aequae et hosti contemnendo. Hoc quidem saepe animadversum, „belli ducem vicisse, qui ab hoste contemptus, proelium inisset, milite in aciem educto imperii potente, nunquam fere non discessisse victum, qui quantumvis hosti terrori, suis contemptui esset.“ Neque vero satis constabat, utrum adversus ducem carentem exercitu, an adversus exercitum carentem duce esset Solimano pugnandum assueto milite imperatoris nutum, ubi eum certa ratio a re gerenda avocaret, pro ratione atque imperio habere; imperatore ita assueto militem habere in potestate, ut cum se crederet unius, qui imperaret arbitrio vivere, non suo; vitam, ubi ea in acie defungendum esset, reddere se exigenti debitam; alienam vitam, non suam, ubi victus superesset, cum perpetuo dedecore victurum.

IO. MICHAELIS BRVTI

VNGARICARVM RERVM

LIBER SEPTIMVS.

---



## LIBER SEPTIMVS.

Iam pugnae appetebat tempus, cum Ludovicus Rex, inexorabili rapiente fato ad exitium Vngaros, consulere de proelio coepit: nihilo enim remissioribus studiis milites pugnae signum poscebant, quorum vecordiam, quando frenari nulla alia ratione poterat, regii duces recte in hostium perniciem convertendam censebant, qui eo alacrioribus animis erant pugnaturi, quo maiorem conceptam spem habebant, victoriae praemium non Vngariam modo, de qua tum disceptabatur armis, sed Germaniam omnem, atque Europae regna opulentissima defunctis uno proelio cessura. Interea Buda onustae naves bellicis tormentis, cum eorum necessario apparatu, tum novem machinis, ad rei militaris usum missae Vienna a Ferdinando, ad Danubii ripas appulerunt, quae moesto Regi solatio in praesentia magis, quam subsidio rem gerenti fuerunt, simul ab Alexio Tursone, thesauri regii praefecto, quem Rex Budae cum episcopo Vesprimiensi apud iuvenem reginam reliquerat, ducenti pedites; e Croatia regius dux cum tribus equitum millibus egregie armatis, pedibus non ita multis, tum e Dalmatis Ioannes Tahius et Ioannes Bamfius, atque hi quidem paucis ante diebus, quam est proelium commissum. Hos postridie mane duo fratres consecuti, Zagrabiensis, et Petrus Erdeodius atque is quidem paratus cum hoste confi-

gere, quem uti acceperat, instruentem aciem, eo die omnino descensurum in aciem credebat. Hi amplius DCC equitibus optime instructis ex multorum delectu, atque intentissima conquisitione secum adduxerant: neque multo post, inclinante in vesperam die, advenit Ioannes Zerechenus cum duobus peditum millibus. Hi partim Dravi amnis accolae, partim ex agro Quinquecelesiensi subito delectu coacti, insignes sagittarii ferebantur, aptum inprimis hominum genus ad pugnam cum Turca hoste ciendam, quicum crebro proeliari, ut fere solet, in regni finibus consueverat. Dicitur et Ioannes Bornemissa, cum vir maximus natu ferre militiae laborem haud posset, Stephanum Acelum cum equitibus circiter CCC misisse, adiecta Vngarorum aureorum nummum aliquot millium summa, quae Regi alumno subsidio bellum gerenti esset, insigne amoris et fidei, et in Regem, et in patriam documentum. Praeter hos omnes, ex propinquis locis, ut sine insigni inertiae infamia deesse officio haud possent, frequentes ad signa convenere, cum alii nonnulli, tum maxime Philippus Moraecus, et Vladislaus frater, impigri homines, et rei militaris periti, ingentis pietatis laudem illi quidem relaturo, qui laboranti patriae in extremo discrimine adessent, sed parum iidem fortunati in tam necessarij officij functione futuri. His omnibus Rex, pro eorum merito collaudatis, cum exercitum de more lustrari iussisset, ad XXV millia armatorum reperit, qui inani fiducia freti adversus CCC Turcarum millia in acie pugnaturi non ad proelium, sed ad lanienam et certum exitium mittebantur. Ab erat hostis altero a regiis castris milliari, levioribus proeliis, antequam de summa rerum decerneret, virium nostrorum periculum facturus: etsi enim haud dubi-

tare de victoria poterat, qui non copias solum pares ad gerendum bellum, sed ad virium etiam ostentationem habebat, lubebat tamen per levia proelia experiri, quidnam illud esset, quod Vngaro Solimani hostis contemptori in fiduciam verteret, quem quidem multitudine suorum, cessantium etiam, non districtis gladiis, non telis, non tormentis emissis, circumventum, obrutumque iri adeo intelligebat: sic vero Solimanus ratiocinabatur, non ex vano tamen Vngaris sui fiduciam tantam haustam, hostium tantam contemptionem, tamquam cum pecude, non cum milite fortissimo esset ineunda pugna, ultro proeliandi studio furentibus; tutissimum secutus consilium in magnis gerendis rebus, antequam de summa rerum experiretur, duci ne minimi quoque momenti rem contemnendam. Insidiae nullae erant cavendae apertis locis, et patentibus gerentibus rem, sed quod nostris spem animosque augeret defectionis suorum suspicio nonnulla, ne dum sui cum hostibus consererent manus, ex iis ad Vngaros multi transirent, quorum fidei et constantiae, antequam cum universis copiis in aciem descenderet, recte sibi periculum faciendum censebat. Ac regii milites hostis iudicio superbi, qui pridem tumerent, tamquam non auderet configere, ac propterea suos a pugna prohiberet, usque eo audacia praecipites ferebantur, ut iniussu Regis, et non expectato pugnae signo, ultro viderentur in hostium castra irrupturi. Ita per triduum, quod proelii tempus antecessit, numquam nostri desiderunt, quid hostes virtute possent levibus proeliis experiri, neque fere unquam accidit, ut non maiore Turcarum detrimento, quam regionum in castra discederetur; quod acquissimo animo Solimanus ferebat, haud ignarus, quidquid per eam occasionem fiduciae

hosti accederet, totum in temeritatem verti, quae eum opportuniorem et viribus et consilio vincenti redderet. Regii quidem ex laeto pugnae eventu tantos sibi spiritus sumebant, ut per se temeritate atque amentia furentes, non de victoria, quam sibi minime dubiam spondebant, sed de victoriae praemiis quasi omni belli discrimine perfuncti cogitarent. Interea, ut diximus, regii duces de tota ratione ineundi proelii consultabant, qua opportunus locus collocando equitatu, qua instruenda peditum acie haberetur; qua Rex inter dimicandum consisteret, qua ceteri duces; inprimis quo loco tormenta disponi placeret, quae res magnos usus, recte administrata praesertim, quibus exiguae militum copiae, spem dubiam victoriae facerent, credebatur allatura. Maiora quidem LXXX Rex curaverat in castra advehenda, quorum usus peropportunos campistris proeliis habebatur, immanis ponderis globos emittentia. Numerus pro ceterarum virium exiguitate minime contemnendus, nisi cum hostium copia conferretur, poterat videri: in quo tamen, ne multum praesidii aut nostris aut hostibus relinqueretur, loci situs ubi disponi tormenta placuit, sive casu id, sive consilio accidit, et pugnae ratio effecit. Iam et illud deinceps quaesitum, ecqua ratio ineunda videretur, Regem a pugnae discrimine incolumem servandi, qui auctor eius sententiae esset, non laborare se Regis causa solum, sed omnium etiam dicente, quorum salus unius salute et vita contineretur. Et melioribus quidem placebat, stipatum delectorum militum manu in tutum locum extra aciem abducendum, sive ex sententia res gereretur, e propinquo loco victores suos spectaturum, sive secus, quam vellet, quod adeo triste omen deus averteret, se victori superbo suae caedis avido sub-



tracturum. Ad cuius rei mentionem fere ab omnibus, qui in consilio aderant, reclamatum est, negantibus passuros Vngaros Regem a proelio abesse, quo praesente, atque ex aequo capessente pugnam, cum hoste conserere manum, multo acriore studio et alacrioribus animis, id quod a natura innatum haberent, consuevissent; permagni enim ad spem victoriae interesse existimare, adesse Regem unius cuiusque virtutis atque ignaviae testem, ut non dubitarent, quin prospectae et cognitae suorum virtutis esset praemium dignum viris fortibus persoluturus. Quae quamquam ita essent, non defuere tamen, qui callido commento fallendum militem, per Regis fictam personam censerent, certo supposito homine, qui illi statura par cetera falleret, insignibus regiis ornatus. Quae fallacia non mala, ubi, quemadmodum sperabant, res processisset, vulgo militibus detecta, magnam seditionem concitavit, palam frementium elusos se ac proditos, a quibus minime oporteret. Hanc rei militaris rationem esse, hanc veteris disciplinae maiorum, a qua temere Vngari discedere non consuevissent, ut miles, quantumvis pectoris robore et animi magnitudine septus, non suarum virium magis, quam ducis fiducia pugnaret, cum duce speraret, timeret, staret in acie, pedem referret, pro ratione, unius imperium auctoritatemque haberet: quae caussa veteribus fuisset, purpurae insigni, quo discrimine inter multos in re gerenda conspiceretur, imperatorem honestandi. Vt caput in corpore emineret, cuius ratio atque imperium subiectis partibus moderaretur: ita quem dignitate principem unum multi agnoscerent, aequum esse, cum aliis omnibus gerendis rebus, tum perferendis laboribus, ad eundis periculis, in hostem pugnando, principes partes

praestare, neque id ratione magis, quam exemplo et recte factis, cum unus inter multos sit et suis pariter et hostibus conspiciendus. Quam turpe vero requiri ducem in pugnae discrimine, ubi non solum militem, verum etiam lixam et calonem delitescere flagitium sit? Non habendum Regem, qui ita tempora separata haberet, ut tamquam sua non aliorum caussa regnaret, rebus laetis Regis personam sumeret, poneret arduis atque adversis. Enimvero Regem beatum, qui nollet se Regem agnosci, nisi quamdiu res secundae fluerent in molli vita, umbra, otio, somno; multo vero eundem beatissimum, si hoc putaret sibi per rerum humanarum vicissitudinem licere, perpetua regni fortuna, atque aequabili, quamdiu viveret, frui. Quid porro aliud Regem tam mollem agere, quam qui itineris dux, plana atque expedita via laetus praeceat: ubi arduus mons, praeceps ac praeruptus locus sit superandus, ubi plures eodem coeuntes viae quae sit capeSSenda dubium faciant, suscepti muneris immemor renunciet conditionem? Cuius vero virtutis illa praemia esse? summum honorem, principem locum, sellam curulem, sceptrum, alia regni ornamenta, quae uni a multis deferrentur? Hisne insignibus eum honestari, ut beatam vitam sectaretur, et vacuam curis? ut langueret otio, indulgeret voluptatibus, quaereret umbras, unguentis delibutus se populo spectandum ostentaret? scilicet, ut esset unde sui peterent sibi exemplum ad bene et beate vivendum, discerent horrere campum, pulverem, aciem, solem, armatum hostem, vulnera, mortem?

Ita, ea re discussa, discessum in alia omnia est. Nec tamen destitui Regem placuit, ex amicis interioribus, tribus delectis, virtutis ac fidei perspectae,

qui ad subitos casus, eius latera tegentes, pugnae subtraherent, atque eo perducerent, quo hosti aditus difficilior ad iniuriam pateret, pio quidem consilio, sed difficili inter gerendam rem explicatu, quam non ratio ulla, sed casus et fortuna, quae non est in hominis potestate, moderatur. Hi fuerunt Gaspar Rascaius, Valentinus Törökus, Ioannes Callaius: quibus, quo alacrius, ubi res posceret, mandatum sibi munus exsequerentur, attributi sunt generosi equi, quibus spes erat, ubi quid durius accideret, fugam Regem capessentem, et qui eum comites sequerentur, extra aciem evasuros. Qua re ita constituta, cum iam instaret pugnae tempus, de acie instruenda actum: quae res magni momenti, quominus ex hostis viribus, qui tanto nostris superior erat, atque ex rei militaris ratione administraretur, multorum sententiae obstiterunt, quae in diversum animos trahebant, tacentibus iis, quibus plus consilii quam auctoritatis inesset: qua peste nulla tetrior atque immanior in regum consiliis, quorum dignitas et salus, prudentium hominum auctoritate et sapientia continetur: erant enim qui censerent, ne facile hostes, nostros corona cingerent, atque in circumventos pugnarent, cuius rei magnam facultatem illis militum numerus subministrabat, rhedis carrisque, et si quid aliud praesto esset, in quo aliquid roboris ad resistendum haberetur, aciem circumdandam; ita fore sperantes, ut, iis pro vallo obiectis, facile irrumpentium hostium impetum retardarent. Quorum consilium approbantibus multis, cum rei gerendae cura, rei militaris peritis hominibus tradita esset: eos temporis angustiae eluserunt, cum mane esset cum hoste pugnandum, iam inclinato in vesperam die opus aggress-

sos. Ita consilii ratio, ut in perditis rebus, nostris imprimis salutaris futura, dum dicendis sententiis diem terunt, ut alia omnia, male administrata, atque clapsa e manibus est. Postridie eius diei, is fuit dies IV. kalendas Septembris, Ioannis Baptistae caedi sacer, copiis e castris eductis ita acies instructa, ut quam latissime posset, utrimque porrecta acies, ne, id quod erat verendum, Turca nostros equitatu circumiret, extenderetur; quae res, dum graviori incommodo occurritur, subire necessario alterum maius coegit, cum minime esset dubitandum, quin ita extenuata acies, minus roboris ac firmitatis haberet, ubi cum hoste esset concurrendum. Universae copiae ita distributae, ut duo agmina ex his efficerentur: in quorum altero belli duces, nullo sibi certo destinato loco, unum sibi munus desumpserant, qua res posceret, et pugnae ratio, occurrendi. Hinc Croatiae praefectus Franciscus Batthianus dextro cornu cum Ioanne Tahio praeesse, sinistro quem locum Voivodae attribui placuerat, ubi in tempore adfuisset, praeesse Petrus Perinius iussus. Primum erat hoc agmen, in quo praecipui ex nobilitate conspiciebantur, Franciscus Homonaius, Antonius Palotius, Gabriel Perinius, Thomas Zecius, Andreas Bathoreus, Emericus Cibachus, alii, quibus ab animo magis quam a viribus paratis, potior fuit pietatis atque officii laus, ubi etiam esset, vita in acie pro patriae salute profundenda, quam domi per inertem moram quaerenda salus, ne satis illa quidem tuta in interioribus domus penetralibus, patriae imminente hoste ad excidium, futura. Alterum erat agmen, quod in eo Rex erat futurus, priore aliquanto firmum et validum magis; totum enim equitatus densabat, non ita perditum magno relicto spatio ad latera tegenda. Stataria acies vulgo Vngaris appellatur. Ante Regem alia erat mili-

tum manus triplici ordine instructa, tum ex iis, qui ad cubituli ministeria assistebant, tum ex principibus nonnullis, in quorum numero erat Nicolaus Turzaius, vir fortissimus, cuius virtus et fides Regi erat magnis in rebus explorata. Praeter hos una cum Boemorum delectis aliquot, et ex Moravia nonnullis, Stephanus Slychus Boemus, vir magni animi et consilii, Petrus Corlatius, et Andreas Trepca Polonus, cuius supra mentionem fecimus, duo regiae praefecti Regem stipabant, atque ita hoc quidem, ut medius inter duos pontifices, Strigoniensem et Zagrabiensem, tegeretur, aliis ex pontificum ordine, quorum erat dignitas maior, subsequentibus, ut tamen a laeva Palatino proximum Regi relinquerent locum, qui omnium minus, quam muneris sui memor, quamquam vexatus ingentibus artium doloribus, vix esset par equo insidendo, vigilantis ducis, et militis partes impigre eo die praestitisse fertur. Pone Regem cum alii sequebantur, tum Cetricius, Mailatus, et regii stabuli magister Horvatus, atque hos ipsos magna clientium manus, quibus eximia fides virtusque persuaserat, ut eandem cum iis fortunam, quorum gratia atque opibus crevissent, experirentur. Inde gravis armaturae equites mille delecti agmen claudebant; inter quos medius Ioannes Dragfius regium vexillum ferebat, vir magnae apud Regem auctoritatis, et regiae aulae iudex, quod insigne munus et praecipuae dignitatis apud Vngaros habetur. His certae erant impositae partes, tuendi Regem, quieturis a proelio, quoad liceret, ut ad omnem casum afferrent integras vires. Locus ubi tamquam in praesidio Regi assisterent, a dextro latere attributus. Tormenta bellica post primos ordines, certo ut videbatur consilio collocata, ut si primi magis

animis, quam viribus validi, referre pedem cogerentur, hostiumque impressionem minus acriter sustinerent; iis diversis dextra laevaue abeuntibus, in adversos, numquam non certo ictu emitterentur, cum tamen, id quod postea res docuit, locus pro hostibus, quorum erat ingens numerus, nostris haud dubie iniquus erat; planicies enim ampla, et quaquaversum late patens, cuius neque sylvae, neque interiecti colles prospectum impediebant, nullum receptum fessis, victisve dabat, et ut circumiri facile possent, cui incommodo maxime erat nostris occurrendum, efficiebat, ne in locorum quidem angustiis pugnantibus, multo meliore conditione futuris: ita enim est inutilis multitudo angustis locis, ut tamen facultas detur, e magno pugnantium numero, crebrius integros laborantibus summitendi; cuius rei facultas ubi desit, etiamsi magna adsit in paucitate virtus, magna saepe afferre incommoda et detrimenta consuevit: „Etsi enim numquam virtus in magnitudine animi languet; saepe tamen animi robur, quod vigens semper in malis virtus subministrat, corporis deficiunt vires.“ Iam a Danubii ripa, quibus finibus planicies terminabatur, ut uliginosis locis solet, stagnantes aquae et palustres erant, quae etiamsi victis fuga esset ad naves intendenda (erant enim Regis navales copiae, quae nulli usui eo bello fuerunt), iis aditum intercluderent. Inter regios et Turcas collis intercedebat, ita porrectus in longitudinem, ut propior hostibus esset, quam nostris accessus. Ultra eum collem, Solimanus loci opportunitatem secutus, posuerat castra, certo consilio, ut esset, quod pro vallo hosti obiiceret. Id quod ille tamen egisse videbatur, magis ut rei militaris ratio servaretur, quam quod esse magnopere necessarium ad summam victo-

riae existimaret. Erat in imo fere clivo, pagus opportune situs (Feldvar vulgo appellant), atque in eo sacra aedes unde longe lateque patebat in subiectam planiciem prospectus. Is locus tormentis delectus, qui etsi molliter acclivis ab ea planicie aliquantum assurgebat, in qua nostri consederant, idem tamen alicubi tamquam in vallem depressus, multo minus erat aptus tormentis ad ictum librandis, quam si ex plano loco in adversos emittere licuisset. Itaque, sive id libratorum imperitia accidit, sive, id quod nonnulli tradunt, voluntate, cum eiusdem religionis et caussae homines, quamquam barbarorum cultum et superstitiosa sacra ostentarent, natura suis cogeret favere; tantus tormentorum apparatus, quae universae Vngariae excindendae comparata credebantur, plus nostris terroris attulit, quam incommodi et detrimenti. Cum, orto iam sole, instructa acies ac parata ad dimicandum constitisset, Palatinus, quo milites alacrioribus animis proelium inirent, Regem aperto capite, ut facilius dignosci posset, per universos suorum ordines circumducit: Nulla oratione incitandos Vngarorum animos ad pugnam dicitans, quibus fortissimus Rex, pro sua in patriam pietate et gentis gloria, exemplo suis ad rem bene gerendam esset. Turpe esse veteranum militem ab adolescente Rege incitari, longo rerum bellicarum usu in laudis cursu exercitatum, natum ad gloriam, ad res magnas gerendas, cuius esset alumnus tantus Rex; quem unum patriae propugnatorem sui agnoscerent; perhorrescerent patriae vindicem hostes. Vnum modo hortari, ne a se ipsi deficerent, et ut partam laudem multis fortibus factis, constantia, et magnitudine animi pergerent tueri. Ac, nisi parum necessarium duceret, quorum animos ardere pugnandi studio videret,

id quod eminens in vultu alacritas, fronte, oculis ostentaret, pluribus ad virtutem atque ad decus excitare, per eam, quam profiterentur, religionem sanctissimam adhortaturum, obtestaturumque adeo, ut capesserent pugnam iis animis, quibus saepe contra multis obnitentibus appetiissent. Si caussa pro qua pugnaturi essent, adderet vires: patriam in oculis versari, in ultimo rerum discrimine a suis opem atque auxilium implorantem: patriam, quae appetita barbarorum hostium armis, destituta exterorum regum auxiliis, communis salutis et libertatis vindices, Christianae reipublicae propugnatores, viros fortissimos, ad praestandum suis pietatis extremum munus inflammaret. Ita vero illam a suis, quam dedisset vitam reposecere, ut intelligerent, viris fortibus unum vitae praemium propositum maximum, praeclare mori. Quae saepe Regi spondere auditi essent, versarent animis: meminissent, duces sequi ipsos se; neque paterentur cuiusquam oratione magis, quam animi praesentia et digna virtute Vngarorum gente, incitari ad gloriae studium, quo sua sponte efferrentur. Nullum vero illis incitamentum maius, quam a sui aemulatione. Ipsi se modo aemularentur, ut haberent alii, quorum exemplo fierent meliores, et ad virtutem, animi magnitudinem, atque in patriam pietatem, in coniuges, liberos, parentes, constantiam adderent, quae ita ipsa virtus esset, ut sine ea una nulla esse virtus posset. Adesse tempus, ut memores suae constantiae, quam fiduciam in castris ostentassent, pugnae signum poscendo; ubi classicum canere audissent, in acie dimicando praestarent. Vicisse vero illos, si quae praemia victores, si quae mala victos manerent, animo agitent. Duos esse stimulos, quibus magnitudine animi praestantes



homines moverentur, hinc spem, hinc metum: qui quidem cum excitaret animos ad fugiendum dedecus, atque ab infamia nomen vindicandum; augeret, non debilitaret vires. Averteret adeo infaustum omen a suis in hostes deus: quid non esse de fortissimo milite sperandum, si eorum malorum metus tangeret animos, quae victis a superbo victore imminerent, populorum excidium, interitus nobilitatis, maximi olim ac nobilissimi regni occasus. Versarent vero animis prostratam sanctissimam religionem, contaminata sacra, virgines, nobiles matronas, ingenuos pueros, aut mactatos ferro, aut, violato pudore, abreptos in servitutem; versarent animis, non sui modo, sed universae Christianae religionis memores, quantum vulnus per deletam Vngarorum gentem, quod deus immortalis suis propitius prohiberet, essent barbari hostes gentibus omnibus illaturi, quae Christi nomen profiterentur. Id si agerent, nullum illis acrius ad virtutem futurum incitamentum; quam enim facem, tantorum malorum recordatione, quod incendium in eorum animis excitatum iri, qui his modo audiendis, incendi, inflammari, rapi in vulnera, in caedes, ferri in hostes, non expectato pugnae signo, praecurrere suorum vota videantur? Atque haec quidem proposita incommoda tantarum cladum metu horrentibus: quanta proposita praemia e victoriae spe, re bene atque ex sententia gesta? amplio rem augustioremve titulum excogitari ullum alium posse, quam qui Vngaris debeatur, victoria parta liberatoribus non patriae solum, sed totius Christiani orbis? Quod si moveantur praedae cupiditate, elati animi studio gloriae: quam aliam opulentio rem, uberiorem sibi animis spondeant, quam quae maneat victores, parta de praedonibus orbis terrarum? de iis,

qui magnam Europae partem, Asiam atque Africam omnem non excursionibus et latrocinis, sed maximis gerendis bellis, nobilissimis debellandis populis, gentibusque percurrissent? qui ita florerent miserorum aerumnis, sanguine, caedibus, urbium direptionibus, incendiis, ut esse beati fortunatique non possent, nisi iactati et vexati populi multi, deletae gentes nobilissimae, eversae provinciae, multi mortales orbatum patria, supplicia immania, servitutem teterrimam, liberis hominibus mala non ferenda passi essent? Pugnam vero alacres capesserent, virtute, fortitudine, constantia innixi, quae propriae Vngarorum virtutes essent, et alia omnia, et mortem studio verae laudis contemnentium; irent laetis animis in hostem inertem, imbellem, unico telo armatum, multitudine et numero, adversus quem semper virtutis robore munita pectora invicta stetissent. Christum suis vitae salutisque auctorem, pugnantibus pro sanctissima causa, in summo rerum omnium discrimine praesentem propitium affuturum. Haec audiente Rege, ut proficisci ab illius ore viderentur, Stephanus Palatinus; quae cum per se vim magnam haberent ad incendendos militum animos, tamquam iniecta flammis arida materia faces per se incitatis admovebant. Interea Turca, praemissis qui cum regiis levia certamina sererent, eo consilio, uti pugnando fessi, minus integras vires in proelium afferrent, dubium relinquebat, utrum, exacta iam magna diei parte, esset pugnandi copiam factururus; an, quod nonnulli suspicabantur, iam in castra reductos et quiescentes opprimere noctis tempore nihil tale expectantes, constituisset. Qua expectatione cum duces suspensi animis et incerti consilii essent, vixque sibi persuaderent, in certamen hostem eo die descensurum

iam inclinante in vesperam die , magnam hostium manum , quae se placide collis in planiciem demittebat, nullo tubarum sonitu et clamore adventum prodente, tacite progredi, et ad nostra castra contendere. Sed ne regii temere falli re minus provisā possent, densis hastis horrens advenientium agmen faciebat, quarum fastigia exstantia , facile ex demissioribus locis conspiciabantur. Qua re Tomoreus intellecta, suspicatus hostes eo consilio suis locis excessisse, ut aut nec opinantibus nostris capta castra diriperent, aut aciem circumirent, celeriter e prima acie ad Regem accurrit, atque inde Gasparem Rascaium , unum ex iis, quibus Regis custodia permissa erat, ducis imperio, annuente Rege, obviam ire hosti, et, quod eius consilium sit explorare, ac referre extemplo iubet. Ita Rascaius minime cunctatus, ne, si recusaret obtenta Regis custodia, in qua illi esset honesta caussa manendi, in timoris opinionem verteret; quibus imperabat, equitibus assumptis, ad hostes contendit. Hinc diu exspectantibus militibus sub armis fessis, qui ab ortu solis ad tertiam a meridie horam armati stetissent; nonnulli ex principibus, eorum immemores, qui praemissi cum Rascaio erant, cum satis iam praeclarum domesticae virtutis fortitudinisque documentum editum contenderent, receptui canendum, et reducendum in castra militem censebant. Qua re duces animadversa, ire ad Regem pergunt, veriti ne eum in sententiam perducerent, quorumvis potius, quam suo arbitrato, de gravioribus rebus deliberare assuetum. Id autem si accideret, non esse dubitandum credebant, quin cum Rascaio, amissa delectorum equitum ala, insigne detrimentum acciperetur, quod in magna copiarum exiguitate videretur permagni faciendum. Docebant vero quanto satius es-

set, cum copiarum parte conserere manum, quam cunctando differendoque committere, ut cum universis hostium copiis esset configendum; oblatam opportunitatem gerendae rei non videri omittendam, quae non in prudentium hominum consilio, sed in fortunae inconstantia et mobilitate posita esset. Quodnam vero hoc consilium, proditos a suis equites lectissimos, qui missi exploratum essent, cum duce nobilissimo obici ad caedem? Non dubitaret pugnae signum dare: penes quos ius fasque esset victoriam futuram, quam quidem optimis auspiciis inter rem divinam, castis precibus numinis pace impetrata, sibi deberent animis spondere. Dicitur Rex, cum acceptam a suis galeam indueret, obversante animo pugnae eventu expalluisse, quem, ubi cum suis hostium copias conferret, sibi tristem, ratione certum exprimente metum, qui dissimulari non poterat, praesagiebat. Eximia quidem virtutis indoles in adolescente, cui praesertim mollior educatio, quam quae Regem deceret, contigisset, ita horruisse descensurum in aciem, pugnam ultimi discriminis initurus, ut minime demitteret animum, adesset suis, imperatoris munus inter duces obiret, summo Rege dignum animum praestaret. Quamquam vero milites amentia et furore perciti Regem subtrahentibus a belli discrimine obstitissent: non erat illis tamen defutura ratio, e praesenti periculo eum subducendi, aut salutari fallacia sua spe seditiosis militibus frustratis, aut per apertam vim furentium audacia compressa; ut interea Rex cum expedito equitatu et peditum delectis quorum erant integri a seditione animi, tuto receptu se imminente exitio subtraheret; sive illi vero in amentia persisterent, non erat tam contumacium militum iactura deploranda; sive animos ab errore colli-

gerent, Regem iter accelerantibus non aegre consequi per vestigia licebat, non ita prope ab hoste collatis castris, ut non satis spatii ad receptum relinqueretur; certe constantiae summae fuit, ea praesertim aetate, quam raro prudentia comitatur, longo rerum usu comparanda, suum ius cum obtinere non posset, ne videretur vi cessisse, qua re nominis maiestas laedebatur, pertinaci amentia obduratis animis, in praesentia dissimulando condonare potuisse. Cum signa concinuissent, qui erant in prima acie locati, nequidquam precati infestum Vngariae numen, ut praesens favensque pugnantis adessent, sublato clamore, in hostem contendunt. Iam enim Turcae per collis declivitatem sensim se in planiciem demiserant, nostro more servatis ordinibus in proelium procedentes, simul dum acies concurrunt, ingentes globos e maioribus tormentis emittunt, diverso quam convenerat, consilio, quae ut haud satis magnam stragem hostium ederent, terrorem hostibus, nostris animos fiduciamque addiderunt. Pugnatum utrimque acriter, hostibus multitudine nostros urgentibus, virtute adnitentibus nostris atque inferentibus signa in adversos, magna quidem spe, ubi ordines turbarent, cuius rei facultatem barbarorum multitudinem innumerabilem, et ob id ipsum, quod verisimile erat, confusam atque inconditam daturam sperabant, magnam inde opportunitatem ad summam victoriam de pristina virtute non remittentibus exorituram. Mox cum adhuc magis densata acie, nostri conferti dimicarent, quo genere pugnae vincebant, robore animi, et viribus superiores: sensim Turcae pedem referre, et mollius cedere coeperunt, eo consilio, ut ordines servantes, et minime remittentes de pugnae ardore, quod nonnulli e nostris suspicati sunt, incautos

elicerent in sua loca, quo ictibus tormentorum magis opportuni paterent. Hinc rumor temere ortus, victos hostes se fugae mandare, et ubi paullum adniterentur, victoriam esse in manu, quod tum per alios ad Regem, et per Andream Bathorem perlatum, magnae auctoritatis hominem, temere creditum est. Ita, tamquam nostris primo congressu fortuna proelii defunctis, Regem hortantur, occasione ne desit: non esse quidquam laxamenti hosti dandum, et fugientem impellentibus victoriae spem, quae certa esset, virtute et constantia celeriore reddendam. Quibus verbis Rex incitatus, cum universo suorum agmine, quantum per gravis armaturae equites accelerari poterat, primos secutus persequentes, qui ut mox cognitum est, consulto cedebant, eo pervenit, ubi eum Turcae maxime fore apertum adversus tormentorum ictus crediderunt. Quae quidem simulatque igni concepto eiaculari in subiectos, et aperte ad ictus expositos coeperunt, tantum omnibus pavorem iniecere, ut quamquam in eius rei expectationem erecti, animos ante ad omnem fortunam comparassent, cum crebri globi praetervolarent pignantium capita, coelo suis sedibus convulso, tonitrua et fulmina emitti, quibus exscinderetur terrarum orbis, existimarent. Id primo aspectu magis quam re pertimescendum, repente tetra malorum facie offusa, quam tamen disiiceret, si adesset vera virtus, ut ab Vngaris fugae initium fieret effecit, nequidquam ducibus a perterritis pristinam ferociam requirentibus, cuius ardor tam cito animis consedisset, atque inanem metum increpantibus, quo correpti tamquam lymphatae atque attonitae, anus obiectas umbratiles larvas non ferentes, per turpem fugam terga hostibus nudarent. Quo abiisse feroces illas minas, magnifica illa

verba, superbos spiritus, quibus elati singulos adversus plenam Turcarum cohortem iactarent sese pugnatos, feroces in conviviis et contuberniis, in campo atque in acie, et Regis, et patriae, et sui immemores? Quae a ducibus commemorata fugientibus dedecus augebant; ad revocandos animos ad laudis et gloriae decus nihil incitamenti habuerunt. Ita iis, qui in dextro cornu erant, primis terga vertentibus, ceteri fuga effusa, minime dubiam victoriam hosti fecerunt, cum pudorem sustulisset atra subito exorta nubes, quae fumo pulvere immisto, sese efferens humo, tenebris obductum coelum involuisset. Inde conversi Turcae, qui paullo ante fugiebant, in persequentes se regios impetum faciunt, quibus omnem ad salutem receptum ademisset tum loci natura, vasto et vorticoso amne fugam victis intercludente, tum hostis equitatus, qui, qua effugium patebat, aditus omnes undique circumfusus clausisset. Alii, cum non amplius X passibus a tormentis abessent, ac fortiter hostium impressionem sustinentes, pugnam instaurare iam persequendo hostes frustra fessi conati essent: animadversa vera suorum fuga, acti pavore imminentis mali, et ipsi praecipites terga verterunt. Saluti fugientibus fuit, sive hostium suspicio, cum subesse fraudem arbitrati se consulto intra aciem continuissent: sive lassitudo; id quod mihi magis verisimile fit; cum quidem superiores proelio insuper regia castra direpta solo aequassent, non avaritiae solum, sed odii etiam in nostros inexpiabilis, in castrorum ruina atque exscidio insignibus vestigiis relictis. Eo accesserunt sub vesperam vehementius effusi imbres, qui noctem per se infestam, obscuriorem atrioremque reddiderunt; ut cum potiti victoria, laboris taedio victi succumberent, facile pate-

rentur sibi per occasionem adversae tempestatis \*), ingenti hominum praeda equorumque amissa ad quietum spatium dari. Regem ab eo tempore, quo dextrum cornu inclinare coepit, quidquid illum subito e suorum oculis subduxisset, vivum nemo postea vidit, alii pugnae initio progressum inter primos ordines tradunt, ubi impigre satque acriter aliquantisper inter conserptos pugnavit; inde pulsus ac dissipatis suis, cum et ipse fugam arripuisset, in proximos paludes, sive ipsum locorum imperitum, sive invitum a consternato equo et perterrito, delatum interiisse. Cadaver postea cum cura conquisitum inventum ad Celiam est, qui pagus haud longe Mohacio abest, praerupto loco situs, quo dehiscentem terram Danubius super ripas effusus stagnat. Atque ut in eo violari iniquo fato Regis maiestas visa est, quod informi limo oblitum cadaver, et fere obrutum caeno, nullis vestigiis locum indicantibus, ubi inhumatum iaceret est inventum: ita in eo mortuo est prospectum, quod vivus in hostis potestatem non venit; quae una illi voluptas multo erat proelii fortuna, et victoria potior futura. Et ita quidem tum visum, et eorum eventus, quae postea in Vngaria evenerant, docuit, et cum Rege, et cum regno simul praeclarius actum iri, coniectura facta e Solimani ingenio, quem verisimile erat, si vivus venisset in potestatem, vectigale regnum, non aegre per aequas conditiones missum factum, obtinere passurum, minime certe dubitandum, quin ea mala ab Vngaris essent abfutura, quae per duorum regum discidium regnum fere everterant. Haud procul a Regis corpore An-

\*) Innen a következő 250. lapon álló esillagig hézag van a Pesti Codexben, mely azonban egészen nem pótolthatott a Bécsiből.



drae Trepeze et Stephani Azeli cadavera inventa, quos Regis fugae comites secutos tanta acceptae cladis tristem accessionem futuros periisse creditum est. Tomoreus haud paullo miles quam dux melior, qua densior erat hostium multitudo pugnando, ac proelium ubi opus esset restituendo, cecidit. Vir memorabilis, si animi vires atque in patriam et Regem fidem consecuta esset vis consilii, quo destitutum multi credunt, et sibi, et Regi et Vngariae adeo exitio fuisse; nobis integrum huius rei iudicium relinquere iis est visum, qui per ea tempora vixerint, quorum nonnulli exactae aetatis homines, adhuc nobis haec scribentibus supersunt. Interfecti caput, quem ceteris ducibus Turcarum genti infestiolem vehementius barbari oderant, cum saevire in vivum non licuisset, hastae affixum, gratum mox spectaculum Solimano futurum, per castra triumphantium similes circumferentes, ante praetorium constituere, magnam se arbitrati a victore gratiam hoc nomine inituros. Postridie quam pugnatum est, iussit ad se adduci Solimanus ad mille quingentos catenis vinctos, atque in his ex prima nobilitate multos, qui vivi venerant in potestatem, spectante exercitu, cum nulla humanitatis ratio ostenderetur, quae efferatum odio animum ad misericordiam flecteret, nulla, quae impotentem victoria ab ulciscendi libidine retardaret, capite plectendos curavit, perpauca exceptis unam obcausam, ut haberet a quibus certior fieret, cum de aliis Vngarorum consiliis, tum de rebus aliis occultioribus, quae a se non ignorari magni sui crederet interesse. Fertur e caesorum sanguine Mehemeti praesidi Turcarum numini barbara superstitione libasse; eidem gratias agere ea ceremonia, quae est apud illos sanctissima, ceteris iussis, quod illius praesenti auxilio,

atque ope, clarissima victoria potiri, et proferre terminos imperii licuisset. In eo proelio interfecti multi quorum insignis nobilitas, praeter Regis interitum, Vngaris effecerat funestioem cladem: in his ex pontificum ordine Ladislaus Zalkanus Strigoniensis, Tomoreus Colocensis, Franciscus Perinnius Varadinensis, atque hic quidem cum haud falsus vates tanta clade praedicenda, tum nobilitanda eadem sua caede, inter paucos clarus: fertur enim, cum Rex proelium esset initurus, homo in perditis etiam rebus festivo ac perfaceto ingenio, ad amicos conversus, qui forte aderant, ita vaticinatus esse: Tomoreus, inquit, quae illius pietas est, tamquam non sit satis maiorum memoria militum decem millia pro Christi causa occubuisse, habet, quos hodie addat pontificum Romanorum fastis, XXV millia armatorum, quorum est sollemnia sacra posteritas celebratura. Ceciderunt praeter hos Philippus Moreus Quinquecclesiensis, Iaurinensis Blasius Paxius, Franciscus Zoccolius Chanadiensis, Bosnensis Georgius Palina. Ex nobilitate Georgius Sepusius, alter belli dux Ioannes Dragfius, aulae regiae praefectus, Franciscus Orzagg, Petrus Corlathius, et Andreas Trepeza, omnes in regia summis honoribus functi. Pari nobilitate et alii desiderati: Thomas Zecchius, Gabriel Perinnius, Mathias Cetinus, Frangepanes, Sigismundus Bamfius, Franciscus Hampo, Ioannes Batthianus, Stephanus Slichus. Addit Brodericus alios, quos suo tempore ait apud Regem potentia et gratia excelluisse: Franciscum Balassium, Nicolaum Tarsaium, duos Ioannes Paxium et Istvanfium, Emericum Vardaium, Michaellem Podmanicium, alios ex claris familiis ortos ad quingentos. Superfuerunt ex peditum numero ad IV millia, ex ducibus praeter

unum Hannibalem Cyprium, copiarum pontificiarum ductorem, evasit nemo. Tormenta tum quibus regii usi in proelio erant, tum quae navibus importata, ubi ea parte pugnari oportuerat, usui essent, nonnulla praeterea, quae castris praesidio erant, victor abduxit. Hinc militi sua sponte avido praedae imperatum, ut circumiecta loca vastatum, praedatumque iret. Quo permissio, quaquaversum ira superbi victoris pervagante, eversae urbes, arces excissae, deserti pagi, sacra profanaque omnia late incendiis ac populationibus deformata, abacta armenta, puberes iuxta, impuberesque partim interfecti, partim in servitum abducti, cum nullum sexus, aetatis, ordinis discrimen efferatis odio animis barbari impotentes victoriae nosset, quae cum parta de hostibus lingua, moribus, religione diversis, odii inexorabilis, barbarae crudelitatis, luxuriae, avaritiae, qua pervaderent hostilia arma, monumenta reliquit: nulla enim iura belli, quae aliis sint sancta, Turca colit, impia superstitione imbutis animis in omnes gentes, quae aversae sint a Mahemetis sacris; quo infestior atque immanior sit, se maiore saevire cum pietatis laude, viro forti indignum credat cum victo hoste mitius agere, et suae humanitatis rationem habere. Vnum non videtur praetereundum, quod ab aliis quoque literis proditum: cum late fuso belli terrore, omnia sanguine et caedibus complerentur, inventas matres, quae infantes liberos vivos in terram defoderent, hac una inita ratione, quando caetera subsidia deessent, suos a foeda barbarorum servitute vindicandi. Cum partim odio, partim praedae dulcedine provecti, ad Balatonem usque lacum, ubique in miseros igni, ferro per ultima supplicia bacchando procurrissent, Quinquecclesiensem ur-

bem ignibus iniectis, incendio absumpserunt, non prius inde digressi, quam ad solum usque vidissent conflagrare; templum, quod augustissimum dicitur in arce incolis esse, ne violaretur, potuit a barbaro hoste loci maiestas religionem extorquere, neque hoc tamen ulla in victos moderatione, aut admiratione operis, quae vim fecerat barbaris ingeniis, servari placuit intactum, ut esset ubi Solimanus tam insigni victoria de hostibus parta, augustiore loco et sanctiore Maheмети sacra faceret; ut parceretur arci, templum subsidio fuit, cum vix posse everti sine certa templi ruina videretur. Interea Scepusius, non contemnendis copiis ex vicinis gentibus contractis, e Transilvania profectus, Zegedinum pervenerat. Ibi cognoscit Regem victum importuna suorum contumacia, non exspectatis exterarum gentium auxiliis, dimicare constituisse. Ita iussis suis se extemplo sequi paucis, qui comites itineris essent, secum assumptis, primo quoque tempore, ut proelio, si fieri posset, interesset, accelerato itinere ad Regem contendit. Quae dum impigre ab illo administrabantur, diversa in regni parte, Christophorus Frangepanus, cum haud exigua militum manu Zagrabiam profectus, Boemorum auxilia, quorum pars ad Albam Regiam, pars ad Iaurinum coierat, ad Regem, itinere diverso, abducebat, magna adhibita celeritate, ne si diutius cunctaretur, prius Rex, id quod accidit, cum hoste confingeret, quam ipse ad signa, ut sperabat, conveniret. Nemini dubium erat quin, si Rex, his copiis auctus, cum hostibus signa conferret, alius esset belli eventus consecuturus. Iam Budam ad Mariam Reginam de male gesta re ad Mohacium, nondum de Regis morte (*fama*) pervenerat. Qua re perterrita, de sententia suorum, cum Solimani celeritas in regiam immi-

mentis minime tutam Budae moram manenti efficeret (magis enim itineribus appropere ferebatur, quo Regina cum regiis thesauris ex nec oppinato opprimeret): pontificio legato, et Vesprimiensi episcopo, fugae comitibus, qui pudoris commendationem magis iuveni Reginae, quam si quid accideret, tutum praesidium afferrent, se Posonium recepit; qua enim fors palatos hostes agebat, cum nullus nostrorum metus, quominus libere excurrerent, unde audirent spem praedae ostendi, ab effusa populatione prohiberet, in omnem occasionem erecti vagabantur. Alii e regiis, quibus plurimum confidebat, cum mulierum comitatu, atque iis rebus, quae cariores erant, iussi adverso flumine Posonium subire. Cum Reginae mundo, simul Budensium civium preciosa quaeque eodem subvecta, quaecunque subtrahi avaro hosti potuerunt, praedae regiae urbis et peropulentae avido animo inhianti. Cura subvectionis Andreae Orbanesio arcis Strigoniensis praefecto est mandata, qui paullo ante praesidii desertor, cui a Rege praeesse erat iussus, haud multo maiore cum integritatis laude, delato sibi a Maria Regina muneri dicitur praefuisse. Nam quod nonnulli tradiderunt, nobiles foeminas, quae Reginae ad cubi- culi ministeria assistebant, tum ex illustribus familiis puellas alias, a militibus, qui iis praesidio erant, minus caste habitas, quam matronalis et virginalis pudor postulabat, totum hoc Brodericum (?) coarguit, tamquam confictum a maledico scriptore, parum certe memore suae gravitatis, cuiusmodi multos nostra aetas tulit, non multo in hoc magis, quam prisca secula felix; ut enim verum esset in magna trepidatione et fuga, cum obversaretur ob oculos saevus hostis imminens ferro, et tristis luctus occupasset animos, patriae

interitum, et suorum deplorantium, in lusus illiberales atque intemperantes effusas, non continuo tamen inde sumere scribendi argumentum aequum erat, qui muneris a se suscepti esset memor. Maiora enim, gravioraque a rerum scriptore postulatur, quam ut illi tradere operae sit, quibus se lusionibus illustres feminae in fuga oblectarent, et ocreisne, an sandaliis a milite vapularent, tantae cladis recenti memoria non patiente, insigni cum iactura pudoris in medio fugae cursu lascivire. Solimanus aliquot dies in castris moratus, iussis redire, quos praedatum miserat in hostium agrum, Mohacio movit, ac militem praeda onustum, Budam, serius aliquanto, quam postulabat belli ratio, duxit, minime dubia coniectura, ubi eo cruentum victoria militem adduxisset, Reginam cum suis omnibus oppressam improvise malo se in potestatem redacturum. Quae illi morae caussa fuerit, quando minus nobis constat, haud lubet divinare; imminentem regiae pestem numen avertisse, non usque quaque Vngariae infestum, cum credere visum dignum nostra religione, tum posteris mandare, minime a scriptoris constantia gravitateque alienum. Budam antequam perveniret, nondum per tot clades exhausto in Vngaros odio, barbaro more, ubi in quos saeviret, defuerunt, in agros et tecta vim belli omnem convertit, quocumque iter habebat, immanem in modum omnia flamma atque hostili ferro pervagante, ut non victoriae praemium a victis, sed odii atque ulciscendi voluptas, cuius nullus modus, peti videretur. Regiam urbem ingressus, desertam a suis et foede incensam, arcem integram, et ferarum septum, ac regium stabulum intactum reliquit. Multa hic Iovius commemorat, ingenio suo magis, quem muneris serviens, quae piget referre; in his, quae a So-

limano, aut acute, aut salse dicta, habent non magis ingenii laudem, quam barbari animi atque immanis dedecus, qui ex miserorum calamitate, respersus sanguine caesorum, iocandi et cavillandi quaerere locum potuerit, cum odii finem victori saevienti praescribat hostis interitus, misericordia subeunte animum, ubi is exhausserit odii caussam, quae ne in eos quidem iusta est, qui, cum odio aliquando fuerint digni, praeter gravissima admissa scelera poena scelerum sint per ultimum supplicium affecti. Nam quae de Strigoniensi magna cum honoris contumelia ait, argumento ad maledicendum quaesito ab hominis sordibus, ea arguit Brodericus, scriptor gravis, qui illum collaudat, qui-que omnibus his rebus gerendis administrandisque interfuit; nulla enim res unquam adeo Regi intima, arcanaque fuit, de qua cum anceps iudicium adolescentis Regis animum sollicitaret, non ea agenda unum illum auctorem principem eundem publici consilii sequi consueverit. Nam de nota avaritiae, quam illi Iovius inurit, ne suspicione quidquam legentibus relinquat, quod illi probro esse merito queat, cum interfecti casus scribentis animum omni cura exsoluisset, quae eum sollicitum haberet. Iam Tomorei caput, cuius notare ambitionem, integritatem sugillare non veretur, cum adhuc difflieret sanguine, paullo ante in pugnando interfecti, conto affixum, quod praeter Brodericum alii affirmant, eum mendacii convincit. Quorsum vero attinebat, cum semel ad satietatem Solimanus spectasset, post longam moram Budam profecto, asservatum iterum ostentari? Nam si id ob eam causam sibi Iovius prodendum suscipit, ut Regis immanissimi truculentam barbariem notaret: est cur aequo animo feramus; sed verba illius docent, in Vngarorum

contumeliam totam illam tragoediam perscriptam, quasi ex Solimani iudicio, viri fortes, qui ultro mortem intrepidi pro patriae salute appetiissent, non ex vero argumento rerum essent laudandi. Buda hostis potitus, aerea tria signa, antiqui operis atque artificii, Apollinis, Dianae, Herculis, quae victoriae monumenta, apud posteros illustria, extarent, demolienda atque asportanda Byzantium curavit. Ea in Hippodromo, qui locus integer a barbarorum immanitate, adhuc veteris urbis vestigium retinet, inter praeclara alia nobilium artificum opera conspiciuntur. Inde motis castris, diversos milites in citeriorem Vngariam, quae intacta adhuc ab omni belli clade erat, qui omnia populabundi vastarent atque incenderent, misit. Itaque, quod inter Danubium amnem et Balatonem lacum, Iaurinum usque ad oppidum interiectum, materiam insolenti victoria barbaro ad saeviendum suppeditavit, insignibus ubique crudelitatis editis documentis, cum nullum modum grassandi in victos militaris licentia invenisset, ferro atque igni exustum deletumque est. Duae arces, Strigonii altera, quam paullo ante desertam ab Orbanesio commemoravimus, Visegradi altera, atque illa quidem, in qua olim priscorum regum sacrum diadema servabatur, admirabili modo, a loci antistitibus servatae sunt, cum post tot acceptas clades minime consternati animis agrestium manum, qui his praesidio essent, subito coegissent. Creditum est a locorum peritis Solimanum, victoria contentum, ne tot arcium oppugnatio properantem moraretur, quae praesertim in potestatem redactae, haud compensare morae incommodum viderentur, sua sponte abstinere voluisse. In earum numero fuit Albae Regalis, Thatae, Comari, quibus arcibus clari nominis apud Vngaros, aut ho-



stis iudicium, quem maiora molientem animo ab incepto properandi studium revocabat, aut casus auxilio fuit. Marotius nobilis pagus, Strigoniensium pontificum secessu, ob silvae et nemoris amoenitatem, quibus undique est septus, adversus tantum hostem, multis editis virtutis et fortitudinis exemplis, magnam nominis celebritatem, felici eventu, si modo est honesta mors turpi vitae praeferenda, consecutus fertur. Huc Vngari, confisi loci natura, cum quaquaversum munitus viarum angustiis esset, aliquot hominum millia confugerant, secum liberis atque uxoribus assumptis, quique minus apti ad arma ferenda haberentur. Etsi vero satis tutos se ad tempus situs opportunitate arbitrabantur: quo tutiores tamen adversus omnem hostium impetum essent, nihil tale metuentium, carris undique in illos obversis, ita aditus omnes praeseperant, quo irrupturos credebant, ut nisi tormentis toti adnixi disicerent, haud facile expugnaturi viderentur. Hinc feroces vitae contemptu, cuius spem deploraverant, per hostium exitium, quod summum vitae precium desperatis est, sibi nominis aeternitatem et malorum solatium spondentes, saepe eruptione facta, Turcas magna cum caede se in castra recipere foeda fuga coegerunt. Ita hostes, ne quid de fama victoriae, quae integra adhuc invictis bello staret, accepta clades ab ignobili pago delibaret, extemplo tormentis e castris adductis, maioribus viribus rem gerere aggrediuntur. Ad hunc modum victa vi animorum pertinax virtus, omnibus exhaustis viribus, omnes praeter admodum paucos interfecti. Ex iis, qui cladis superstites fuerunt, cum postea de interfectorum numero interrogati essent, qui se Marotium recepissent, ad XXV hominum millia fuisse affirmarunt; magnum quidem numerum fuisse

ingentes cadaverum acervi, a popularibus memoriae caussa excitati, per diu eo in loco indicio fuerunt, quibus tegendis vix alte effossa humus suffecisse videbatur. In eorum numero, quos insignis virtus Turcarum saevitiae ereptos conservavit, prodidit virtuti invidens fortuna, Michael Dobozius fertur, vir quidem cum primis clarus rei militaris gloria, sed multo idem constantia et magnitudine animi illustrior, dignus certe, cuius in omni aetate memorabile facinus litterarum monumentis consignatum posteritas non ignoret; cum e media caede elapsus uxorem, magni animi feminam, in equi tergum accepisset, neque spes esset lassatum iniusto pondere Turcas citatis equis sequentes praevertere, intrepida atque impavida mulier, quando inquit conversa ad virum, non patitur fortuna sibi a nobis salutem deberi, et vitae est spes omnis praecisa, quod fortuna recusat, praestet vera virtus, quae per vitae iacturam in maritalis socia tori servet a labe integrum pudorem, cuius, quamdiu vixit, custos severa fuit. Descende vir, et confossam ferro, a foeda barbarorum servitute vindica, nunquam praeclarius in summa etiam fortunae indulgentia morituram. Cuius virtutem vir admiratus, cum iussam forti animo esse, et de se meliora sperare ab instituto abducere non posset, ne quando vir tantam virtutem videretur mulieri invidisse, desiliens equo perstantem incepto, et precibus ut acceleraret fatigantem gladio interfecit, mox in Turcas, infesto citato equo irruens, tantum facinus in hoste admirantes, dignum exitum anteacta cum laude vita, in vestigio moriens tulit. Affirmat Brodericus toto bello prope CC hominum millia, quorum pars caesi, pars in servitum abducti sint, desideratos esse. Solimanus citeriorem Vngariam, qua longe lateque pate-

bat, ubique oppidis aut ferro excissis, aut incendio exustis, foede populatus, cum populi omnes, qua hostilia arma pervaserant, a Iaurino Viennam usque, victoris barbari impetum fuga effusa declinarent: multorum nuntiis certior fit, populos omnes, qui minorem Asiam incolunt, tumultuari, et nisi celeriter eo cum exercitu properet ire, fore, ut a suis magnum incommodum ac detrimentum accipiatur. Ita veritus, ne exortum malum sua cunctatione corroboratum latius perferretur, ad Asiaticos motus compescendos proficisci primo quoque tempore constituit. Inde ad Pestum copiis Danubium ponte traductis, decimo quarto postquam Budam advenerat die, in ulteriorem Vngariam contendit, mox ad vastandam regionem omnem, quae inter Danubium et Tibiscum intercedit, copiarum partem mittit, nondum desaevente animo odii vi per tot illatas clades, qua inexpiabili in victos ferebatur. Fuit haec Vngaris calamitas eo bello postrema, sed tanta illa quidem, quantam ii inferre potuerant, quibus ab hostium caede et internecone petentibus summam laudem, quidquid summa barbarie atque immanitate remitterent, persuasum est sibi dedecori futurum. Ita ingens in agris hominum multitudo subito oppressa, paucis exceptis, quibus Tibiscum transgressis, paratum effugium facile ad salutem pateret, quorum alii ferro absumpti, in servitutem abducti alii, qui per aetatem apti servitio haberentur. Is finis Vngarici belli fuit a Solimano Ludovico Regi illati, cuius quidem miserabilem atque infelicem exitum haud facile est diiudicare, hostisne virtuti et felicitati, an Vngarorum discordiis et seditionibus tribui aequum sit. Neque vero me fugit, hoc loco Vngaros queri, se male accipi a rerum scriptoribus, haud iniuria illos quidem,

cum iis redimere scribendi licentiam a nonnullis aut minus licuisset, aut minus, cum liceret, visum esset scriptoribus venalis fidei, qua addicenda quaestuosum semper ingenium, modo licitator adesset, nullo pudoris aut infamiae discrimine habuerunt, quos nominare in praesentia minime necesse habemus. Quod quamquam ita sit, ne plane tamen omnium aculeum effugerent, in his suorum nulli aequae atque illi ipsi, qui de hoc queruntur, videntur accusandi. Sunt enim ita ab illis scripta, ut non tristi magis et severa censura, quam religiosa notata atque animadversa videantur. Nam ut temperet a maledicto religiosus scriptor, et nudas res omni artificio, ut sunt gestae, statuatur sibi litteris tradendas: qui fieri potest, ut qui ea legat, quae ad Tolnensem conventum gestae narrantur, dissimulante etiam suum iudicium, qui scribit, non facile secum eos excretur animo, quorum contumacia et ferocia factum sit, ut quae de illis vera traduntur, minime esse verisimilia credantur? Quid vero aliud statuatur, cum audiat furentem militem amentia, non rei militaris disciplinae, non legum, non imperii potentem deturbare Regem de curuli sella, cuius auctoritas et maiestas semper pro lege moderatis populis fuit, invitum cogere iis parere, quibus imperare tam importuno ingenio praeditis turpe et contumeliosum sit?\*) . . . . . illis cum Vngarorum Regia omnibus necessitudinis vinculis et affinitatis coniunctis. Quae quidem lex ita sancita est, ut facile appareat, non exterorum odio, sed iusto Vngarorum dolore, de praesenti rerum statu querentium, tot annis ante initam inter Maximilianum

\*) Eddig a Bécsi Codexből, mely mindazáltal itt szinte hézagos.

et Ladislaum affinitatem expressam. Decreti quidem exemplum penes nos est, cuius quae argumenti ratio fuerit, his annectere operae precium duximus, summa in eo religione usi, ne quid commutasse, sustulisse, addidisse argueremur, quod a fide, et gravitate scribentis alienum esset. In hanc sententiam vero decretum praescriptum anno huius saeculi CLO. LO. V. kal. Octobris. Cum nihil esset magis nato homine dignum, nihil deo immortalis acceptum magis, quam patriae commodis servire, et communi hominum societati, quae tota ratio tuendo optimo reipublicae statu, atque iis malis arcendis contineretur, quibus convulsa ad exitium rueret: adductos regni principes, reipublicae perstudiosos homines, calamitate praesentium temporum, quibus vexatum regnum afflictumque iaceret, dignum munus sua in patriam pietate existimasse, praesenti ruinae reipublicae atque exitio mature obviam ire. Cuius quidem rei efficiendae caussa, se magnos labores, et non ferendos perpessos, ut sua in patriam pietas postularet, et occurrisset multis aliis regni incommodis, et certam invenisset caussam, qua debilitatum, ac dilaceratum regnum, in privatis pariter et publicis rebus minaretur ruinam, foeda ubique facie, domesticas clades atque aerumnas prodente; quidquid enim mali aut sua aut maiorum memoria Vngaris evenisset, ab regibus exteris esse invectum, qui per principum suffragationem essent asciti ad regnum, ut lingua, moribus, institutis, ita studiis diversi ab Vngarorum gente, qui non inanibus honorum titulis, sed magnis gerendis rebus, quas sua sponte honorum tituli sequerentur, sibi decus, laudem, nominis famam apud gentes nationesque omnes comparassent. Quod quidem ita esse ostendi licere clarissimis exemplis, ex Vnga-

rorum annalibus alte repetitis; quod minime sibi tamen agendum censerent, minime arbitrati de eo, quod in oculis omnium positum, nemini non testatum exploratumque esset, pluribus oportere agi. Exteros reges ignaros se ferocissimae genti imperare, quae, priscorum Scytharum suboles, ut ingenti suorum caede, atque effusione sanguinis partum regnum posteris reliquisset, ita consuevisset tueri partum ferro atque armis, intentos suis privatis procurandis commodis, rempublicam per iners otium vitam agentes perdidisse, nullo patriae studio ab hominibus exteris, regium munus administranda publica salute extorqueute. Hinc amissas in regni finibus arces atque urbes munitissimas, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Bulgariam, Dalmatiam a regno alienatas; ut verendum esset, ne avulsis et dilaceratis a toto corpore externis regni partibus, mali vis magno populorum exitio ad interiora penetraret. Quae accepta detrimenta a finitimis gentibus, exteris regnum administrantibus, ab Vngaris longe fuisse abfutura, si penes Vngaros quoque potestas regia fuisset: futurum enim, ut caritate et dulcedine patrii soli percussa virorum fortium pectora, suorum agrorum, urbium, arcium custodes, non alienae ditionis atque imperii, maioribus viribus nervisque contententes, munitissima regni propugnacula, quae cum insigni Vngarorum dedecore essent amissa, retinerent. Nam, ut Andreae secundi res gestae praeterirentur, cuius Bela IV. Rex tantus filius fuisset; ut Ludovici, ut Mathiae, qui Vngari Reges late propagatis imperii finibus, gloria et nominis fama apud exterarum gentes omnes clari floruisent: hoc vere asseverari posse, neminem natum Vngarum existisse, quo regnum administrante, non plus esset com-

pendii, quam incommodi acceptum: e regibus exteris regnasse neminem, iustis Vngarorum suffragiis Regem creatum, quin esset respublica adducta in salutis discrimen. Cui incommodo volentes obviam ire, nunquam non gravissimo Vngaris futuro, quorum securitati et in praesens tempus, simul et in posterum cavere patriae caritas suaderet, nullius variante sententia, atque omnium unanimi consensu, fieri decretum in hanc sententiam placuisse, ne in posterum regiis comitiis, quae de more in campo Rakos haberentur. Ladislao Rege, sine liberis vita functo, exteri haberi rationem liceret, exemplo nobilissimarum gentium et populorum, apud quos ex eadem gente nati Reges, quod fas, atque aequitas, et iura divina, atque humana omnia requirerent, regnarent. Indignum vero Vngaros ducere domestica gentis gloria, nobilissimum regnum. quod unum firmissimum obiectum barbaris hostibus propugnaculum Christiana respublica haberet, deteriore conditione aliis, quorum salus, abesset verbo arrogantia, Vngarorum virtute, fortitudine, magnitudine animi, non pro sua magis, quam pro universa Christiana respublica arma gerentium, adversus potentissimum hostem inniteretur. Ex omnium Vngarorum delectu, qui prius suis, quam maiorum meritis in patriam splenderet, eum cuius esset magis insignis virtus, quam fortuna, quocumque loco natus esset. quique quam optimus, quamque aptissimus obeundo regio muneri haberetur, creari regem oportere. Ita enim esse statuendum, in quo regiae virtutes elucerent, eum prius dei immortalis providentia creatum regem, quam hominum suffragiis regem creandum. Enimvero haud tam male cum Vngaris agi, ut credendum esset, apud illos neminem nasci, quem prius natura regno idoneum, quam

hominum suffragia ostendissent. Atque illud diserte addi in decreto placuit, ut quoniam non deessent e vicinis regibus, qui intenti regno invadendo, aut per Ladislai mortem sine liberis decedentis, aut per aliam occasionem, quam, ut essent res humanae, offerret casus, aut regno universo, aut regni parte aliqua occupata, tentaturi novas res crederentur, qua ex re esset futurum, ut plurimum de pristino robore et maiestate deperderet: et principes, et qui e pontificum collegio regno praeessent, ad iusiurandum adigerentur, tum suo, tum posterorum nomine, se, ubicumque huiusmodi quidpiam accideret, rempublicam haud deserturos (apparebat vero in eo Maximilianum Caesarem, et Sigismundum notari, de cuius sententia Ladislaus regnum administrabat), ita inter se pactos, ut si quis ex Vngaris, quod omen deus averteret, a finitimis peteretur armis, communis libertatis assertor, unius incommodum singuli ad se pertinere existimantes, arma caperent, atque uno eodemque consensu ad propulsandum armatum hostem e ditionis atque imperii sui finibus accurrerent auxilio, non recusaturi, quin et privatas fortunas, et sanguinem vitamque adeo pro patriae salute profunderent, quousque aut regni pars, per uni illatam iniuriam, aut regnum universum, si id accideret, a communis hostis vi atque impetu in libertatem vindicaretur. Quod si qui minus his starent, iusiurandi religione violata, hi execrabiles, infames, intestabilesque haberentur, nobilitatis iure amisso, ut haud meliore conditione, quam servi aut pagani homines essent, ea lege ad poenam adiecta, ut neque a rege, neque ab gentis concilio, more legitimo in campo Rakos coacta, cuius summum in rempublicam ius esset, mulcta levare possent.



Haec decreti summa, quod quidem propriis signis manuque obsignarunt, et alii omnes, et Thomas Cardinalis Strigoniensis, quo maior accederet decreto auctoritas, ut supra commemoratum est, maxime Ladislai studiosus, tum e nobilitate praecipui, qui publica munera in regia obirent, arcibus et praefecturis inter ceteros clari, in quorum numero Scepusius censebatur, tum e sacerdotum collegio, alii primae homines apud Regem auctoritatis. Vnus quidem, Emericus Perinnius palatinus regni, magnae vir dignitatis, principum et sacerdotum ingenti consensui, cum essent CXXC amplius numero, quorum signis esset decretum obsignatum, acerrime obstitisse fertur. Nam, cum comitia Posonii haberentur, et ipse artuum doloribus laboraret, iussis suis se per urbem sella circumferre, decreti iniquitatem, ut credi volebat, deprecabatur. Vetus regni institutum, morem maiorum, sacrorum religionem, naturae, gentium ius perturbari, quae liberam populis potestatem permetterent sibi eum creandi, cuius imperio pareret, nihil enim minus ferendum, quam natos liberos, imperium, cuius ipsi auctores non essent, invitos pati. Quam vero illam legem esse, quae quod iure legitimo liceret, vetaret ne liceat? ut volentes et scientes sibi manus, pedes vinciri, et alterius iuris fieri qui liberi essent, tamquam nexu et mancipio paterentur? Nulla exceptione Vngaris liberum ius permissum, sive ex suis mallent, sive ex exteris regem creandi, quem maxime regno potiri conducere reipublicae existimarent. Nam hoc decretum non editum, non legem esse, sed legum omnium dissolutionem, publici iuris interitum, regni pestem, atque excidium. Erat magna Emerici apud omnes ordines auctoritas, quam quidem tum Palatini dignitas apud

•

Vngaros prima, ut non semel diximus, tum familiae amplitudo, et nobilitas generis, sed omnium maxime antea vita cum innocentiae laude augebat. Neque prius dicitur queri destitisse, quam minis coactus, suo signo apposito decretum obsignarit, non sine denunciatione, invitum se et detrectantem, neque ut palatinum, sed ut privatum, quod iniquissimum esse censeret, obsignasse. Quae ad hunc modum acta esse affirmant viri graves, exactae aetatis homines, qui ea ab iis acceperunt, qui iis administrandis transigendisque interfuerunt.\*) Numquam certe Scepusius aut regnandi cupiditatem dissimulare, qua flagrabat, aut suorum de se iudicium frustrari est visus, non secundis rebus plus aequo elatus animo, non adversis atque afflictis depressus, quibus, ut nullus alius in tanta fortuna magis, agitatus est, vir, in quamcumque partem se converterat, plane admirabilis. Atque hic quidem facere non possum, quin hoc loco nonnullorum aut fidem maiorem, aut sedulitatem requiram iis tradendis, quae inter Ferdinandum Regem augustae maiestatis principem, et Scepusium de regno armis decertantes, intercesserunt. Cum aliorum vero, tum Vngarorum scriptorum maxime dissimulatio videtur reprehendenda, qui eam nobilis decreti, quod imprimis Scepusio favere, tueri ius patrium videretur, mentionem sibi faciendam non statuerint. Neque me praeterit tamen, quae illis caussa tam praeposterae dissimulationis fuerit, ad gratiam omnia scribentibus, quam pudendis mendaciis et non ferendis assentationibus venantur. Qui si hoc in-

\*) Confundit haec Brutus cum iis, quae Viennae, A. C. 1515 gesta sunt. Nam his pactis palatinus Posonii contradixit.

(Pray jegyzote.)

genio sunt, ut regum offensionem veriti, et potentium hominum, minus audeant res, ut sunt gestae litteris mandare, viderint ipsi, qui sperent se munus scribentis sustinere, qui testis castus atque incorruptus, non ipse in narrando sibi res debet fingere, aut conformare ad alterius studium, sed ut eas esse novit, libero omni cura animo, imprimis odio atque amore, litteris consignare. Nemo vero non novit, summos reges Ladislai posteros, cuius inertia perditum regnum hoc ab Vngaris decretum extorserit, ingenio scribentium moderatos esse. Qui ipsi cum verissimis suis laudibus cumulati satis probarint, minime ad se alienum dedecus et infamiam pertinere, non sunt credendi, res ex sua fide et religione tradentes, fuisse iniquo animo laturi, satis gnari, ubi metu scriptores a recto scribendi munere deterreantur, magnum vitae praesidium adversus omnes fortunae casus, quod totum historia suppeditat, se ex hominum vita tollere, cuius culpae gravem notam, iis ipsis quibus gratificari student, inurere videntur, tamquam credi velint, se non quae sint, sed quae placeant, velle litteris mandari. Sunt vero ita perditio ingenio nonnulli, ut quae ipsi viderint, quorumque testes multos superesse non ignorent, assentandi studio secus atque ipsi norint accidisse contentant; quorum levitatem arguere, ubi occasio requirat, ut in rebus narrandis, nostrae religioni consulentes, ita temperantes a licentia scribendi, non dubitabimus. Sed ut ad institutam narrationem revertamur, Budam Scepusio Tibiscum traducto, primum iter fuit, iam certioribus nunciis acceptis, Solimanum e regni finibus excessisse, accisis patriae rebus, quando integris, per regionum inconstantiam non licuisset, opem laturo.

Quo quidem ubi pervenit, foedam regiae urbis faciem miseratus, quae vix ulla vestigia prae se ferebat veteris maiestatis, direpta, incensa, incolis vacua, spoliata regum monumentis, quibus diu florentissima fuerat, conceptum dolorem animo ex patriae ruina lacrymis effusis testificatus est: cum eorum ambitionem levitatemque exsecraretur, qui adolescentem Regem, sua sponte ad salutaria consilia animo propendentem, in suam et patriae pestem per temerarium consilium praecipitem rapuissent. Inde Albam Regalem copias duxit, quo illius hortatu frequentes patres principesque, quicumque e Mohaciensi clade supererant, solliciti de republica convenerant, in tanto momento rerum regni salutem verti existimantes, si matura consultatione de publicis rebus, quae belli procella avulso capite nutarent, constitueretur. Unus principum Stephanus Bathorius abfuit, regni Palatinus, qui cum aliis nonnullis Reginae viduae adhaeserat, Scepusio ob privatas simultates parum aequi. Ex horum sententia cum de alio regni statu reparando, tum de creando regni successore agi coeptum, et quidem magna animorum contentione, verentibus principibus, ne si id agere cunctarentur, destitutum regnum regii imperii potestate praedae hostibus in omnem occasionem intentis pateret. Ita vero omnes in Scepusium inclinabant, ut si qui dubii essent Ferdinandi potentiam veriti, qui se regni certum candidatum ferret, commemoratione malorum, quae exteris regnantibus adversa Vngaris evenissent, non aegre se in sententiam traduci paterentur. Haec vero palam studiosi Scepusii homines ferebant, magno multorum plausu, qui sua sponte illius petitioni faventes suffragabantur. Iniuste ab Vngaris fieri, si paterentur Scepusium diu pren-

sando spem regni fovere; qui non vi et mali metu, ut Matthias Rex, non nuptiarum illecebris, ut Ladislaus, non haereditario iure, ut exteri reges; sed insignibus in rempublicam meritis subnixus, ante habitus suorum iudicio regno dignus, quam regni candidatus, desponsum sibi a nobilitate repeteret, unicum summae virtuti debitum praemium futurum. Ac promerito quidem regni honorem posse negare Vngaros, sed sine dedecore haud posse, non magis quam eripere conservatae patriae laudem, cuius decus clarius regni insigne, atque illustrius, quam sceptrum, trabea, regia sella, in quavis esset fortuna habendum. Iam pridem exterorum et Vngarorum regum factum periculum esse. Matthiam e privata fortuna ad regnum adolescentem evectum, e carceris squalore et sordibus, ea, quae exteri reges ante se amisissent, recepisse ingenti sua gloria; ea, quae parta sua virtute Vngarus Rex reliquisset posteris, exteros reges cum dedecore amisisse. Eadem ratione, quam Matthias instituisset immortali cum laude, corruptam rei militaris disciplinam, Ladislai inertia, Ludovici adolescentia, qua una re, Corvini tempore, Vngariae regnum magnitudine imperii, gloria, fama rerum gestarum, inter alia omnia Europae regna opulentissima floruisset. Ac si quis vellet, quas Matthias res gessisset praeclare ad calculus revocare: eius gloriae maximam partem a Stephano patre, ut pietatis erga patriam eximiam laudem, dignum tanto parente filium Ioannem Scepusium haereditate crevisse: quod enim bellum Matthiam Regem umquam gessisse, in quo non Stephani Scepusii fuerint principes partes? In Boemico bello gravissimo quae illius virtus exstiterit, praemia amplissima docuisse, a fortissimo Rege, de Vngarorum gente merito

constituta, quo quidem bello confecto, quanta hinc monumenta gloriae, hinc imperii incrementa patriae accesserint, ignorare neminem. Illud quidem licere filio de patre praedicare, magnitudine rerum gestarum et meritis amplissimis in Vngarorum gentem, omnium consensu principem auctoritatis et gratiae locum apud Regem sapientissimum assecutum: Regis iudicio dignum visum eundem ampliore auctum ditone, honoribus, fortunis; quae omnia tamen, virtutis luculentius, quam fortunae testimonium haberent. Nam Austriaco bello pariter, et in Silesia gesto ab eodem Rege victore ob eximiam virtutis et prudentiae opinionem, unum delectum, qui, ut Regis munificentiam honorem promerendo anteisset, ita cum summa potestate imperii, iis quos bello vicisset, quo nullum iustius praemium excogitari posset, summo in honore imperaret. Nec minus praeclarum iudicium de patre, Matthia mortuo, suorum fuisse. Iussum principum omnium suffragiis Austriae praeesse, per interregni tempus, quo quidem tempore gliscente ambitu in dies, novi motus et gravissimi belli initium futurum credebatur; qui tantus illi habitus honos, non fortitudinis laudem solum, sed fidei atque integritatis etiam commendationem haberet. Neque id satis visum: cum praeter regium munus nihil homini in terris accidere magnificentius posset; in comitiis de Rege creando, cum inter principes minus conveniret, uni Scepusio absentem ius summum declarandi Regem, quem mallet, omnium consensu permissum, ut si Ladislaus Rex ab inferis existeret, vix posset, filio vita functo, sine gravi nota ingrati animi ad alium suo suffragio regnum deferre, quam ad eius filium, a quo ipse regnum delatum accepisset. Neque vero solum Ladislaum Scepusio regnum acceptum re-

tulisse, sed quominus potitus regno a fratre Alberto pelleretur armis, unius Stephani Scepusii virtuti, et felicitati tribuisse. Albertum enim inhiantem Vngariae regno, cum non deessent e principibus, qui eius adeo improbam cupiditatem adversus fratrem Regem foverent, descendere in aciem coactum, fusum, profligatum, victum castris exuisse, magna sua cum gloria Vngariae populis perniciosissimi belli metu liberatis. Quod si Matthiam Corvinum parentis merita ad regnum evexissent adolescentem vix XVII annos natum, repugnanteque adeo universa nobilitate, quae nullum adhuc ab eo regiae indolis specimen haberet: quanto aequius esse Stephani Palatini filium in demortui locum succedere, liberatae patriae insignem titulum gerentem; rerum gestarum gloriam tuentem constantia; in magnis imperiis versatum summa cum fidei atque innocentiae laude; innitentem populorum studiis, gratia, potentia, affinitate regum et necessitudine florentem? Non esse dubitandum, quin, ut superiores ante se reges, Matthias virtute et felicitate superasset Sigismundum Caesarem, Albertum, utrumque Ladislaum, ita Ioannes Scepusius, cuius iustitiae, integritatis, fortitudinis clarissima documenta patria haberet, esset Ladislaum et Ludovicum longe superaturus infelicitibus Vngariae auspiciis regnum adeptos.

Haec aliaque multa, per se vera, in eandem sententiam ab studiosis Scepusii commemorabantur; quae quo magis illius petitionem commendarent, principum pertinax conspiratio efficiebat, ex nobilitate nemine, qui illius spem dubiam faceret, se profiteri candidatum audente. Accedebat certus imminens ab externo competitore metus, quo, ut nemo dubitabat, regnum poscente, foederis praerogativa subnixo, si qui prae-

terea e principibus essent, qui adversus Scepusii tantas opes pugnare auderent, a petitione deterrentur; ea enim erat contentio futura, ut qui suffragiis suorum haberetur par regno capessendo, praeterito Scepusio, ei continuo cum Ferdinando competitore, et de regno simul esset, et de salute dimicandum; eminebat enim praeter sanctitatis atque innocentiae famam, quae illius petitionem commendabat, ex amplissima familia natus Ferdinandus Rex, quae olim duos Vngariae reges, Albertum Caesarem, Ladislaum filium Posthumum dedisset, cum debitum se repetere regnum multis nominibus praeterea contenderet, quibus Vngari adversari, et habere simul suae religionis rationem haud possent. Multa vero studiosi illius homines afferebant, quae non se studio, non gratiae dare, non tempori, non Austriae familiae maiestati, sed caussae videri vellent. Nam et Matthiae olim Regi cum Friderico Caesare, mox Ladislao cum Maximiliano de regno in Austriacam familiam transferendo actum esse, semel cum imminente Vngaris Polonico et Thracio bello renovata cum eo pax, et novum foedus initum esset; iterum Posenii, cum Ladislao adesset Sigismundus Polonorum Rex, fratri interiorum consiliorum auctor. In eas autem leges ictum foedus, ut decedenti sine virili stirpe Ladislao, Maximilianus succederet, et quicumque e posteris legitimo toro nati adeundo regno pares haberentur. Nam Posenii de iungenda affinitate etiam actum, quo maiore religione per hanc coniunctionem sancitum foedus a posteris coleretur. Ac ne videretur Ferdinandus facere iniuste, qui, quod Vngarorum ius esset, aliorum faceret, aut praeriperet ipse: foedus primo cum Ladislao instauratum per duos legatos, summae auctoritatis homines, Stephanum Batho-



rium, Thomam Taurinensium pontificem, penes quem unum tum regni administratio esset, quibus de consilii sententia, summa potestas a Rege permissa esset, quibus conditionibus magis e republica videretur, de pace cum Maximiliano transigendi. Cur vero quod regnum olim maiorum memoria Carolo Martello, Caroli Secundi Neapolitanorum Regis filio, ex Maria Stephani IV. Regis filia nato, Vngari obtulissent? cur quod Sigismundo Caesari, cui nupsit Ludovici filia, Martelli Regis neptis ex Carolo filio? cur quod Alberto Caesari, cui Elisabetha nupsit Sigismundi, Ferdinando negarent, Annae viro, Ladislai filiae, mortuo fratre? et quidem eo fratre, qui tum pro patriae gloria, tum pro salute et libertate suorum fortissime dimicans occubisset? Si iura regni, si mores, si consuetudinem, maiorum exempla sibi spectanda Vngari ducerent in creando regni successore: neminem adeo parum aequum Ferdinando futurum, quin cogatur fateri, insignem illi ab Vngaris iniuriam factam, ita nato, ita educato, ut invito et detrectanti videretur ultro regnum offerendum. Nam, si redux Ludovicus e beatorum sedibus sisti posset, quo migrasse mortali hac vita functum credi par esset, quodnam aliud fortitudinis praemium. quod pietatis erga patriam postulaturum, quam ut ad sororem, ad quam unam maxime pervenisset mortui dolor, lacrymae, luctus, regnum illi debitum haereditario iure, ultro Vngari deferrent, ubi etiam sibi ius sumerent regni, cui mallent deferendi? Iam in Ladislao Posthumo, cui Matthias successisset, unum omnium maxime principes spectasse ius affinitatis, quo ille fretus ad regnum aspirasset, ex Alberti Caesaris filia Elisabetha natus. Quid vero caussae subesse, quare minus Ferdinandum Annae virum cense-

rent regno dignum, qui tanto anteiret, et foederis religione, et haereditario iure Sigismundum et Albertum, quanto illi superiores reges omnes nominis maiestate, cum uterque imperio praefuisset? Ac si ulla ad summum ius perfugienti esset accessio quaerenda, Carolum V. Caesarem Ferdinandi fratrem in regni petitione eminere, quem unum regum omnium, qui umquam gloria et magnitudine rerum gestarum flourissent, potentissimum Christiana respublica haberet, cuius summa felicitas et virtus Solimanum hostem procul ab Europae finibus arceret. Neque dubitari posse, quin, ut duorum fratrum essent praeclare consentientes animi, una pietas, idem studium vindicandi Christiani orbis imperium ab immani hoste, uno atque eodem consilio irrupentem in Vngariam, cui immineret, nuper tam insigni de hostibus victoria potitus, essent propulsaturi? Quid vero umquam esse in Ferdinando animadversum, qua re, a debito sibi regno arcendus videretur? Quid non esse, qua re, ubi minus etiam tot nominibus debitum posceret, non ultro arcessendus videri deberet? Quas porro virtutes in rege requiri, quae ornamenta animi, quae fortunae, quae non in illo excellerent? Si virtus, si probitas, si animi moderatio esset in rege spectanda, eius esse vitae instituta sanctissima, castum animum, pudorem virginalem, acre odium in improbos, aequi et iusti studium tenax, atque id a natura simul atque ab interiore disciplina, quae optime per se affecto praeclara contigisset. Quantae illum vero moderationis specimen, temperantiae, animi altitudinis dedisse, cum laborantibus Hispaniae populis civili dissensione, et uni deferentibus regnum, atque adeo, ut ne a iudicio quidem materni avi summi regis abhorrerent: maximum ac nobilissimum regnum esset

aspernatus? Ac quamquam haec tanta essent, ut in quavis fortuna natus, dignus summo in terris imperio videri posset: accedere maiorum commendationem, quorum amplitudo et maiestas maior, an religio, iustitia, sapientia exstitisset, in dubio relinqueretur. Magnum vero dei immortalis atque eximium munus iis impertiri, quibus contigisset, ut cum insigni fortuna virtus excellens uno vincta nexu coniungeretur.

Haec ita a Ferdinando cupidis hominibus ferebantur, non speciosa magis illa quidem ad colligenda hominum studia quam vera, ut non omnibus una suffragandi caussa esset; alii enim, cum in unum Scepsium viderent conversa nobilitatis studia, et propterea desisterent a regni petitione, quae verbo iactabant, tristi aemulatione exedente animum, dabant operam Ferdinandi ius tuendo, ut crederentur ab optimo animo proficisci, cum quidem dicerent, non se desperatione honoris a regni petitione avocari, ubi cum adeo gratioso competitore certarent, sed honesti studio, cum ei dicerent se suffragari, cui ius, fas, deus immortalis honestis hominum studiis favens, regi iustissimo ac sanctissimo, ex augustissima familia nato, regnum deferrent. Alii erant, qui, ut superiores diffisi se pares in contentione futuros, tacito dolori obtenderent simulatum pietatis studium, communi otio prospicere se, non Ferdinandi petitioni suffragari dicentes, quem quidem praeteritum, apparebat, repulsae dolorem, armis, qua parte superior haberetur, haud dubie ulturum; neque enim probabile videri, fratrem Carolum, qui eandem Ferdinandi caussam et suam duceret, diu passurum hanc tantam illatam Austriae familiae iniuriam Vngaros impune ferre, quae contumeliae insolens, cum perpetuo tenore iam inde ab Rudolpho Cae-

sare eius nominis Primo principem dignitatis locum in Christiana republica obtineret, ab Vngarici regni possessione excluderetur, quo omni divino atque humano iure subnixae eueheretur. Iam alii erant, qui ita videri vellent patrii iuris assertores, ut tempori serviendum, et populorum otio contenderent, magna hoc illi quidem cum prudentiae laude, qui mallent sua sponte de suo iure decedere, quam videri per vim ab invitis quod nollent extortum. Defendenda quidem Vngaris principibus nobilitatis iura, neque sua solum, sed posterorum etiam caussa, negare neminem; hoc enim maiorum morem, atque institutum, hoc gentis nobilitatem, hoc principum virtutem, gravitatem, constantiam postulare, a qua sui et suorum memores deficere minime aequum esset: sed ut moderandis tempestatibus, corporibus curandis, aliis artibus excolendis saepe accideret, ut novis suborientibus caussis, a praescripta et certa agendi ratione discedi oporteret; ita videri in praesentia Vngaris nonnihil, in magna commutatione rerum, de aperta illa ac directa via, quam posteris maiores stravissent, declinandum, atque ea ineunda, quae tempori aptior quam patriae rationibus haberetur, quae certam rationem creandorum regum per legitima populorum suffragia diserte suis praescripsisset. Fateri hoc malum, sed ut multo mitius malum esset, ubi cum eo, quod ab intestino bello immineret, conferretur. Adhuc fluctuare patriam externo bello quassatam, et quasi gravi naufragio defunctam: quam quidem, quem non videre ab iis, novis tempestatibus obiectari, qui pertinacius nobilitatis ius, adversus duos potentissimos principes, duos vero? immo adversus magnam Europae partem, quae eorum auctoritatem, nutumque respiceret, tuerentur? Quem vero dubitare

posse, quin meliore conditione positurus esset, quam aditurus regnum, quisquis esset, qui tam difficili republicae tempore, suorum etiam secundis studiis ac principum suffragatione regnum assequeretur? Certe qui hac moderatione animi esset, maiore cum gloria in privata domo apud suos, apud externos, quam in regia multis populis gentibusque imperantem conspectum iri; cuius enim tam alte animus esset elatus, ut auderet magna regna atque imperia contemnere, eum animo propositum habere oportere aliquid regno maius, quod adeptus, aequo animo careret regno. Atque in horum sententiam, si id modo vere sentiebant, inclinare Sigismundus ferebatur, suae aetatis regum omnium sapientissimus, et arcissimo vinculo affinitatis Scepusio coniunctus, cum illi auctor esset, ut certam sibi et solidam gloriam comparare contemnendo regnum, quam ambiciosius appetendo et sibi aequae, et suis esse exitio mallet. Horrebat animus tamquam ex altissima specula prospiciens, non Vngaris solum, sed Christianis populis omnibus impendens malum, cum nemini dubium esset, quin omni alia spe adempta, Scepusius, quo partum regnum legitimis suorum suffragiis tueretur, ad extrema quaeque auxilia descendens, esset adversus Ferdinandi vim concitaturus Turcam ad arma; dei, hominum opem, magna quidem cum illius invidia, sed non minore sua, imploraturus. Quem quidem multo clariorem, quam omnes suae aetatis reges maximos et potentissimos futurum contendebat, ubi animum induceret, cum potente adversario moderatione animi certare, remittere de summo iure, condonare patriae inimicorum iniurias, suorum otio consulere, cuius moderationis et sapientiae laus omnibus esset regnis maximis ac nobilissimis praeferenda. Vi-

get adhuc apud Polonos fama (a quibus orta non constat), Sigismundum ultro ab Vngaris oblatum regnum magna sapientiae et constantiae laude reiecisisse; temere famam ortam arguit, principum in Ioanne Rege creando magnus consensus: quem adeo honoris non poenituerit, ut adversus casus omnes obfirmato animo hortantibus amicis, ut concordiae caussa, aequo animo regni partem Ferdinando concederet, solo vestigio impresso dicere auditus sit, ne tantum quidem soli, quantum vestigio circumscrisisset, nisi coacto, et per vim sibi adimi passurum.

Haec quamquam ita ultro citroque, pro cuiusque sensu ferrentur, in incepto principes perstabant, qui ut numero superiores, sic dignitate pares, Ioanni suffragabantur, magis illi a Germanorum gente, quam a Ferdinando aversi, quem cumulatam maximis laudibus, pietatis, religionis, sapientiae, non illius, sed Germanorum caussa Regem horrebant, ab Vngaris moribus, legibus, institutis, ut non aliae gentes magis, abhorrentium. Neque sibi Scepusius deerat, et quidquid esset, quod sibi cavendum adversarii iactarent, minime sibi deserenda suorum studia existimabat; cum ob alias caussas, tum ne quid committere videretur, quod verteret in eorum fraudem, quorum in se illustre meritum atque immortale esset; neque enim poterat, ut credebat, reicere regnum, quin eorum ius, a quibus sibi esset delatum, (quod superbi animi esset, ingrati certe,) videretur suo praeiudicio infirmare, comprobare eorum qui unum ius haberent positum in armis, id quod minime sibi agendum esse censebat; nam quod crederent nonnulli, moderationis laudem sibi insignem quaesiturum, suis tam propensa in se studia remittentem, longe illos falli; non enim ei sperandam

modestiae laudem, qui a se hoc impetrare posset, sed infamiae dedecus timendum, notam certe aut demissi nimium animi, aut nimium superbi, et elati; si, quod regnum sui cives, more maiorum indictis comitiis, per legitima suffragia sibi deferrent, aut superbe aspernari, aut, quasi diffusus suis viribus, deprecari impar regio muneri videretur; quod nimis sibi contumeliosum crederet futurum, ut non nato in regia homini, ita qui per omne vitae suae tempus esset in magnis imperiis versatus. Immanem semper per se eorum sententiam duxisse, qui regnandi caussa sibi nefarium inferendum patriae bellum, violandum gentium ius, universum terrarum orbem fatigandum armis, divina humanis miscenda, omnia perturbanda statuissent; a quorum ipse instituto longe abesset. Sed, ut ii detestandi viderentur, qui tam perverso ingenio essent, ita ne eo quidem loco eos dignos censendos, quo essent nati, qui a suis civibus eveci in regiam, ferre, eorum caussa, onus imperii recusarent. Neque vero hoc magis sibi turpe, quam maioribus, quam Stephano patri contumeliosum fore: qui, si viveret, quo animo laturus esset, filium e regia arceri, a suis delectum regem, qui sororem privatus in regio solio collocasset? Relictum se quidem a patre in amplissimis opibus: sed ut minimum semper sibi praesidium positum in domestica potentia censuisset; patriam virtutem aemulando, suis civibus opem ferendo, domi forisque maximas res gerendo, quae essent nato tanto parente digna effecisse. Quid vero Stephano Scepusio, sive quis spectare virtutem et magnitudinem animi, sive quis rei militaris scientiam, ceteras imperatorias virtutes mallet, praeter regium nomen defuisse? Quid in illo umquam desideratum, quod rectori maximi imperii sup-

peditaret raro inter homines spectata virtus? Quid porro illi negasse naturam ad ostendendam regiam indolem, ad rerum gerendarum studium, quod nactis peropulenta regna atque amplissima, tribuere esset visa? Iustissimam se caussam, regni maiestatem, nobilitatis iura, suorum beneficium tueri, qui enixe esset operam daturus, ne falsi viderentur deligendo eo, cui ultro volentes regni insignia deferrent; competitoris nimiam potentiam minime veriti, non territi minis, non armorum metu, non belli terrore, quod inde immineret; et quidem, ut dubitare nemo posset, quin a quo omnia iura starent, pro eo dei ultoris invicta manus, in honoris contentione esset statura. Ad haec, quibus fretus Scepusius suos excitabat per se satis adversus Ferdinandi factionem obfirmatos, accedebant Vngarorum iam pridem in Germanos alienati animi, iustissimis, ut rebantur, de caussis, ut si optio utrum mallent daretur, perinde existimarent in voluntariam Turcae hostis servitatem concedere, atque in Vngaria Regi Germano imperanti parere. Etsi autem satis suum dolorem erant Vngari ulti, ita magnis Germanis illatis cladibus, ut plane exhausisse odium animis viderentur: non adeo tamen exoleverat Germanis memoria veterum iniuriarum, ut subministratam materiam male animatis ad perturbandum regni otium quamdiu facultas daretur, non summo studio amplecti essent parati. Id autem sibi eventurum Vngari ominabantur, ubi, tradito illis regni imperio, hostiles adhuc gerentes animos in se armassent. Ergo Scepusius, nemine illius petitioni obsistente, qui comitiorum eventum dubium faceret, quod illi felix faustumque esset, atque Vngariae populis universis, qui praesentia magis, quorum laeta facies obversabatur animis, quam quae e



praesentibus mala imminerent, spectarent, Rex magno nobilitatis consensu, populi ingenti plausu, ac laetis acclamationibus appellatur, paucis e principibus exceptis, qui statim a Rege interfecto, ut diximus, cum Bathorio regni Palatino, in Reginae et fratris Ferdinandi partes transierant, haud temere regem laturo, quem Transilvaniae praefecturam administrantem non tulissent, privati fortunam, magis opinione hominum, quam ullis suis aut maiorum meritis, ut ferebant, supergressum. Exstant inter alia Vngarorum scripta Antonii Verantii monumenta, gravis hominis, et inprimis rerum Vngaricarum periti, quemque insignis virtus et maximarum rerum usus ad supremum sacerdotii honorem in Vngaria evexit, quibus certae caussae alienationis Scepusii, tum a Ladislao Rege, tum a Ludovico filio ostenduntur; in his quam gravissimam recenset non solum negatam Annam filiam illius nuptias ambienti, id quod supra docuimus, sed ita negatam, ut ab utroque parente iam desponsa ambienti fuerit, quae illius elusa spes frustrataque tanto contumelia maiore, quanto certiore sibi spem fecerat, per Regis affinitatem, ubi Ludovicus decederet, regni potiundi; quod, ut diximus, liberatae patriae praemium funesto bello a nobilitate reposcebat, cuius de eo obstrictam fidem habebat. Quae illi certa caussa fuit, cur neque ipse interesse voluerit Poseniensi conventui, quibus est de Annae et Ludovici nuptiis, et Mariae, ac Ferdinandi transactum, et praecipuos e nobilitate viros auctoritate sua deterruerit, quominus iis transigendis interessent. Et haec quidem a privato dolore, quae alte animo defixa haerent. Alia a repulsa summi honoris, quem olim patruus Emericus, et postremo Stephanus pater magna cum gloria administraverat. Que-

rebatur enim Palatinatus honorem, quem non semel diximus secundum regem esse in Vngaria primum, a Stephano Bathorio sibi per seditiosorum hominum factionem interversum, cum praefecturam Transilvâniae administranti, in conventibus nobilitatis esset a volentibus ultro oblatus. Inde secuta offensio gravior, cum post Ladislai mortem, in Budensi conventu arce exclusus, atque uno Stephano Bathorio adnitente, regia exulare iussus esset; cuius iniuriae memoria veteres recrudescentes, per se ingens conceptum animo odium inexpiabile aeternumque reddidere. Ex his qui ad Ferdinandum transierant, recenset Iovius praecipuos, ac, qui illius mos est, non sine maledicti morsu. Nam et turbulentos homines, et cupidos rerum novarum, et quod contumeliosum gregario etiam videatur, semi-transfugas appellat, gravi adiecta proditionis nota, non illos animi studio, cum se meliori crederent favere, sed Scepusii odio, cuius gloriae inviderent, ad Ferdinandum transisse. Fuisse in his e clarissimis familiis, Valentinum Terechium, Baldassarem Bamphium, Stephanum Mailatum, Franciscum Garum, Ianum Salum, Gasparem Seredium, Paullum Bacchitium. Scepusius quidem, sui iuris acerrimus defensor, litteris scriptis, ad Carolum V. Caesarem atque ad imperii ordines, regni principes omnes, tribus exceptis, comitiis interfuisse ait, quibus est Rex ab Vngaris renunciatus, quos quidem non minus patriae, quam sibi inimicos, dolori plus aequo indulgens, affirmat partim egestate, partim sui odio, et privati commodi spe (haec sunt illius verba) a patriae pietate et recta via in Ferdinandi caussam transversos actos; in his enim Stephanum Palatinum fuisse constat, quem et muneris dignitas, quod gerebat, et familiae splendor, et dome-

stica virtus , a tam gravi et turpi nota infamiae vindicatur. Vt vero videretur ad inimicorum auctoritatem elevandam intemperantius stilo usus , ita nihil caussae erat, quare in edendo numero discederet a viri principis constantia et fide, cuius rei praesertim multi testes superessent , atque ex iis , quibus minime aequis uteretur. Horum adhortationibus Ferdinandus, confirmato animo , fiduciae et spei plenus , ad regnum capessendum consilia omnia cogitationesque intendit. Hinc copias cogere , novum militem conscribere, veteranum ex praesidiis educere , ac partim e Rhetia superiore, partim ex Stiria, et Carinthia, quae sunt provinciae in ditione Austriae familiae positae , levis armaturae equitatum colligere instituit. Quae dum ab illo impigre administrantur , Scepusius secundis suorum studiis, parum laetis auspiciis Rex creatus, nihil prius habuit, quam Ludovici corpus cum cura conquistum regia pompa Albam inferre, non prius sibi accipienda regia insignia , quam hoc pietatis munere fungendum arbitratus. Quod quidem ne ab eo Vngari desiderarent, Cetricius quidam, unus ex iis, qui in regia ad interiora ministeria serviunt (regis armigerum fuisse Iovius tradit), sua sedulitate et diligentia perfecit. Huius indicio , cum affirmasset frustra inhibentem equum ab effuso cursu , quo freni potens et oris durioris praeceps ferebatur, in stagnum abreptum, atque alto demersum coeno interiisse, missi cadaver quaesitum regii ministri , atque e principibus cum his nonnulli , et pars equitatus , quos regiae quadrigae ad funebrem pompam instructae sequebantur, ingenti multitudine sua sponte sequente , quam Regis desiderium, quacumque iter haberent, excibat. Ita usi dili-

gentia summa, locum, ubi eum postremo vidisset, indice ostendente, inveniunt, arena et limo obrutum; unde eductum, et pari cum cura, absterso coeno per-purgatum, apparatu magno rege digno, et qui pro suo- rum salute occubisset, est Albam delatum, obviam cum novo Rege atque e nobilitate praecipuis multitu- dine effusa, ac sacra carmina de more, lugubri cantu sacerdotibus praecinentibus. Movebat aetas, casus acerbitas, expers culpa animus, cuius insons alienae culpa luerat poenas, in unius interitu imminens pa- triae occasus, quem non longe abesse ex praesenti re- rum statu facta coniectura animis praesagiebant; in- primis regia indoles movebat, et orta fere atque ex- tincta simul virtus animi, quam sperabant, brevi aeta- tis licentiae iniectis frenis, e latebris, quibus delite- scebat, in apertum erupturam; etsi enim in multis offenderat, eorum culpam in paucorum importunam dominationem reiiciebant, qui inbecillae aetati, nulla vi consilii munitae insidiabantur, quo spes quaestus suadebat, flexibilem animum detorquentes; hoc certa ratione humanarum rerum, ut qui in secunda fortuna offendant, per adversas res prosperis succedentes victa hominum invidia, moveant ad misericordiam, quos a se aversos laetis rebus sint experti. Inde a Rege, reli- gionis atque humanitatis suae memore, solenni regum more, iusta funeri soluta, quod quidem omnium ordi- num magno concursu, ad Divae Virginis concelebra- tum est, novi Regis constantiam et magnitudinem ani- mi inprimis omnibus laudantibus, qui funeri interfue- runt, quorum adhuc nonnulli, a quibus haec accepimus, supersunt. Habeo auctorem gravem hominem, et spectatae fidei, qui laudem reperti regii cadaveris in nobilem Germanum referunt, Vlricum Zevucium

nomine\*), quae illi quidem eximia debetur. Nam, et praesentiam animi, et pietatem insignem in Regem ostendit, ausus ad vitae usque ultimum discrimen illum sequi, cum gravis armaturae eques pressus onere armorum difficilem receptum, et parum explicatam fugam haberet. Mortui Regis galeam Christophorus Rauberus episcopus Leibaciensis a vidua Regina impetravit, quae monumenti caussa in sacra aede Obemburgensis urbis, quae est urbs Stiriae primaria, ad haec usque tempora appensa visitur. Idem auctor est, quo illi magis sit fides habenda, et Germanus, et in Austria natus, Ioannem Vaivodam Transilvaniae anno CIO. LO. XXVI. Regem ab Vngaris creatum et apud Albam Regalem coronatum. Quae cum ita sint, admirari satis non queo rerum scriptorem doctum hominem, atque Vngarum adeo, quod caput est, usque eo potuisse sui instituti oblivisci, ut nulla facta mentione comitorum, quibus more maiorum est Ioannes Rex creatus integro ante creatum Ferdinandum anno, scriptum relinquere sit ausus, a Ioanne Scepusio regnum Ferdinando ereptum, nonnullis e nobilitate, malis artibus et magnitudine largitionum in sententiam tractis. Nam Ioannes mense altero post cladem ad Mohacium acceptam, ut supra commemoravimus, tanto consensu, quanto nullus umquam superiorum regum, est creatus. Neque desunt certi auctores qui affirmant, Perinium post Regem interfectum, ultro coronam non poscenti Scepusio attulisse, quod quidem mihi verisimile fit, iis de caussis, quae paulo post a nobis explicabuntur. Nam illud non ferendum mendacium, Ioan-

---

\*) Est is idem Vdabricus, vel Vlicus Zetricius Silesius, ut habet epistola Petri Sárty. (*Pray jegyzote.*)

nem spem concepisse potiundi regni per Solimani gratiam, nondum proelio ad Mohacium commisso; quae male conficta in gratiam Augustae familiae satis suis hominibus splendentis ne illi invidendae sint alienae laudes, quam absurda, et praepostera sint, paullo post suo loco ostendemus. Ergo magna pompa regii funeris iustis peractis, novus Rex solenni maioribus ceremonia Albae insignia regia accepit, adsistentibus duobus pontificibus, Paulo Strigoniensi, qui ab eo postea defecit, et Stephano Broderico Vaciensi, perspectae fidei homine, cuius opera mox litteris arcanis scribendis est usus, quo munere erat pridem apud Ludovicum Regem functus. Inde Transilvanis, quorum egregiam in se fidem erat expertus, Emericum Cibacum praeclare de se meritum hominem praefecit; pari liberalitate ceteros complexus, quorum nobilitas novi Regis magnificentiam splendidiorum efficeret. Hinc congiario populis, donativo militibus delinitis, suos in officio continere, qui dubiae ac fluxae fidei haberentur, confirmare, alios, qui aperte ad Ferdinandum defecissent, spe ingentium munerum atque opulentioris fortunae allicere in suas partes conabatur. Augebat prolixum per se animum, et temporis ratio, et suorum in se meritum, cum nihil non illi parum videretur, quod grati animi monumentum in eos constitueret, a quibus sibi esset tantus in terris habitus honos. Ea vero erat animi magnitudo, ut quamquam in regni summa opulentia, quantumvis profuso ac vasto animo, non deesset materia ad explendam omnium cupiditatem, iis facilius, quam ipse sibi posset facere satis. Nam, ne quid de regia magnificentia remitteret, non ignorabat iisdem se rationibus a Ferdinando peti, et cui neque animus deesset, neque vires, quae aequarent animum,

ad populorum et principum studia sibi concilianda ; qua in contentione non vinci , ut etiam omnis contentio de regno abesset , sibi ad hominum commendationem fore magnificum et gloriosum putabat. Non deerant quidem , qui affirmarent plaustra onusta facto ac signato argento ad ceteros homines missa , sive id verum , sive consulto ab adversariis dissipatum esset , ad invidiam Ferdinando Regi conflandam , quorum suffragatione facilius aditus ad regnum pateret. Eodem anno quo Ioannes Rex ab Vngaris est in Ludovici locum suffectus , Ferdinandus , cum Caroli fratris nomine comitiis in Spirensi conventu praefuisset , a Boemis absens Rex creatur , tria eodem tempore assecutus , quae illi memorabilem eum annum reddiderunt. Nam et imperii comitiis praefuit , qui honos , quasi praerogativam quandam afferre petenti Boemiae regnum , quo illum occulta fata destinabant , videbatur , et mascula prole auctus , ex Anna uxore Maximilianum suscepit , qui illi regnorum successor atque imperii fuit , et cum Viennae esset ex Germania reversus , a Boemis se Regem appellatum , effusis populorum studiis et suffragiis principum cognovit. Missa Viennam per ampla legatio , cuius erat princeps N. Berka Laipanus , vir primae apud suos dignitatis , honorem illi regium gratulatum , simul qui significarent , ut Pragam , tum ad accipienda regni insignia , tum ad confirmanda de more gentis iura , quod solenni iureiurando fieri oportebat , venire ne gravaretur. Ita a Boemis principibus Pragam deductus , magna pompae celebritate Rex inauguratur , cum , praeter regni primores , Casimirus Comes et Georgius Brandenburgensis spectaculo interfuissent. Inde ludicra armorum certamina edita , et hastarum concursus , ceteraque laetitiae signa , quae

severi homines dissimulari potuisse in acerbissimo luctu totius Christianae reipublicae maiore cum laude crediderunt, memores, ab eo tempore anno altero, Carolum V. fratrem, cum in Hispania nuncios accepisset Franciscum Regem in Italia magno proelio a suis victum, atque in potestatem vivum redactum, nullum laetitiae signum edi passum esse, cum ita esset praefatus, magna cum moderationis laude, partam victoriam per multorum hominum millium caedem, luctu magis, quam ludorum et festorum dierum inanibus spectaculis celebrandam. Inde cum Anna Regina auctus regni honore, per Moravos in Silesiam totus adornando bello intentus, quod in Ioannem Regem moliebatur, Vratislaviam contendit.

Quae dum ab illo ad hunc modum administrantur; Sigismundus Rex execratus animo e duorum regum discidio effervescentia in Christianam rempublicam bellorum incendia, Ferdinandum bellum parantem, in scio Ioanne Rege, quod argumentum optimi animi esset, litteris hortabatur, ut de controversia regni, quemadmodum Christianum Regem deceret, et pacis atque otii amantem, iure disceptare, quam armis mallet. Si quid a se proficisci speraret, qua re animi conciliari, et positis simultatibus redigi ad concordiam possent, et eorum se, et reipublicae causa, cui ultimum salutis discrimen immineret, ne eum de se concepta spes falleret, operam daturum. Id facile effici posse, si ita se animo compararet, ut si quid esset, quod utcumque concordiae officeret, id de suo uterque iure statueret sibi remittendum. Deligere modo locus, qui quam commodissimus videretur conventui habendo, quo missis uterque legatis, quid iuris adeundo regno haberet, afferret in medium, per



delectos homines, quorum prudentiam fides, fidem prudentia tueretur, de summa eius controversiae disceptaturi. Olomucium urbem, cum propter opportunitates alias, tum quod haud longe abesset ab Austriae atque Vngariae finibus, ad id maxime idoneam haberi, quo et ipse quoque esset suos legatos missurus, ut si qua in re posset esse subsidio de tanta re disceptantibus, suam operam ne desiderarent. Perpetuis belli cladibus afflictam Vngariam per tot annos, quot a Belgrado amissa numerarentur, quantumvis levi motu civilis belli, nisi quid subsidii in suos inveniret, quassatam labantemque adeo prolapsuram. In convulso ac labefactato regno, quasi in semianimi et dilacerato corpore, spectari acerba et letalia vulnera, eversas urbes, incensas arces, solo aequata sacra ac profana loca; ubique tristia carissimarum rerum funera, barbarae crudelitatis et saevitiae immania monumenta, quorum nulla umquam posteritas esset oblitura. Quae tanta mala, satis per se execranda, ut nihil etiam additamenti quaeretur civilibus armis, non Vngaris solum, sed Christianis populis universis, per Vngarorum ruinam aditu crudeli hosti ad gentes finitimas patefacto, exitium portenderent. Eorum alterum ex Vngara, eadem Regis fratris filia, habere susceptos liberos, ut aequum esset eum obtinere apud se filii locum, Augustae praesertim Regem maiestatis, et cuius Carolus frater Christiani imperii habenas moderaretur; alterum Barbarae Reginae fratrem, ex qua ille prolem suscepisset, ut non posset non summo complecti amore, secum arcta affinitate coniunctum. Ita vero se, utriusque gratia, omnia cupere, ut una aequitas caussae, si de communibus eorum controversiis sibi esset iudicandum, quas partes numquam sibi esset imponi pas-

surus, inter sibi devinctos pari affinitatis vinculo, posset apud se facere discrimen. Orare, obtestarique, pro perpetua sua in illos voluntate, ut poscenti opem patriae innumerabilibus circumventae malis, levationem aliquam afferrent; neu prostratam externi belli procella per accessionem domestici mali externo hosti succumbere paterentur. Quae tutissima ratio esset, in delibendo debere illos aestimare animis, qui belli eventus, et victores pariter, et victos maneret, ubi de regno iis esset armis decernendum. Errare, si eum victoriae fructum, cuius caussa descenderent ad arma, se crederent relatuos. Praesto fore, qui recentibus copiis subnixus, victori, quod necesse esset accidere, affectis et debilitatis viribus vincendo, in medio positum regni praemium extorqueret. Facesseret tam dirum ac triste omen; non illos pro sua, sed pro Solimani victoria descensuros in aciem, accepturos adversa vulnera, telis, tormentis, et suam, et suorum vitam obiecturos, quorum caussa iis honorificum esset, ubi id usus postularet, et sanguinem in acie, et vitam profundere, eiusdem gentis, patriae, religionis. Ita, quam opportunitatem semper quaesisset Turca hostis, finitimas gentes in servitutem redigendi, eos ipsos optanti, quam speranti magis ultro offerre Christianos reges maximos, et nobilissimos, quorum praecipue partes essent, ubi aliunde illi ostentaretur omnibus viribus occurrendi; certe videri aequum esse, ut quorum esset commune periculum, eorum communia consilia, concordans animi, vires, copiae haberentur periculo arcendo.

His adhortationibus commotus Ferdinandus Rex, se in Sigismundi potestate respondit futurum, magis declinandae invidiae caussa, ut videtur, quam concor-

diae studio, cuius conciliandae exigua spes esset, ne, si recusaret, nimium obfirmato animo adversus amici Regis consilia, in illum adversarius culpam derivaret, pertinacius salutaria consilia reiicientem. Ergo Olo-mucium ad indictum conventum a duobus regibus, de quorum controverso iure agebatur, et a Sigismundo simul, qui se interpretem tollendi discidii ferebat, legati missi, quibus praesentibus, per iuris peritos homines, cognito quid iuris uterque in regnum haberet, de eo, uti ex sua religione et fide visum esset, pronunciarent. Sed ea ratio irrita Sigismundi spem fefellit, optimi Regis quidem laudem adepti, sed parum fortunati conciliandis dissidentium animis. Etsi vero haud dubie Ioannis caussae favebat, comprimendum tamen interiore animi sensu tacitum in illum studium censebat, iam tum moliens animo, quae postea a Ferdinando contracta est, cum Sigismundo Augusto affinitatem, qui patri in regnum successit. Expediebat quidem, vicinum Regem, et praepotentem, amicitiae et necessitudinis vinculis devinctum habere; certe huiusmodi, ut minime expediret, eo parum aequo uti, id quod futurum credebatur, ubi Sigismundum propendere in adversarii caussam animadverteret. Ne tamen nihil actum videretur, e regibus neutro se ad aequiores conditiones perduci patiente, Ferdinandi legati, Bosnam Ioanni cum regio titulo offerebant, decreta annua pensione XL nummum Vngaricorum millium, et patriis bonis restitutis, quorum vectigalia per se satis idonea ad maiestatem regii nominis sustentandam crederentur. Quae periniqua conditio Ioannis legatis visa, reiectaque tuentibus regni ius veterum more, atque instituto, a quo discedi per regum affinitates atque exterorum connubia rem indignam et non ferendam

censerent: quem enim non videre, ubi in eo Vngari conniverent, fore ut relictum a maioribus liberum ius sibi creandi regem brevi amitterent? Nam et decretum in Poseniensi conventu factum, vivente adhuc Ladislao, cuius supra mentionem fecimus, proferebant, in quo quidem centum et octoginta signis e praecipua nobilitate hominum obsignato, diserte vetitum esset in posterum regiis comitiis exterorum rationem in regni petitione haberi. Quae quamquam ita essent, usque eo tamen Ioannem decessurum de suo iure, ut quam pensionem regibus Vngariae pro Silesiae et Moraviae cessione Ferdinandus solueret, concordiae causa remittere paratus esset, quam quidem oblatam conditionem eo minus reiiciendam Ferdinando contendeant, quo magis appareret, ubi summo iure experiri vellet, nihil illum posse proferre, quo subnixus posceret regnum. Nam Ioannem statim Regem creatum fretum optimae causae fiducia ad Ferdinandum legatos misisse, qui, vetere regum more, delatum illi a Boemis regnum gratularentur, et simul se ab Vngaris Regem creatum significarent, qui ab illo hostilem in modum accepti, et male multati dimissi essent. Neque ob id ipsum tamen inceptam de concordia actionem intermisisse. Nam, et ad Sigismundum Polonorum Regem affinem, et ad Clementem VII. Pontificem, Franciscum Gallorum, Anglorum Henricum, et Carolum Caesarem adeo fratrem adversarii, ut appareret, ab optima causa ingentem animi fiduciam proficisci, eodem argumento litteras dedisse, neminem se iudicem recusaturum, cuius haberetur integra fides, quicumque is esset, ad quem eius causae cognitionem adversarius deferret. Ita tota de pace actio discussa, quam regnandi cupiditas difficillimam reddebat, raro

in magnis ingeniis aequitatis et iustitiae potens, et conventus dissolutus est. Neque ob id tamen Scepusius, quamquam imparatus ac de improvviso oppressus, aut contrahere animum, aut desperato belli eventu in regni contentione cedere Ferdinando constituit. Qui ne caussa minus, quam vi, atque armis superior videretur, litteras pridem dederat et ad alios Vngariae populos, et ad septem Saxonum sedes, qui Daciae ulteriorem partem incolunt, criminationibus plenas. Querebatur vero, adversus legitimum principum conventum Comarum indictum in diem VII. kal. Decembris, superbe spreto viduae Reginae, et Stephani Palatini auctoritate, alium ipsum Albam conventum indicare ausum, cuius agendi diem Non. Novembris praefinisset. In eo, frustra reclamante Maria Regina, dissuadente se dehortanteque adeo, obnunciante postremo Stephano Palatino, et ceteris proceribus regni, sacro-sanctam coronam, quam a prima usque adolescentia, per omnes artes ambiisset, fretum suorum studiis seditiosorum hominum usurpasse. Sorori Reginae, quae, ut aequum esset, magna cum cura Regis corpus conquisitum, ac pari pietate inventum efferre magnificentissimo funere constituerat, ne postremum quidem pietatis officium per unius praeposteram ambitionem persolvere licuisse. Atque eum quidem Regem fuisse Ludovicum, cuius insigne in patriam meritum, atque universam Christianam rempublicam adeo, omnis consequens aetas litterarum monumentis esset celebratura. Vsque eo praecipitem dominandi cupiditate actum, ut quem destituisset vivum, (tamquam in eo satis non esset peccatum), sepultura prohibere, quantum in se esset, veritus non sit, quod numquam non victi hostes ab hoste victore impetrassent. Hanc tantam iniu-

riam, cum Regi mortuo, et sorori Reginae, per cuius contemtionem haec esset ausus moliri, tum sibi adeo illatam, quamdiu memor suae fidei et constantiae esset, negligere sine magno suo dedecore haud posse. Invasisse debitum sibi regnum tum affinitatis iure Ladislai genero, tum ex antiquo foedere inter Fridericum Caesarem icto et Matthiam Regem, mox inter Ladislaum, iam inde ab eius regni initio, et Maximilianum instaurato. Neque prius tamen repetiturum se armis, quod sibi facillimum sit, quam iure disceptaturum conventu Posonium translato, quem minus Comari peragere, quo semel esset indictus, Regina potuisset. Initium regnandi se non e caedibus, populationibus, incendiis, sed a beneficentia, liberalitate, magnificentia, ut Carolo fratre principe Christiani orbis, ut maioribus, ut se dignum esset, facturum.

Haec fere iisdem verbis, in eandem certe sententiam, ex Ferdinandi litteris huc placuit transferre, quas ille eiusdem argumenti, non ad Vngaros modo, sed ad omnes Europae principes etiam dimittendas eodem tempore curavit; ut vix Ioannes Rex, quamvis a volentibus Vngaris per legitima suffragia regnum adeptus, adversus tantas opes, ingentem in se conflata invidiam diu videretur posse sustinere. Cum alibi vero, tum Romae imprimis eadem a Ferdinandi legatis, atque ab Austriae familiae studiosis hominibus iactabantur, quorum erat, propter nominis maiestatem, ubique numerus ingens. Erat porro operae pretium spectare, maximos reges, quorum non arma viresque potius, quam animi iactabantur, Solimano Vngaris pestem moliente, quo quidem tempore occidenti Christianae reipublicae per unius regni occasum, esset cunctis viribus subsidio eundum, adversus legitimum

Regem, ultro oblatum a suis regnum adèuntem, quem honorem maximis in reipublicae meritis esset adeptus, tamquam adversus communem hostem Christi, bonorum omnium, consurgere, arma, bellum denunciare, igni atque aqua interdicerere, ex hominum coetu deturbare. Augebant invidiam, qua flagrabat sua sponte novus Rex, Germani concionatores, ad temere dissipatam famam, verborum faces atque incendium addendo multitudinis consensu ingenti, quae non causam, sed dicentium auctoritatem spectabat, qui in Ferdinandum et Carolum fratrem effusi, omnia ad gratiam, nihil pro sua fide et religione loquebantur. Ab eo accitum Solimanum in Vngariam, atque incensum ad bellum, quo sua sponte propenderet, certa victoriae iniecta spe ex Vngarorum tempore, intestinis odiis et seditionibus laborantium, cum esset res gerenda adversus adolescentem Regem, qui quidem, utrum imparatior ab armis, an a consilio esset, aegre iudicari posset. Ita hinc obiectum hosti feroci, hinc desertum a suis, regiis insignibus tamquam infulis ad aram mactandam victimam, velato capite, occubuisse, scilicet, ut per illius interitum Scepusio, a quo desertus et proditus esset, aditus ad regnum patefieret, sceleris praemium, quo nullum post natos homines tetrius, immanius, exsecrabilius excogitatum esset. Hinc omnia ea mala passim commemorabant, quae, eo regno potente, malevoli quidem, et tristes rerum coniectores, sed non vere, quam invidiose minus, Christianae reipublicae imminere dicebant, eversionses urbium, populationes agrorum, provinciarum incendia, servitutem, caedes, quibus victricia Turcarum arma nobilitarentur, numquam non cruenta e bello referentium. Verbo regnaturum Scepusium, Solimanum re,

cuius victoriae praemium, precario partum regnum, Scepusius esset administraturus. Inde non iam excursionones et levia proelia, sed iustas expeditiones in finitimas Vngariae provincias suscepturum, Austriam, Boemiam, Silesiam, universam Germaniam, nullo ire obviam victori audente, quacumque armatus sibi ferro viam aperiret. Ad ea tempora tanquam claustra barbaro hosti Vngariam obiectam, Christianae olim reipublicae munitissimam arcem, qua potitum Turcam, quod quidem prohiberet deus propitius, suis non secus ac violentum annem auctum hibernis nivibus, in subiectos campos effusum, vim omnem suam, exercitus innumerabiles, gentes immanitate barbaras, quarum aviditatem ne orbis quidem terrarum expleret victoribus expositus, ad praedam in Europam universam effusurum. Haec, quae sua sponte gravia ingentem ubique animorum motum ciebant, fama latius in dies serpens augebat, cum ad ea, quae ferrentur, alia adderent multa, ad quos manaret numquam non in progressu, et celeritate uberior, atque auctior vero. Ita autem omnes censebant Ferdinandi caussam communem omnium, quicumque colerent Christi nomen; Ioannis Regis eandem et Solimani caussam esse, cuius fretus gratia et potentia crederetur regnaturus; ut iustissimum in unum haberetur omnium odium, quorum exitium male appetiti regni pretium, ut credebant, constituisset. Omnium vero maxime officiebat summo iure, et temporis praerogativa innitenti (integro enim ante Ferdinandum anno inierat regnum) Caroli V. Caesaris potentia, in quem unum tum omnes Europae fere populi respiciebant, florentem aetate, magnitudine imperii, tot de hoste partis victoriis, in his, maxime omnium memorabili, quae illi victum Franciscum Gallo-



rum Regem, captivumque tradidisset. Nam Clemens Pontifex speciosum religionis nomen, non obscurae cupiditati praetendebat, per Caroli victoris arma, patriam in potestatem suorum redigendi, quae constantiae, et fortitudinis raro exemplo, antiquum ius libertatis tuebatur; desperatis enim Pontifex Francisci Regis auxiliis, per cuius fractas vires, omni spe perficiendi incepta exciderat, unus Carolus ad quem confugeret, supererat, iam a Leonis usque pontificatus tempore assuetus medius inter duos summos reges, ex suo tempore, et suorum, colere amicitiae iura. Inde unus omnium acerrimus in Scepusium, tamquam in Solimani mancipium et communem hostem invehebatur, cum suo iure tanti vindicandi sceleris sibi sumeret principes partes Christi Pontifex, religionis Sacrorum vindex, ut iam non solum verborum fulmina, dirarum obnunciationem, interdictionem a sacris, quae pontificum Romanorum arma magnis regibus semper formidolosa fuerunt, sed belli minas et denunciationem intenderet, ni malis artibus parto regno, et per paucorum factionem, legitimo Regi cederet. Quae omnia ad eundem finem spectabant, emolliendi Caesaris animum, atque in sententiam traducendi, non certo animi iudicio, et quod crederet se meliori caussae favere, sed iniustissimo in eum odio, quem a suis magna concordia regem creatum, non malis artibus, nomen exempta largitionibus suffragatione, non . . . . . potentia sciebat, multis Romae agentibus, praeter regios legatos, qui non erant passuri Pontificem, quae in-Vngaria agerentur, ignorare. Ad ea enim tempora Caesar offensus foedere, quo erat Clemens Francisco Regi devinctus, ab illius rationibus aversum animum ostenderat, edito scripto querelarum pleno, quo illius cri-

minationes et maledicta refutabat, commemoratis illustribus suis officiis et multis, quibus, nondum adeptum pontificatum prosecutus erat. Nam et duriore illo sua spe caussa Neapolitani regni erat usus, et fide neglecta, promissis non stetisse querebatur, pollicitum se eum legibus soluere, per quas non liceret eidem simul Neapolitano regno et imperio potiri; atque quo id adeo ferret iniquiore animo, id ab eo factum expostulabat Francisci Regis caussa, cui gratificari in omnibus consuevisset. Ita Ioannes Rex, Clementi Pontifici innocens iactandus, vexandusque obiectus, unum, ut credi volebat, poscenti tanti sui in Ferdinandum studii praemium, suorum iniustissimum in patriam regnum, quo se facile potiri posse, nisi per unius Caesaris arma haud sperabat. Neque interea tamen se Ioannes Rex deserebat, et scriptis litteris, tum ad externos reges, tum ad liberas civitates, et aliorum calumnias, et Clementis Pontificis inprimis haud obscurae caussae adversarii faventis refellere conabatur. Quae in se crimina Pontifex comminisceretur, quando a vero argumento non manarent, id quod necesse esset ab iniustissimo in se odio proficisci, quod in privato homine non ferendum, minime omnium Pontificem Maximum deceret, qui se regum parentem, Christi in terris vicarium, arbitrum rerum homanarum omnium, et moderatorem ferret. Tanto vero illum acrius reprehendendum, quanto minus ulla a se lacessitus iniuria, more atque instituto maiorum legitimo a suis creato rege, innocentem atque innitentem . . . caussa odisset. Quod nemo non videret cuius esset lib(era mens) tum a favore et animi studio, tum a privatis inimicitiis et simultatibus, unam illi esse odii caussam gratioso et praepotenti adversario suffragandi, qui non iure, et

aequitate, sed domesticis opibus, et Caroli fratris subnixus, per obstantia naturae et gentium iura, aliena regna invadere armis aggrediatur; ut habeat quibus armis, immemor sacrosancti honoris, quem inter homines gerat, erectam in spem pacis Italiam perturbet, patriam inprimis, cui quidquid homines habeant in terris expetendum, referant acceptum. Indignam rem indicta caussa damnari Regem, circumveniri iniquo iudicio innocentem, spoliari nobilissimo regno, tot nationes, tot gentes, tot populos, quorum immortalia in Christianam rempublicam merita recenseri queant, crudelissime vexari, non a Solimano quidem, Christiani nominis hoste, sed a Christi pontifice, ad quem unum perfugere, afflictis rebus suis, Christianos reges aequissimum sit. Licuisse adversario per Pontificem Maximum, in omnibus illius consiliis ei conniventem, adornare in se disertos homines, qui de loco superiore, per immanem concionandi licentiam, populorum in se odia concitent, iis commemorandis, a quibus ita semper docuerit se abesse illustribus multis anteaetate a se vitae documentis, ut illi ipsi a iustitia semper atque aequitate abfuerint, qui ea in se iniustissime confingant. Quae quidem propterea non sit refutaturus, ne videatur magis artificio orationis, a quo ipse longe absit, et quo minime indigeat fretus optima caussa, quam conscientia recte factorum, quae excelso loco reipublicae posita carere teste non possint. Et licere quidem pontifici in se ubi visum sit intentare sacra arma, quae non videantur tamen temere in quemquam distringenda; sed ut idem intelligat hebescere eadem in innocentem intenta. Nam illud saepe accidere, ut emissa tela in eum, qui sit tectus innocentia . . . inde

ubi haerere non potuerunt, in eum ipsum a quo sint emissa retorquerentur.

Atque ita quidem novus Rex adversariorum criminationibus occurrebat, eadem e regni principibus querentibus, a quibus auctoribus comitorum fuerat rex creatus: iisdem enim a Pontifice diris atque obnunciationibus defixi pariter et Scepusii caussam, et suam credebant. Movebantur vero non solum Regis iniuria, cuius violari maiestatem nullo illius merito, indignam rem ducebant, sed Vngarorum etiam, cum non prius crederent, posse a se regem creatum honore abdicari, quam per confusa et perturbata patriae iura, respublica tanto accepto vulnere praeceps ad interitum rueret. Quo vero liberius quererentur, inustus animis dolor efficiebat, qui ita impunitatem dicendi alebat, ut dolorem fovebat contumax in iniuria Pontificis animus, qui ita credebat se posse tueri suum ius, si tuenda ea causa, quam semel esset amplexus, nihil de incepto remisisset. Hanc tantam sive constantiam, sive pertinaciam ita Vngari aemulabantur, ut non ipsi libere minus in Pontificem, quam in Ioannem Regem Pontifex probris conviciisque baccharentur, quod facile conici potest ex iisdem Ioannis litteris, quibus de illius in se iniuriis acerrime vehementissimeque expostulat. Nam, quod olim de superioribus pontificibus, Iulio, Leone, erant questi, id quod in mali aemulatione solet accidere, ut improborum aemulatores eos superent, a quibus male agendi praecepta hauserunt (addunt enim ad aliorum improbitatem et nequitiam suam), querebantur, Vngarorum calamitates quaestui habere, quod tamquam pietatis velum, non occultis tamen consiliis obtenderet, suos ad nova regna atque extraordinaria imperia, per populorum

perpetuas clades, incendia, populationem, evehendi. Hadriano Pontifice, cum Rhodo amissa, quo vulnere paene afflicta Christiana respublica concidisset, Romae Regis legato quiritante, atque implorante dei atque hominum fidem, ut susciper(et modo) cogitationem Christi pontifice dignam, conciliandi principum (anim)os, adhortandi ad concordiam, ad bellum barbaris hostibus inferendum, nequidquam actum, cum altero propugnaculo a terra Vngaris erepto, alteri excindendo hostis potentissimus immineret; quo potitus, Christiani orbis exitium pestemque a mari freno iniecto haud dubiam moliretur. Et tum quidem delectum e cardinalium collegio Pompeium Columnam, peritum rei militaris hominem, qui primo quoque tempore legatus in Vngariam praemitteretur, quo alacriore animo obiret legationis munus, aucto Catinensium pontificatu, quod in Sicilia peropulentum sacerdotium haberetur. Neque tamen satis in eo illecebrae visum ad iter accelerandum, neganti se prius pedem Roma efferre, quam centum quinquaginta coronatorum milium summa sibi esset ad rei militaris apparatus diminuerata. Quantum vero in eodem esset pietatis studium, quantum religionis, docuisse ea, quae ab illo essent eodem anno administrata, quo esset accepta ab Vngaris ad Mohacium clades. Romae enim Caesarianarum partium ducem, egentium et desperatorum hominum comparata manu, cum per vim esset in urbem ingressus, Vaticanum veterem Romanorum pontificum sedem depopulatus, Clementem inimicum pontificem, cum sacris thesauris, et omni divinae rei apparatu se in Hadriani molem recipere coegisse, factiosum hominem, superbo atque impotenti ingenio, et in civilibus discordiis aptiorem ducem certaminibus cum

inimicis serendis, quam iusto gerendo adversus Turcas bello. Inde secuta Hadriani Pontificis morte, cuius salutaris pontificatus Christianis populis futurus crederetur, spem omnem perficiendi, quae inchoata Romae praeclare essent, Vngaris simul occidisse. Suffectum enim in demortui locum Clementem, tanto omine laetiore, si id a (specioso) nomine modo sit petendum, quanto, si quis rem spectet, reipublicae tristiore fato. Hinc patriae, hinc urbi olim in terris imperii domicilio, hinc Italiae, hinc Christiano orbi universo pestem perniciemque importatam. Eundem quidem pontificatum, sacrosanctum, divinum, idem munus, sed pontificis disparem animum atque a functione muneris alienam sententiam, hostis pacis; belli, discordiarum inter summos reges dissensionumque auctoris, quibus contra fas, divina atque humana iura omnia, immanem dominandi cupiditatem foveret, cui explendae maximis emptum largitionibus pontificatum destinasset. Ab eodem iactata in Turcas arma, non obscuram fallaciam ad captandos imperitorum animos, Vngaris decreta auxilia, et quidem magnificis verbis, et luculentis, unde studio acerrimo ingentes coactae pecuniae futurae usui ad sacrum bellum, id quod plausible nomine iactaretur, re vera uno nomine, ut instaurato inter reges foedere, vastata ac depopulata Italia, Florentia nobilissima Italiae urbs, subderet colla unius privati civis durissimo atque indignissimo iugo. Hunc referre fructum Christianam rempublicam delati Clementi pontificatus honoris, si iure pontificio, et patrum sanctionibus standum esset, muneris impari, ut per speciem pellendi Turcam ex Vngaria, nobilissimae Italiae urbes, liberae civitates, detrectantas privatorum imperium, servitutem indignissimam Pontificis

libidini subiectae perferre per summam iniuriam, atque ea quae sunt morte acerbiora, cogentur. Sed adversus fas atque ius susceptum bellum raro laetum secutum eventum. Non ita multis annis a primis pontificatus auspiciis, infestam vim numinis, quae exigeret sceleris poenas, inductum, falsum, impulsum in fraudem, milite dimisso, qui esset futurus urbi subsidio, sensisse. Augustissimum Romae templum, domus sacrae, penetralia, foede direpta ab avaro milite, laceratam Pontificis suppellectilem, distractum sacrum argentarium, fracta aurea vasa, quibus rem divinam sacerdotes operarentur, non ab aliis fama accepisse, sed quo esset acerbior sensus, praesentem ipsum, auribus, oculis hausisse, cum ex iis anxius praesagiret animus, quae persistenti in amentia portenderent inexorabilia fata. Non suis civibus, non patriae Ioannem Regem insidiatum, ut scelere nefario sibi viam aperiret ad Vngarorum regnum. Creatum a volentibus regem, more atque instituto maiorum, ac per omnium consentientia vota, atque adeo prius promeritum, quam adeptum regium honorem. Quidvis autem citius posse Vngaros ferre, quam illis invitis, quos superiores pontifices magnificentissimis titulis honestassent, Christiani nominis propugnatores, communis salutis et libertatis vindices appellassent, deiecto e possessione regni, cui ultro sui imperium tradidissent, per conculeata maiorum iura regnum exteris tradi. Facile pati Ioannem Regem, sibi in contentione nobilitatis Ferdinandum praeferrere, ex augusta familia natum principem, adderet, qui vellet, minime se repugnante, optimum, sanctissimum, regio inprimis honore dignum, sed non id in praesentia agi, quam is dignus regno haberetur, sed quam eorum iudicio, quorum ius esset creandi re-

gem. Posse queri praeteritum se in regni petitione, negare sibi Scepusium praelatum sive iure id, sive iniuria minime posse. Atque eo animo tamen Ioannem Regem esse, ut cum hoc nomine adversario cesserit splendenti maiorum imaginibus, perpetua serie recensenti, ex eadem familia eminentes multos imperii insignibus; iis ornamentis, quae a vera virtute, non fortuna sint, quaeque prima in magno rege habeantur, minime sit concessurus. Non invidere Vngaros Austriae familiae magna parta regna atque imperia; quae tamen Matthiae virtuti cesserit victa, qui praeter parentis virtutem et domesticam suam nihil a maioribus, originis paene inter Getas pudendae ad commendationem hominum afferret; spectari virtutem in iis, qui regna petant, non insignia, statuas, multas imagines, quae saepius fortunae quam virtutis testimonium habeant, et tamquam praelucentes faces, posterorum maculas, ubi degenerant a maiorum virtute, reddant ex loco excelso atque illustri insigniores. In Ioanne Rege cum aequatam maiorum gloriam privata sua, tum perspectas regias virtutes diu magnis imperiis gerendis, iustitiam, magnitudinem animi, sapientiam, merita imprimis in rempublicam maxima atque illustria, quae spem facerent, eum in posterum partam virtute gloriam, constantia illustriorem, auctioremque redditurum. Delectum ab Vngaris regem, qui, ut cetera, ita hoc sapientissime sancitum, et quasi per manus traditum a maioribus accepissent, ut regnum haereditate adiri, pactionibus et foederibus illigari, quod non secus esset interpretandum, ac ius creandi regem sibi adimi, quo nihil esset iniquius, nulla ratione paterentur. Sed abuti Clementem pontificia potestate, ut ad occupandam iniustam dominationem in suos, sic ad pel-



lentos exteros legitimo regno in Caroli Caesaris et Ferdinandi Regis gratiam, ita affectum animo, ut non quam iusta caussa sit, quam aut tueatur, aut oppugnet, sed quam sibi quaestuosa, magis sibi spectandum putet. Iam et illud addebant, ubi positis armis esset de regno iure disceptandum, etiamsi Ferdinandus Rex iuri suo praetenderet foedus cum Maximiliano ictum, eius rei unam atque eandem rationem fore; sive enim tum principibus regni maiorum ius abrogare licuisset, qui liberis suffragiis sibi creare regem, quem mallent, consuevissent; sive minus: contendebant tamen Ferdinandum in controversia de regno caussa cadere, atque adeo, ubi etiam aliis rebus omnibus superior haberetur, quae essent in legitimo rege spectandae. Nam, si minus foedus ferire Matthiae et Ladislao licuisset, quod posteris esset fraudi, et in maiorum dedecus verteret, qui suis adeo salutare institutum sanctum esse voluissent: quam rationem eius foederis videri, quod adversus leges saucitum esset? neque enim solum in feriendo foedere spectari oportere, quam inter eos conveniat qui ineant foedus, sed quam eo qui sunt postea futuri teneantur. Iam, ut de suo iure Vngari decedentes concedant, a duobus regibus, quam legem maiores condidissent, licuisse abrogari; cur minus posteris ab iis abrogatam, meliore consilio licere revocare, refixo foedere, quod adversus mores atque instituta regni percussum negari haud possit? Quid vero iniquius inter homines, quam haereditarium regnum? Quam longe recedere a naturae instituto qui aut probent, aut, cum utrumvis liceat, institutum tueantur? Vnum enim sanctissimum naturae ius, unam perpetuam atque aeternam legem, quae ita moderatorem populorum regemque constituat, ut velit penes eos, qui pa-

reant, esse potestatem deligendi eum, cuius imperio sint obtemperaturi: cuius rei certam rationem esse, quae tota, ab uno iustitiae fonte manet. Nam hominum caussa reges, legum latores, non homines regum, naturam finxisse. Quod quidem si sit, eos modo reges habendos, qui et legitime imperent, et volentibus imperent, quae ratio tutissima est tuendi communem vitam, et ad posteritatem propagandi. Quam vero saepe accidere in iis regnis, quae hominibus fortuna conciliet, non naturae lex, ut ii imperio potiantur, quibus ex iis qui pareant, multi rectius sint imperaturi? Quam saepe populos temeritati fortunae obiectos, eos reges cogi agnoscere, qui regendi ipsi, constringendique vinculis quam longissime sint a regia arcendi? Ac duplici quidem nomine videri castigandos tam iniusti foederis auctores. Nam et ingratos in maiores haberi, qui optimo consilio, posteris per eam rationem consuluerint, et simul de posteris pessime mereri, quibus per legis abrogationem, unius maxime populis salutaris, potestatem creandi regem per iusta suffragia, iniustissime ademerint. Neque vero audiendos, qui ob eam caussam praeferant haereditaria regna, quod saepe accidat, ut delinita largitionibus multitudo, improbo homini suis suffragiis regnum tradat: non enim nunc agi, conducaturne magis regnum adiri haereditario iure, an populorum suffragiis, quae tamen quaestio perfacilis sit; sed utrum maioribus, saluis legibus, adimere ius creandi regem, per ullum ictum inter reges foedus posteris licuerit: cum multo aequius legem iustissimam instaurare posteris, quam rescindere superiores per ullam foederis religionem optima ratione latam potuerint. Aliud vero esse casu regnare improbum, et quod ferendum non sit, imperare invitis;

aliud a volentibus, quantumvis malis artibus et magnitudine largitionum conciliatis regnum accipere; cum, id quod mali solatium habeat, venalis libertatis addictae unius imperio, certum praemium exstet; quod pluris sit multis, quam ius libertatis, quibus domi egestas, quaestuosam servitutem necessariam reddat.

Atque haec quidem Vngari sui iuris assertores acerrimi, de quo mox essent armis disceptaturi. Nam certi iam nuncii in Vngariam ferebantur, Ferdinandum compositis Boemiae rebus, atque exsoluto omni alia cura animo, intentum bello apparando, delectum militum habere, copias cogere, tormenta, commeatus, et cetera, quae necessaria ad belli usum essent, comparare. Querebatur vero debitum sibi regnum omni divino atque humano iure a Scepusio praeripi; qui suo tempori insidiatus, dum Boemiae res districtum tenerent, in alieni regni possessionem invasisset. Tanta vero erat de Ferdinandi sanctitate opinio apud gentes populosque omnes, et merito id quidem, ut rectum esse, quod sentiret, una certa esset ratio, ita Ferdinandum sensisse; quam laudem ne ii quidem umquam negarunt, qui Ioannis partium studiosissimi, Ferdinando in suscepta contentione de iure Vngarici regni minime aequi fuerunt. Copiis omnibus, quae optime instructae ferebantur, Casimirus Marchio Brandenburgensis cum summa potestate militaris imperii praesse iussus, cum Regem iuvenem, quamvis negantem se passurum in regia includi, cuius res esset, a bello abesse placuisset. Quibus cognitis rebus Ioannes, advocato suorum consilio, eos de iis quae audierat docet: Minime se umquam dubitasse, quin Ferdinandus diffusus affinitatis iure, quo subnixus, ex foedere regnum peteret, descenderet ad arma, iniu-

stam caussam adversus Vngarorum consensum , magna constantia gentis ius tuentium , bello vindicaturus. Eius inceptis mature occurrendum , ut integrum adhuc a factionibus regnum , cuius collapsae vires externo bello , reficiendae instaurandaeque viderentur , tutum concordia praestaret ; sin hoc minus per Ferdinandum liceret , quem armorum fiducia , non legum aut iuris acquitas in spem regni erigeret , vim vi se propulsaturum confirmat ; haud dubia spe fore , ut deus immortalis , unus rerum humanarum iustissimus vindex , pro eius caussa staret , qui suorum iudicio habitus regno dignus , prius promereri tantum honorem bene de patria merendo , quam assequi cuiusquam suffragatione et gratia studuisset. Et tanto quidem in terris honore se alacri animo posse carere , quem magnificentissimus titulus honestaret liberatae patriae e gravissimo et perniciosissimo bello , quod rerum a se gestarum praemium uberrimum duceret ; posse carere aequo animo , quamquam a suis oblato non petenti , non ambienti malis artibus , non extorquenti ab iis per vim atque arma , qui quod iudicium suum in creando rege esset , liberis suffragiis declarassent : sed pati regnum exteris per turpem dissimulationem praedae esse , nec debere , quoniam iniustum esset ; nec velle , quoniam velle nisi quae honesta essent , non posset. His dictis , secunda omnium admurmuratione Christophorus Frangipanes , cuius auctoritatem grandis iam natu , rerum maximarum usus , et peritia rei militaris maxime augebat , ad hunc modum rogatus sententiam disseruisse fertur. Quando nihil sibi certius esset , quam unius dei immortalis providentia admirabili ad regna atque imperia vocari qui rebus hominum praeessent : non dubitare se , quin Ioannes Scepusius prius

designatus Rex Vngaris fuerit , in aeternae eius mentis consilio, quam a suis regni corona et sceptro summi imperii insignibus honestatus. Ut hoc sibi persuaderet, eius facere sapientiam, virtutem, magnitudinem animi, quae notae regiae indolis in quibus conspicerentur, tollerent omnem dubitationem, quin in privata etiam fortuna, natura conformati ad regnum, augustissimo in terris honore essent digni habendi; a quo quidem longe abessent, qui nati impares, et fortunae favorabili aura ad regnum proveci, ad quantumvis levem procellam, quam saeva belli tempestas excitaret, tantum non abiectis regni gubernaculis, demitterent, ac contraherent animos. Quae cum ita se haberent, paucis se, quae sua esset sententia declaraturum, militarem hominem, quem disertum non orationis ullum artificium, sed caussa faceret, quam sibi recte tuendam suscepisset, quaeque nulla eloquentia maiore indigeret. Censere primo quoque tempore, ut recte a rege sapientissimo dictum esset, nascentem in principio incendii flammam omni praecisa mora opprimendam, ne serpendo latius, neglecta sumeret vires; suadere imprimis, quando quo animo Ferdinandus esset, nemo dubitaret (non enim illum, prisco more gerentium bellum, per Feciales indicturum prius, quam gesturum), cum parte copiarum, quas haberet, quae minime essent contemnendae, mitteret qui Tatam obsiderent, sibi delectorum militum quatuor millia tribueret, qua manu populabundus, id quod impigre se facturum spondebat, in Austriae fines impetum faceret, atque omnibus belli cladibus cuncta vastando atque urendo, Ferdinandum infesta Vngaris inferentem signa ad tuenda sua avocaret, quo illum natura, ratioque impelleret, quae defendendum prius illatum ab

hoste bellum , quam inferendum praevertendi iam , et rem gerenti , optimo consilio doceret. Id si ageret , tum illud commodum consecuturum , ut qui prior belli initium faceret , is studia hominum , belli praerogativa occuparet , cum quidem prius mota arma haud dubium fiduciae argumentum prae se ferrent , vulgo id hominibus suspicantibus , non temere ab iis arma inferri , quorum vires non animos aequarent. Sperare quidem se , Ferdinandum , ubi intelligeret sibi cum Rege fortissimo rem esse , et non ita facile de suo iure decedente , ultro converso animo descensurum ad mitiora consilia , et legatos de pace cum plenis mandatis missurum.

Haec audita varie eorum animos , qui in consilio aderant , affecere ; Regem quidem non moverunt , cum suo ingenio abhorrentem a civilibus armis , tum verentem , id quod plane erat timendum , ne per adeo tristia auspicia visus inire regnum , hominum a se studia alienaret , quae omni studio erant retinenda , cum potente adversario gerenti bellum , et qui affinitatis arcuissimo vinculo esset cum Vngarorum regia coniunctus. Sive autem ipse vinceret , sive penes Ferdinandum victoria esset , aequae laetum ac tristem belli exitum animo execrabatur ; nam , et victus regni possessione excidebat , et victorem manebat aeterna laebes infamiae , invidia certe , tum apud exteros , tum apud suos non ferenda , qui per summam iniuriam praeteritum Ferdinandum in regni comitiis credebant ; ea enim ratio bellorum civilium , ut victoria funesta victis , minime sit iis honesta quibus est parta , sit semper patriae exitio , quae ita in victis plectitur , quorum desiderio angitur , ut victoribus addicta libertatis iacturam faciat , si data optio sit , passura aequiore

animo exterorum, quam cum insigni sua clade suorum imperium. Ita Frangipane collaudato : Et se vero agnoscere illius in se benevolum animum, et eximiam erga patriam pietatem, respondit, cuius multa iam atque illustria dedisset documenta ; sed non posse a se impetrare, ut regnaret per eorum caedem et sanguinem, pro quorum salute mortem oppetere sibi omni vita carius, speciosius ac magnificentius titulis atque honoribus omnibus duceret. Regnorum omnium potentem deum, quem Vngaris regem dedisset, invicta sua manu adversus inimicorum impetum omnem, quamquam arma, copias innumerabiles, exterorum regum auxilia iactantium, tutum praestaturum. Tantum quidem nefas haud posse animo concipere, ut eos, quibuscum haberet communia patriae iura, eadem religionis sacra, quibus acceptum regnum referret, cuius potiundi caussa summi saepe homines, divini atque humani iuris immemores, terrarum orbem perpetuis bellorum cladibus involuissent, cogeret igni, ferro, agrorum populationibus, everisionibus urbium in caussam descendere, et pro suo regno, quod esse suis salutare aequum esset, in vitae et fortunarum discrimen venire ; nullum certe argumentum certius futurum, se parum honore regio dignum, quam si a tam foedo initio regiam ingredi, atque auspicari mandatum sibi munus videretur ; tum enim homines credituros se a deo ad regnum proventum pacis ac concordiae auctore, ubi honestis rationibus partum atque suorum magno consensu, honestis rationibus pergeret tueri.

Haec Regis oratio speciosa quidem tum suis visa, sed quae cito obsolevit, cogente Ferdinando invitum, omissis in praesentia lenioribus consiliis, quae esse eius ingenii potius, quam temporis videbantur,

non iure de regno, in quo parum subsidii erat, sed armis decertare. Ita consilium dimissum, frustra querente Frangipane, feroci homine ac praefervido ingenio, unam certam occasionem e manibus elabi bene gerendae rei, quam cum vellet, et ratio temporis postularet, haud in eo malus vates, esset nequidquam quaesiturus: unam enim certam rationem relinquendi suum ius, ubi eo stari adversario non placeret, non exspectare, sed praevēnīre inferentem arma, ut bellum illaturus prius in sinu haberet gerentem rem, quam explicare belli consilia crederetur, qui esset bello laccessendus. Atque haec quidem ille, Regem aliquando sui consilii poenituisse, et cum nullus usus esset, ea mox quae sunt secuta docuerunt. Qui quidem intentus confirmandis suorum animis, ultro in suam caussam propensos arctius sibi devincire omni genere officii et munificentiae, eos qui Reginae partes sequebantur, quae eadem erant Ferdinandi, quarum erat Stephanus Palatinus moderator, per litteras crebrosque nuncios, quod iam diximus, spem melioris fortunae atque honorem ostentando, ad se allicere studebat . . .

(Nagy hézag, mely után Szamosközi pótlása kezdődik, a 137. lapon lévő csillagig).

. . . . Petro Keglevithio, Zriniis, Zlumis, aliisque e nobilitate praecipuis, tum e Rhetis, Carinthia, Styria, minime contemnendis auxiliis, ire prope ad hostem pergit, ut quamdiu spes esset debellari posse nondum maioribus auctum viribus, consereret manum. Cuius rei nuncio Frangepanes accepto, nihil cunctatus, ad Crisium cum omnibus copiis contendit, atque loco idoneo posuit castra, eo animo, ut ubi Ferdinandi duces pugnandi potestatem facerent, certamen non de



trectaret. Inde aliquantum progressus, ad Dravum, non procul Lubrego oppido castris positus, consedit. Quo in loco cum esset, certior ab exploratoribus factus, hostem adventare paratum belli fortunam proelio experiri, laetus a suo consilium hostium non abhorrere, corpora suos curare, et se in posterum diem comparare animis ad pugnandum iubet. Inde fiduciae et spei plenus, prima luce e castris copias eductas ita instruit, ut inter duas equitum alas, quasi inter duo cornua, peditum agmen collocaret, extra aciem cum impedimentis alio agmine considerare iusso, in quo cum imbelli puerorum nobilium turba iusserat collocari, quos aut vulnera, aut morbus, casusve alius, ubi esset cum hoste configendum, minus pugnae idoneos redderet. In eorum numero fuit Ioannes Szermegh adhuc puer, ut ipse affirmat, tum primum ad bellum cum Michaelae Tamadocio profectus, cuius filia a parentibus erat puero desponsa, ut his scribendis verisimile sit ei suae fidei consulere licuisse. Ac ne insueti bellicis rebus, in medio pugnae discrimine ad novam rerum faciem trepidarent, certum iis ducem, prudentem hominem atque industrium, tum curatores alios cum regio vexillo attribuit, quorum auctoritate atque imperio in officio continerentur. Quibus rebus ita constitutis, milites, ut credebat, mox in aciem educturus paucis adhortatur, ut patriae memores, cuius iura sanctissima sibi armis tuenda suscepissent, a regibus exteris oppugnata, eam virtutem armati in acie praestarent, cuius praemia amplissima victoribus destinata essent, fama, nomen, gloria, perennis laus; quae expetenda viris strenuis, adhuc in mortali vita spe certa immortalitatis alerent animos. In eorum dextris, multorum populorum et gentium salutem po-

sitam, quae vindicatae a superbo Germanorum imperio, numquam essent suorum liberatorum immemores futurae. Quam impotens eorum dominatio, quam crudelis, quam gravis, et non ferenda Vngaris, eorum parentes expertos, ne eius rei foris essent documenta illustriora quaerenda. Nolle se pluribus cum suis agere, ne eorum gloriam dicendo minueret, id quod accidere necesse esset, si illi magis ducis oratione, quam insita alacritate animis, sua sponte inflammatis studio gloriae, rem in hostem gerere viderentur. Ita confirmatis militum animis, cum et ordines explevisset, variis belli casibus attenuatos, et multa emendasset, quae militum licentia corrupisset, apud pueros reversus contenta atque elata voce ut ab omnibus exaudiri posset: Maecte virtute, inquit, Vngarorum generosa propago, et si ita viget animis, ut eminent oris lineamentis, germana illa patrum virtus, quam gentes nationesque omnes fama efferunt in coelum, edite hoc primum vestri tyrocinii documentum, hoc primum date vestrae indolis et virtutis specimen, ut, ubi concinentibus signis circumsonare aciem clamore militum, fremitu equorum, armorum, tormentorumque strepitu exaudiatis, quae inertibus pavorem, viris fortibus animos augment, et vos clamorem tollatis, indicem certum in hoc vestro aetatis flore vigentis animi, roboris; ut aquilae pulli intenta in solem oculorum acie sui generis faciunt fidem, sic vos fidem vestrae originis facturi intrepide ea exaudiendo spectandoque, quorum nunc spectatores, mox imitatores estis futuri, ut appareat, a parentibus vestris, militaribus hominibus et masculae virtutis, non degeneres vos esse. Discite, quando datur facultas, domestico exemplo, quo nullus acrior stimulus atque aemulatio est, discite, Martis

alumni, aemuli domesticae virtutis, hostem ferire, locum tueri, servare ordines, ut ubi accedat aetas et requirat usus, ante milites, quam obstricti militiae sacramento, bene gerenda re, alios vestrae aetati succrescentes ad aemulandam vestram virtutem et magnitudinem animi per multa fortia facta excitetis. Quibus dictis, qua suspicabatur Batthianum adventare, ita instructa acie, quasi esset ex itinere dimicaturus, suos iter facere, atque arma animosque expedire ad proeliandum iubet. Neque longe ab eo loco progressis, ab exploratoribus, quos dux speculatum praemisera, nunciatur, hostem, cognito regionum consilio, cum suis copiis diffusus, vereretur ne iter acceleranti, invito esset cum expeditis, et longe superioribus pugnandum, subita fuga se proelii discrimini subduxisse. Inde Ormosdum profectum positum castellum in Lucae Zokoli ditione, ponte Dravum copias traduxisse. Qua re Frangipanes audita, exercitu ad Zamlacham adducto, Batthianii oppidum, castra posuit, magna occasione ostentata bene gerendae rei. Non procul inde aberat oppidum Varasdum, valida imprimis munitum arce praeter situs opportunitatem, praesidio non contemnendo imposito, cui Paullus Keczkas praerat, homo industrius, et cum primis Palatino fidus. Ita autem oppidum erat factionibus divisum, ut urbs Ioannis, arx Ferdinandi partium esset. Quae res efficiebat, ut oppidanis praefecti fides, praefecto oppidanorum esset suspecta. Ita simulatque magistratui de Frangipanis adventu nunciatum est, magna oppidanorum voluntate postridie eius diei, quo die Zamlacham venerat, legatos misit, qui, clavibus portarum oblatis, dederent urbem. Quibus, ut par erat, multis verbis colaudatis, paucis adhortatus, ut ad eam fidem, qua in

Ioannem Regem essent, constantiam adderent, atque omnia perfecto bello, sibi de Regis liberalitate, quae eorum requireret virtus, sponderent, eodem die inde motis castris Varasum contendit, magna concepta spe, aut aperta vi, aut obsidione, arce palatini praesidio deiecto, potiturum. Qua de re cum in consilio retulisset, alii arcem circumsedendam, longam, ut credebant, obsidionem non toleraturam; transmittendum Dravum amnem alii censebant, ducem e proximis comitatibus accersentibus nonnullis, qui in Ioannis Regis fide manebant, a Germanis maxime aversis. Addebantur autem preces, ne se studiosos optimi Regis, cuius non afflictam fortunam per suorum defectionem, non fractas et debilitatas vires, non solitudinem et orbitatem, sed causam respicerent, desertos ac destitutos sua spe hostibus praedae relinqueret, quibus ne Turcas quidem immaniores unquam essent Vngari experti. Horum preces cum dignae visae essent, quae minime a duce negligenter, praesentem opem auxiliumque implorantium, una certa obstabat spes, ubi in incepto perstarent, obsidione arce potiundi, quo quidem cum omnium fere sententiae propenderent, medium sequi consilium placuit, ut dux litteras ad eos comitatus daret, quibus, expositis causis, qua re minus iis in praesentia ire subsidio liceret, spem celeris auxilii faceret. Orare, ut aequo animo parvam moram ferrent, quam necessariam efficeret in exiguo temporis momento posita spes bene gerendae rei, ut si eam e manibus effluere paterentur, nequidquam semel oblatam essent quaesituri. Capta arce, id quod brevi futurum speraret, daturum se operam, ut morae pretium sua spe atque expectatione uberius referrent. Perseverantiam modo retinerent in suscepto con-

silio, certa spe freti, optimam caussam tuentibus praesens et propitium numen affuturum; cuius vim nemo diu unquam effugisset, qui, etiamsi secus videretur, non aequè ut in admittendo, sic in perficiendo scelere fuisset felix. Cum hoc responso dimissis legatis, in occultam fati vim fortuna ducem fortissimum impellente, cuncta quae expugnandae arci idonea esse viderentur, cura acerrima comparare instituit, ita belli munera inter suos partitus, ut alios fossas ducere, agere cuniculos, alios in arcem, aggerem alios, et corbes oppletas humo, ad tormentorum munimenta comportare iubet, dispositis militum fortissimis, qui, ne quid inde detrimenti acciperetur, qua opus esset, in suis quisque stationibus vigilias agerent. Quae dum impigre administrantur: semel atque iterum ab iis, qui erant in praesidio, repetitis maiorum tormentorum ictibus, emisso globo e manuario tormento, cuiusmodi milites in proelio utuntur, dux incautus iis vitandis, quae nequidquam declinat humani consilii vis, a superis imminencia, interficitur: cuius rei nuncio praefecti militum accepto, uterque Ioannes, Bamfius, et Thaius ad ducem contendunt, de illius atque omnium salute solliciti. Quem cum insidentem equo offendissent, fronte et vultu extremi discriminis casum dissimulantem, eequid accidisset, quod minus vellent, percunctantur: quibus cum respondisset, non posse triste quidquam accidere viro forti, equo descendit, atque a nemine passus se sublevari, cum certatim sub alis ulnis subiectis, multi, ut euntem deducerent, adniterentur, in tabernaculum ingreditur letali vulnere affectus, hominis constantiam in vitae extremo actu omnibus, qui adstabant, admirantibus. Inde cum medici, curato vulnere, nullam spem salutis superesse affirma-

rent, globo ita inter utrumque femur adacto, ut dilacerata intestina vitae necessarium usum negarent, iussos principes advocari, quorum erant tum multi in castris, viri auctoritatem secuti, ad hunc modum allocutus fertur: Vitae exiguum spatium quod superest, non patitur, viri fortissimi, pluribus vobiscum agere, prudentibus hominibus praesertim, qui ipsi vestra sponte quid facto opus sit, non ignoratis, pro iustissima caussa bellum gerentes. Quod est a me inchoatum opus, vobis relinquo perficiendum. Si proficientibus in obsidione dabitur arce potiri, id quod mihi vestra virtus spondet, tum Dravus vobis continuo transmittendus est, et vestrae cum Vngarorum copiae coniungendae. Id religio, ius, fasque postulat, ut quorum suffragiis Ioannes est Rex creatus; regno pulsus per summam iniuriam, eorum defendatur armis. Equidem minime dubito, quin ubi Rex de vestra in se voluntate certior fiat, etiam si patria extorris paucorum scelere, spem omnem recuperandi regni videatur abiecissee; meliora de suis rebus incipiat sperare. Summam gerendarum rerum uni Thaio permitto, non quin parem in vobis omnibus fidem virtutemque animadvertam hoc honore dignam, sed quod cum plus uno, qui imperet, esse non possit, is videatur idoneus magis ducis muneri administrando, in quo cum virtute et fide sit maior usus belli coniunctus, a primis suis annis in Turcarum finibus proeliando cum his et pugnando omni belli genere versato, ut verisimile sit, crebris accipiendis et inferendis cladibus exercitatum virtutem, plurimum momenti ad rem bene gerendam allaturam. — Cum volentem plura dicere animus liquisset, qui adstabant omnes polliciti, se quae imperasset facturos, discesserunt, ex iis ita multis animo affectis

ut quo fortuna secunda aspiraret, non quo ius et officii religio suaderet, essent consilia conversuri. Ita, ne exspectato quidem illius vitae exitu, omnes qua libuit castris relictis, dilapsi abierunt. Delecti equites ad mille numero, quos dux custodiae caussa apud se habebat, ab ea labe integri in fide manserunt. Ab his cum adhuc viveret, in castellum Martivaniecz deductus, magno omnium moerore decessit, inter alias Ioannis Regis aerumnas gravissimam sua morte importaturus. Inde in curru impositum cadaver milites Kapronczam deducentes, Ferdinandi duces de eius morte nunciis acceptis, facta manu insequuntur, saevituri in mortuum, cuius aspectum viventis non tulissent. In his Ludovicus Pekri, cuius arces atque oppida, plus aequo odio indulgens, everterat, concepto dolore animi ex domesticarum rerum iactura, nullum in saeviendo agnoscente modum, omni conviciorum genere dicit mortuum perstrinxisse. Neque is erat finem facturum, nisi Karlovicius, mortui propinquus, vir magnae auctoritatis, multis verbis suae humanitatis memor castigatum, non iam lingua, sed manu in mortuum grassantem, quod postremae dementiae est, a tanto flagitio deterrisset: simultatibus atque inimicitiiis exercendis esse certos praescriptos fines, ut idem esset odii et iracundiae atque inimici occasus, quicum suscepta vivente essent. Muliebri bellum, vel puerorum ludicrum potius, tamquam cum larvis, cum mortuo luctari. Licuisse quamdiu viveret, si quae controversiae intercederent, eas, ut viros deceret, ferro definire: cum mortuo rixari, quid aliud esse quam cum stultitia coniunctam pravitatem animi ostentare? Ita cadaver prohibente nemine, quo convenerat, deductum. Inde uxore funus prosequente, magnifico apparatu et longa militum pompa Modrusum importatum, atque in

maiorum sepulchro conditum est, viri in omni posterorum memoria admirabilis. Quantus quidem fuerit, quae eius sunt mortem consecuta docuerunt; simulatque enim interfecti fama finitimas provincias pervasit, omnes, quasi signo dato, in Ferdinandi partes concesserunt. Inde a Francisco Batthiano provinciae Bano (hoc nomine praefecti provinciarum appellantur) comitia Crisium Slavis et Croatis indicta; quibus cum de praesentibus rebus ageretur, quae secundae et florentes Ferdinandi, nullae iam Ioannis erant, nemine pro illius caussa adversus praepotentem adversarium hiscere audente, omnes ad Germanos eodem consensu transierunt, uno excepto Ioanne Bamfio, digno homine, cuius memoria, propter insignem fortitudinem atque animi constantiam, aeterna in omni posteritate vigeat. Nullae illum illecebrae, pollicitationes nullae, cum peramplae a Ferdinando Rege ostentarentur, non vastitas atque incendium bonorum, non amicorum, non propinquorum preces, non uxoris lacrymae lectissimae matronae, quominus in incepto persisteret, movere potuerunt. Advoluta ad pedes, per ea quae carissima in vita haberet obsecrando atque obtestando, contra obfirmatum animum, in eam sententiam flectere conabatur, quae salutaris quam speciosa magis, ut honesta etiam haberetur, temporum ratio efficeret. Quibus precibus fatigatus animus cum minime fatisceret, ita respondisse fertur, ut et constantiae suae non oblivisceretur, et humanitatis inprimis rationem haberet. Carissima, inquit uxor, aliorum bonorum iacturam ferre aequo animo possum (fortunae enim sunt verius quam mea), fidei iacturam, quae tota a me est, etiamsi, quae sunt homini in vita postrema, sint subeunda, ferre haud possum; simulatque in homine desidera-



tur fides, quo uno vinculo hominum societas copulatur, non is homo, sed hominis umbra verius, cui desit, quo dignam tam nobili animante vitam traducat, cui frustra natura videatur largita loquendi facultatem, si procul ab hominum coetu in solitudine et desertis locis, belluarum more agat. Quamdiu audivero vivere Ioannem Regem, quaecunque illum contineat mundi pars, quem mea suffragatione creatum, impositum in regia sella sum more patrio veneratus, ei semel obstrictam fidem integram atque illibatam (ruat in me unum incumbens universus terrarum orbis) intrepidus servabo, ut si amissis patriis fortunis per adeo honestam caussam, sit victus diurno opere quaerendus, dei immortalis beneficio in satis luculenta re olim posito, Ioannis Regis equum curare non sim recusaturus. Neque ille vero minore constantiae laude id praestitit, quam subnixus recti animi conscientia sibi suscepit praestandum. In arce Veroche totum illud tempus, quod inter pulsum Regem, et restitutum regno intercessit, cum suis mansit, nullo unquam dato signo immutatae voluntatis, vir rari exempli, atque inter illustria fidei documenta memorabilis.

Quae dum in remotiore parte regni geruntur, Ioannes, ut diximus, Buda profectus, cum nihil sibi reliqui ad summam celeritatem fecisset, Danubium traductis quas secum adduxerat copiis, ad Tokaium consedit, quod oppidum inprimis loci natura munitum ad ulteriorem Tibisci ripam est situm. Neque interea desistebat suos hortari, ut quam alacritatem animi se rege creando praestitissent, eandem tuendo suo beneficio adversus inanes Germanorum minas et terrores, quae eorum essent tela atque arma, praestarent. Pertinere vero ad eorum constantiam inprimis, quod iudi-

cium de sua fide et virtute fecissent, videri non tempori, non gratiae, sed poscenti patriae dedisse, cui moderandae eum praeesse voluissent, quem parem tuendo regio muneri arbitrati essent. Neque vero solum se de retinendo regno suo, sed de asserendo etiam eorum iure agere, quorum id ipsum regnum, quibus visum esset delatum, beneficium esset, ut si eum desererent, quem ultro sibi regem ascivissent, non praemiorum ulla spe, non largitionibus, non aliis malis artibus labefactata fide, non possent recusare, quin levitatis atque inconstantiae gravem notam subirent: nihil enim accidisse, quare per subitam mutationem consilii, nullam mutationem rerum, quae a recta officii ratione maneret, se praeclari incepti poenitere ostenderent; perfidiae quidem et proditionis apud posteros rei, ubi viderentur Ioannem Regem ob eam causam excelso loco collocasse, ut inde graviore casu, suis aequae atque exteris futurum ludibrio, praecipitem deturbarent. Militem, tormenta, arma, ac belli omnem apparatus, adhuc penes eos esse, quorum ius deferendi sibi regni insignia fuisset; animum, quem totum ipse a se haberet, daturum operam, ne quando a se in tuendo suorum beneficio, quorum in se divinum meritum esset, desiderarent. Quod felix faustumque esset tum sibi Regi, tum patriae inprimis omnium parenti, irent felicibus auspiciis, et delectum in oppidis, in agris haberent, nemini parcentes, qui modo per aetatem pares ad arma ferenda haberentur; tum caetera, quae bello gerendo necessaria essent, pari vigilantia atque industria compararent, patriae iura, regii nominis maiestatem, nobilissimae gentis decus, cui exteri reges per longum annorum spatium,

aeternam maculam imposuissent, sinistris reipublicae auspiciis inito regno, vindicaturi.

Interea Ferdinandus Buda potitus, nullo a Ioanne Rege praesidio firmata, palatinum cum universis copiis persequi, nullo relicto ad respirandum spacio, cedentem iubet, dum inferior viribus spem faceret opprimi posse, territo insistendum in vestigiis, et nihil de celeritate remittendum arbitratus. Ita palatinus, atque alii Ferdinandi duces adhibita celeritate, quantum expediti milites assequi equitatum maxime incitato gradu possent, quorum eximio studio utebantur, dies noctesque continuato itinere, ad Tibiscum perveniunt ita instructis copiis, ut si qua opportunitas gerendae rei ostentaretur, configere non dubitarent. Inde tumultuario opere ponte perfecto, cum linitibus iunctis, atque ad utramque ripam catenis revinctis, crates, insuper aggesta humo texissent, traiectum militem Tokaium, quo se Ioannes cum iis quas habebat copiis receperat, duxerunt, atque contra eum posuerunt castra, cum imparato a rebus omnibus, id quod plane sibi persuaserant, congressuri. Id autem si accideret, non desperabant, se unico defunctos proelio debellaturos. Interea sollicitum Ioannem de sua simul et de suorum salute, duces adeunt, atque ut bono sit animo, neu de sua et de suorum virtute desperet subita oppressus belli procella hortantur, quem optima caussa gentium ius deus immortalis iustis suorum votis et studiis favens, idem iniustae dominationis vindex ultorque acerrimus tueretur; cur vero, etiamsi esset de summa rerum proelio decertandum, dubitari de eventu debere? Numero quidem se esse inferiores; virtute militum, caussa, numinis praesentia, quo propitio essent adversus foederis et iuris gentium violatores

pugnaturi, superiores esse. Vnum modo orare, ut, cuius consilii auctor ipse Ludovico Regi fuisset, cum adversus hostem potentissimum esset copias perexiguas ducturus, de medio ipse recederet, humanorum casuum memor, et sese reciperet in tuta loca, si quid durius accideret, extempore consilium quod esset tutissimum capturus. „Ferocioribus consiliis et audacibus inceptis, etiamsi in speciem honestis et fortitudinis laudem prae se ferentibus, tutiora praeferri, et fortunae urgentis impetum declinatione potius, quam temerario occurso vitari oportere, peritos rerum humanarum homines docere.“ Nolle se iis male ominari, quorum iusta arma adversus vim atque iniuriam pro Rege innocentissimo gererentur; sed si secus tamen staret deus, cuius aeterna providentia moderaretur hominum consilia, et malae caussae ius succumberet, aequitas, fas cederet armis, subtrahendam hanc voluptatem impotenti victori, ut uno proelio Germanus se crederet defunctum bello, cuius finem, vivente Ioanne Rege, ac dei immortalis numine regente terras, nullum speraret. Hoc deum immortalem permittere, cuius arcana consilia, humana mens non assequeretur, ut ad tempus impii secundis rebus fruerentur, quo acerbior luctus ex fortunae commutatione et scelerum conscientia exederet animos.

His Ioannes Rex motus, cum ducibus pro eorum in se fide collaudatis, se in eorum potestate futurum respondisset, de omnium sententia summam gerendae rei Francisco Bodoni permisit, rei militaris perito homini, et per omnes militiae gradus, magna cum fortitudinis laude, ad ducis munus provecto. Magnitudine quidem animi in eo fidem aequasse, pugnae eventus comprobavit, et quae sunt mox pugnam consecuta,

quibus victus proelii fortuna invictum fortitudinis laude se ipse vincendo ostendit. Ergo brevi oratione confirmatis militum animis, copias instruxit, cum pugnae laetum eventum ominaretur, pugnaturis pro patriae libertate, cui ad exitium Germanus hostis infestus immineret, pro coniugibus et liberis, pro dei immortalis sanctissimis delubris, in quibus castis precibus, proiectae ad aras piaae matronae, virgines filiae, innocentes pueri praesentia propitiaque Vngaris numina fatigarent. Inde cum exiguae copiae essent, et ex novis delectibus coactae, quidquid ierat roboris, quod totum fere Vngarorum veteranis constabat, in media acie, quam ipse obtinebat, in utroque cornu Transilvanos constituit, ita animo paratus, ut proelio ipse prior hostem non lacesseret; cum lacessente, quamquam multo viribus inferior, conserere manum haud dubitaret. Qua re cognita, Ferdinandi duces et ipsi ita copias instruunt, ut aciem mediam cum praevalida Vngarorum militum manu, qui fere omnes veterani erant, Valentino Terekio permetterent, et quidem, ut dux duci, et militi miles tum virium firmitate, tum pugnandi usu, inprimis animorum ferocia pares vires afferret, qua, ut exterarum nullae aliae gentes magis excellent. Levis, ac gravis armaturae equites, quos partim e Stiria, partim ex Noricis Ferdinandus accerserat, ad utrumque cornu constitui placuit, eo consilio, ut, porrectis utrimque alis, id quod propter exiguas adversariorum copias, haud difficile factu censebat, ab utroque latere circumvenirent; simul Paulo Bakiithio negotium datum, magni animi hominĩ, ut cum delectorum equitum manu, quos Vngari Vsarones vocant, subsisteret adversus sinistrum cornu in insidiis, ut simulatque pugnae datum signum esset, ex insidiis coorti, in nihil minus exspectantes impetu facto, perterritos

dissipatosque in fugam conicerent, magnum certe operae pretium facturi, quocumque victi fugam intenderent, quod virtute et numero confisi omnino sibi futurum spondebant. Cum duces suos paucis cohortati, signum pugnae dedissent, minoribus tormentis, quae carris in castra advexerant, ferrei globi ad sesqui pondo utrimque emittuntur, ut magno eorum terrore, qui parum militiae assuevissent, quorum ingens numerus in utraque acie erat, ita nullo fere insigni detrimento, in quos emittebantur, ut in tempore facile declinari posset, ante ictum, flammae vi erumpente, et horribili tonitru feriente aures, quod quidem raro patitur incautum falli. Hinc magno ardore animorum utrimque procursum, atque aliquamdiu ancipiti proelio pugnatum est, cum regii duces, ingens victoriae praemium in medio positum, uni, cuius causa pugnarent, regnum maximum atque opulentissimum, militibus nomen, gloriam, famam, lautam et peropulentam praedam, atque uberius stipendium in minime dubiam spem ostentarent. Ioannis equites a dextro cornu in alam equitum levis armaturae invecti, qui erant in laevo Ferdinandi, magnam ediderant stragem, collecticio milite et ex subito delectu temere conscripto, Transilvani equitis robur haud facile ferente; et a Ferdinandi ducibus immissa gravis armatura, quae tota equitatu Norico constabat, in sinistrum regionum cornu, cum aegre invehentium se impetum Scepusiani terri, ac perturbati sustinerent, primum sensim referre pedem, mox, pertinacia victa terga vertere, ingenti eorum edita caede, coegerunt. Cum ita in cornibus equestri proelio pugnatum esset, qui erant in media acie Vngari conseruerant manum, adeo incensis ad vincendum animis, ut vere appareret, aliis eos quae-

rere, pro quorum victoria dimicarent, sibi gloriam regno potio-rem, atque immortalitatem parare. Alebat hinc odium vires, hinc studium laudis, ut genere armorum, rei militaris usu, animorum ferocia pares, mori in vestigio, quam loco cedere, et vertere terga mallent. Sed regionum pertinaciam, opportune equestri proelio, gravis armaturae equitatus perfunctus, fregit, qui levo cornu pulso, atque extra aciem acto infestus in latus pugnantium incurrit, adeo acri impetu, ut pugnandi ac loco consistendi victis nulla facultas, perexigua capessentibus fugam relinqueretur. Ita caesi multi, vivi alii capti, in his Bodo dux, cum inter confertos impigre pugnans, frustra proelium restituere conatus esset. Inde direptis castris, et tormentis abductis, militaria signa cum regio vexillo victores ad Ferdinandum retulerunt. Alii ita rem gestam adversus Ioannem Regem prodiderunt, quemadmodum a nobis commemoratum est: a quibus dissentientes Vngari diversa tradunt, qui exactae iam aetatis homines adhuc civilium bellorum cladibus superstites, eorum meminisse potuerunt. Commissum primo equestre proelium, paribus fere utrimque viribus, disparibus animis, cum dux Bodo, quingentos vix secum milites de improvise oppressus regio equitatu in pugnam adduxisset. Aliquamdiu tamen Ioannis equites, satis impigre, ut in subita re, inter se corhortatos, acrius Germanorum signa inferentium impetum represisse; mox cum de pugnae ardore remittentes, urgente fessos vehementius Ferdinandi equitatu, dux nequidquam percussos instare, atque ultro inferre gradum iuberet, non oratione solum sed exemplo eos adhortando; haud dubie iam hostes victores, fiducia e regionum trepidatione sumpta, ducibus clamantibus, ubi ur-

gerent iam victos, et adessent animis, victoriam in manibus esse; concitatis equis in cedentes iam, et loco pulsos, terga vertere coegisse. Multis ex his interfectis, plures vivos in potestatem redactos, in quorum numero Bodonem fuisse, omnium consensu, eo die et militis fortissimi, et ducis optimi laudem promeritum. Rei ad hunc modum gestae Bodonis praeclarum facinus adiiciunt, quod cum fidei et constantiae insigne habeat documentum cum fortitudinis laude coniunctum, haud videtur silentio praetereundum. Cum ab hostibus captus liberali custodia asservaretur, usque adeo, ut praeter abeundi facultatem nihil illi ex pristina victus consuetudine deesset, aliquando in comissione, cum alios, qui se largius invitassent, vino incallescentes, aut plane ebrios, aut alto obrutos somno animadverteret, ne eum ipsum quidem satis sui competentem, cum plus aequo, ut fit, vino indulsisset, datae fidei ducibus, et sui immemorem, per occasionem aliud agendi, equo conscenso, qui primus occurrit, captata fugae facultate, abiisse. Ita vero tum Vngari bellum gerebant, ut ultra aciem, odia non erumperent, ita inter se certantes omnibus humanitatis officiis, ut non maiori sibi laudi ducerent ferro in acie vincere, quam elatos ferocia animos, post restinctum pugnae ardorem, moderatione atque aequitate moderari. Inde Bodonem, cum nox adiuuaret consilium, ad fugam tegendam opportuna, unum aut alterum milliare, per ignotos et devios calles, ut sequentes se falleret, consulto iter faciendo, errabundum, ac somni et vini plenum, ad rusticum quendam divertisse. Illic per noctis quietem discussa ebrietate, cum experrectus, et sibi plane redditus, ab errore mentem collegisset: animo facinus exsecratum, cum, adversus datam fidem, falsis custo-



dibus, sibi turpem fugam in omni vita futuram conscisset, rustico apud quem diverterat duce, viae praeire iusso, militibus, quos experrectos sectari fugientem se, comperta fuga, minime dubitaret, citato equo ire obviam perrexisset. In eos cum incidisset: multis precibus fugae infamiam deprecatum, cuius rei culpam in temulentiam reiecerat, nihil dixisse sibi antiquius fuisse, quam ut iis redditus, quorum, iure belli, factum mancipium, per capitis deminutionem esset, suam fidem liberaret, quam pati a se desiderari, et vita frui minime posset. Ita reductum in castra, magna parta constantiae laude, cum omnia passus esset, quae ultima libero homini habentur, in fide mansisse, futurum insigni exemplo, neque libertatem, neque alia si quae sunt modo in hominum vita magis libertate expetenda, existimationis iactura redimenda esse. Subit hoc loco animum non sine ingenti admiratione (saepius, quam vellem hoc mihi usurpandum est) scriptorum nostri temporis, sive lubrica fides, sive, quod quis magis verisimile existimet, parum accurata ratio suae fidei hominibus probandae; cum praesertim nullam sperent ingenii laudem, quam non habeant cum fidei et religionis laude coniunctam. Neque vero ego solum in gravioribus rebus, in quibus permagni interest hominum non falli, sed in levioribus etiam exactam scriptoris fidem requiro; ita enim est futurum, ut credam, eum suscepto muneri satisfecisse, si in minimis gravitatis suae non oblitus, perficit industria et sedulitate, ut de maximis haud sit mihi dubitandum. Ac varias quidem veritas facies induit, sive illam studium, sive odium, sive gratia, mali metus, spes praemii, quasi fuco oblitam fingit, sed, ut numquam diu suam speciem decusque occultet; ubi cetera absint,

acerrima ipsa semper sui vindex. Ita vero uni inservire consilium est, ut non insectandi studio, a quo animi morbo longe absum, sed veritatis vindicandae, ubi illam infuscatam scriptorum mendacis deprehendam, ultro partes mihi censoris et vindicis sumam. Vt vero alios omittam, maxime video Iovium, cum in aliis multis, tum in hoc ipso bello describendo, quod Ferdinandus Rex cum Ioanne gessit, foede labi. Quae caussa scribenti fuerit, minus fidei suae et religioni consulendi, alii viderint: quod ipse pertinere ad receptum a me munus existimavi, facile passus mihi persuaderi multa imprudenti excidisse, quae temere credita, temere credenda aliis prodiderit, res persequi pergam, quas ipsas ut pervestiganti inquirentique summo studio a peritis licuit gestas cognoscere, ita tradam, ut nusquam volens aut prudens videar a veritatis studio, et scribendi religione aberrasse. Nam Iovius quidem de iis, qui ad Ferdinandum transierunt, ea scripta reliquit, quae mirum sit pro veris tradidisse, cum falsa esse multi nostra aetate, eorum temporum aequales affirmare queant, et affirmant adeo: sed cum hoc mirum, tum multo illud maiore admiratione dignum, cum iisdem temporibus vixerit, quibus ea gererentur, et quidem Romae vixerit, ubi a regum legatis, et pontificis oratoribus, doceri de iis poterat, de quibus illi erat scribendum, e vano hausta, ne dicam conficta ad gratiam, litteris mandasse. Mitto quam inclementer appellet viros fortissimos, et natos ex amplissimis familiis, quod est vitium in rerum scriptore gravissimum, a quo testis religiosi partes, non accusatoris requiruntur. Inter ceteros, qui a principio defecerunt, Valentinum Terekium nominat, quem supra ducimus, servili tumultu rem egregie pro Ioanne Rege adversus Iovanzarium ges-

sisse: cui si viventi esset caussa pro se dicenda, multa afferret in medium, quibus probaret tam gravi contumeliae nota minime se dignum fuisse. Non enim ille odio Ioannis Regis ad Ferdinandum defecit, id quod agi ab eo prius non potuit, quam suo se ipse gladio iugularet, sed temporum rationem secutus; quorum nisi haberet rationem, erat futurum, ut liberos relinqueret in egestate: quam caussam, perpauca exceptis, video aliis fuisse, ut transitionis consilium sibi necessarium putarent. Ferdinandi vires, Austriae familiae maiestas, Caroli V. Caesaris nomen, fama, cum multis victoriis et triumphis clari, tum multorum regnorum potentis, exterorum regum et populorum studia eo fovendo, qui validioribus viribus adversus Vngarorum consensum inniteretur, ab illius rationibus dissentientium, ut Ioannes a suis destitueretur, perfecerunt; dignus cuius fortunam omnes miserarentur, paullo ante maximi Regis, mox per insignem fortunae iniuriam redacti ad egestatem. Sed multo ille magis accessione iniuriae infelix, obiectus inimicorum calumniis, ita se gratificari Ferdinando Regi existimantium, cui plane erat persuasum, multis nominibus sibi debitum regnum repetere armis; certe nemo est familiae Austriae adeo parum aequus, cuius non sit hoc de Ferdinando iudicium, numquam illum adversus Scepusium fuisse arma sumpturum, nisi illi fixum animo esset, pro optima caussa adversus iniuriam gerere bellum. Nam et Bakithium Iovius tradit in eo proelio, quo Bodo victus captusque est, pugnasse pro Ferdinando; qui Ioannis fugae comes, cui egregiam operam pugnando navarat, desperato ad Tibiscum transitu, quem prior ille, non sine salutis discrimine, ponte transierat, Zegedinum perfugerat; unde Ferdinandi et

Palatini literis nunciisque sollicitatus, iisdem caussis, quas supra commemoravimus, in Ferdinandi partes transiit.

Interea Ioannes re male ad Tokaium gesta, cum militibus, quos hostium armis praeceps fuga fecerat reliquos, cum cura collectis, atque amicorum coactis auxiliis, ad Zina consedit. Quo quidem missus a Ferdinando Caciaerus dux cum parte copiarum, qui fugientem persequeretur, commisso proelio, fustum et profligatum in fugam vertit, e regniis, nonnullis spe praemiorum delinitis, ut ad Ferdinandum transirent, id quod facile factu erat iam accisis et prope deploratis Ioannis rebus.

Quae dum in Vngaria ad hunc modum geruntur, missus a Ferdinando Rege internuncius ad Solimanum cum literis deprehensus Ioanni traditur, quas quidem literas Tridentinus Cardinalis, praecipuae apud Ferdinandum auctoritatis, signo manumque sua ob-signaverat. Summa litterarum quae temporis magis quam maiestatis tanti regis viderentur, verentis ne adepto regnum parum esset diuturnum Solimano invito futurum: Ut, accepta annui tributi nomine ingenti pecuniae vi pateretur se legitimum regem ab Vngaris creatum, amico illo et foederato Rege, rebus suis favente, in Vngaria regnare: non enim sibi persuaderi posse, imperatorem iustissimum desperati hominis caussam, et qui malis artibus regnum invasisset, heredi legitimo praereceptum adversus naturae et gentium ius suscepturum. Quibus lectis literis Ioannes, qui, quamquam regno pulsus, proditusque a suis, unum sibi relictum perfugium ad Solimanum intelligebat, ad eum diem neminem miserat; de suorum consilio Transilvanum palatinum prudentem hominem, et magni

usus, ad illum legavit, qui simul et de suo et de Ferdinandi iure illum doceret, multis de caussis, ut credebatur, sibi quam adversario aequiorem; inprimis iussum afflictæ patriæ pacem precari, iis conditionibus, quæ Vngaris quam æquissimæ et quam honestissimæ viderentur. Quod quidem ille ita assecutus est, ut nullo cum regni incommodo, magna sua cum laude, iam Solimano agitanti animo Vngaricum bellum, creditus sit e manibus arma extorsisse. Cuius quidem suæ in patriam pietatis, et universam Christianam rempublicam adeo, eam sibi gratiam relatam ait, ut, quod adversario agere, et regii nominis, et suorum immemori, quos turpi foedere illigatos Turcæ vectigales addiceret, Clemens VII. diris se devovere veritus non esset, optime de patria meritum, ne leviter quidem adversario appellato, quem idem sciret a Turca summis precibus contendisse: cuius rei causa tamen minime esset obscura, ne Carolum Caesarem a suis rationibus alienaret, quicum foedus atque amicitiam iniisset, cum, inconsulto Francisco Rege, et aliis foederatis, ei discedere a superioris foederis conditionibus non licuisset. Nihil quidem certius erat, quam Solimanum, post acceptos nuncios de occupata Buda a Ferdinando Rege, iustis comparatis copiis, Ferdinando bellum illaturum; quam urbem armis captam suæ ditionis atque imperii fecisset, haud impune retineri ab externo rege, et maximis copiis septo minime passurum. A qua sententia exitiosa futura Vngaris Solimanum revocatum Ioannis Regis precibus, et alii multi, et palatinus Transilvanus, Ioannis legatus affirmabat, qui ea de re apud Solimanum egerat. Nam, ne quis existimaret ab inimico rege excogitatam, interceptas Ferdinandi ad Solimanum literas multi

postea legerunt, id Ioanne procurante, cuius permagni intererat, cum alios, tum reges exteros de Ferdinandi interioribus consiliis non falli, quorum aures perpetuis inimicorum criminationibus fatigabantur, uni, cuius potentia et nominis maiestas late patebat, quo nihil in humanis ingeniis proclivius est, assentantium. Frustra ille vero gentium ius, et instituta patriae iactabat; iam apud multos corroborata fama, quam verisimilem praesens Ioannis fortuna efficiebat, impetratae ab Turca opis, quod innitenti optima caussa erat maxime invidiosum. Ita vero eum accusatores multi infestis animis oppugnabant, ut ne studiosissimi quidem illius homines defendere magnis adversarii opibus deterriti auderent. Ergo Ioannes, deploratis in praesentia rebus, cedere regno simul et patria constituit, apud affinem Regem, cuius habebat in se exploratum animum, tutum ut sperabat receptum quaesiturus. Prima illi statio ingresso in Poloniae fines apud Ioannem Tarnovium, virum ut dignitate principem, et maiorum nobilitate, ita omni genere magnificentiae Rege exule excipiendo, cuius nomen posteritati summa cum laude prodatur. Non adversarii potentiam veritus, non eieci fortunam aspernatus, ita advenientem honorifice accepit, ut florentibus illius rebus, et cum patriis fortunis potientem incolumi regno, habere honorificentius haud potuerit. Consolatus multis verbis venerabundus, cum de suis rebus in posterum meliora sperare iussisset, arcem illi, quam ipse incolebat, suis excedere iussis, atque oppidum simul tradidit, cum alia suppellectili, tum argento ad domesticum usum, et cetero regio apparatu misso. Haec per totum illud tempus, quo regno exsulavit, Ioanni regia fuit, et quidem, ut in hunc diem usque Ioannis Regis domus

vocetur, insigne Tarnoviae domus in omni posteritate hospitalitatis et magnificentiae monumentum. Fertur Sigismundus affinem Regem complexus, ex altissimo fortunae gradu deiectum, nullo omisso humanitatis officio, quod summi amoris significationem haberet, accepisse, cum sua sponte mitissimi homo ingenii, tum in unius calamitate regum communem sortem miseratus, tetram atque horribilem scenam humanarum rerum ostentantis, per insigne fortunae ludibrium extremis vitae subsidiis destituti. Vnum modo Sigismundum movebat, quominus, ut vellet, praesenti auxilio adesset, Ferdinandi minime dubia offensio, ubi palam eum sibi fovendum, armis auxiliisque iuvandum suscepisset. Quae cura cum imprimis anxium Sigismundi animum haberet, unus e principibus Polonis Hieronymus Laskius palatinus Siradiensis, callidus vir et spectatae prudentiae atque usus, haerentem nutantemque expedit: Eius enim opera Sigismundus, cum aliis rebus administrandis usus erat, tum feriendo cum Turca foedere, quod in centum annos inierat, maxime salutari reipublicae consilio, ut postea eventus docuit. Hic sive sua sponte Sigismundo connivente, sive clam summissus Ioannem hortatur, ut quando ad recuperandum regnum prodito a suis cetera deessent, eo perfugeret, quo ius fasque suaderet, et ab eo opem imploraret, quo vindice deus immortalis non semel usus est poenis a sceleratis expetendis, et aliorum, et maxime regum ultor, qui potestate imperii ad perdendum evertendumque Christianum orbem abuterentur. Eum qui supplex opem posceret perditis suis rebus, ab eo qui susciperet sibi iustitiae defendendae partes, tuendi ius adversus iniuriam, erigendi oppressos, afflictos sublevandi, nihil videri agere indignum Chri-

stiano homine; quem quidem deceret, ubi deus vires et animum esse voluisset, illic credere divinam vim inesse scelerum ultricem ad hominum malefacta vindicanda. Si quid spei superesset aliquando, quae amisisset recuperandi, salutem, regnum, nomen, domesticas fortunas, id totum positum in Solimano esse, rege illo quidem potentissimo, et maximo omnium, qui tum regia insignia in terris gererent, sed multo maiorem quam fortunam gerentem animum. Caussam totam suam se auctore illi permetteret, precarium ab eo accepturus regnum, cuius ope esset recuperaturus. Vbi quid iuris in Vngarorum regno haberet, quanta suorum, quanta cum exterorum iniuria esset pulsus ostendisset, ne moram quidem exiguam intercedere passurum, quin acceptum in fidem adversus vim atque iniuriam vindicatum armis reponeret in regia sella. His a Laskio dictis, cum pro eo, atque aequum erat, illi Rex ingentes gratias egisset, sumpturum se ad deliberandum spatium respondit, ut postea creditum est, Sigismundum consulendi gratia, a cuius consilio discedere videri volebat. Id ita, an secus acciderit, incertum; multi id quod verisimile videbatur, pro vero sumptum affirmant, eius consilii auctorem Ioanni Regi Laskium quidem, sed, consulto prius Rege fuisse; quem multis de caussis minime passurum apparebat, ubi utrum vellet liceret, amicitia secum et affinitate coniunctum Regem desertum ac proditum iri: praesertim cum non esset dubitandum, quin Ferdinandi vires magni regni accessione auctae, essent formidolosae vicinis regibus futurae, id quod minime conducere Polonis credebatur, quibus iam inde a primo Iagellonum Rege Ladislao graves simultates atque aeterna odia cum gente Austria intercedebant. Ergo Ioannes Rex



accersito ad se Laskio, Quandoquidem, inquit, eo res nostrae reciderunt, ut quem decebat Vngaros externa vi oppressum sublevare, eum eversum et proditum velint, non fidei, non religionis suae, non cognationis, eiusdem gentis et patriae homines, non amicitiae memores: enimvero, inquit, eo perfugiam, unde certa peptis atque exitium sceleratis imminet, iura patriae, sacras aedes, coniuges, liberos externis armis defensusus. Vbi ius colitur, in ultima etiam barbaria et remotissimis gentibus petendum, cum nihil certius homini sit, quam deum immortalem, ubi divina atque humana iura colant, iustitiae praesidem, et rerum omnium moderatorem coli. Non genus, non natio, non mites, non inculti et barbari mores, sed caussa efficit, ut iusta bella, iusta arma conseantur, quibus nunquam non favet praesens deus, expetiturus ab iis poenas, qui, ut necessaria arma habeantur, patriis legibus atque institutis, quibus stant legitima imperia, vim inferendo perficiunt. Placet sequi consilium, quod fides par(iter) et prudentia tutum, imprimis nostrorum temporum ratione necessarium reddit (hic illud Virgilianum usurpasse aiunt: „Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo“) magna spe freto, deum immortalem inimicos suos, qui iidem sunt hostes bonorum omnium, id quod in sacris literis spondet, suorum inimicorum armis, insigni documento divinae animadversionis in improbos et sceleratos homines, adversariõrum iniurias ulturum. Diu te, Laski, versatum in Solimani regia, nulla earum artium fugit, quibus te oporteat uti ad emolliendum barbari regis animum, et in nostram caussam flectendum. Est in te fides, egregia voluntas, acre ingenium, eloquentiae vis, prudentia summa, ut tibi minime praescribendum sit, quibus rationibus sit

tibi mea caussa agenda. „Nullus est aspectus rerum, quantumvis miserabilis atque acerbus, qui maiorem vim excelsis animis inferat, quam deturbati e summo rerum fastigio ad infimum gradum, nihil lugubre, nihil triste, nihil indignum in terris magis, quam vi oppressa innocentia; scelus, improbitas, fraus eo elata, unde est innocentia deiecta.“ Illud quidem fere accidere quotidie videmus, uti insignis virtus euecta supra humanae felicitatis modum, cum humana alia omnia contemnat, tum superba hominum ingenia inprimis oderit, quos fortunae temeritas, nulla ars digna summo in terris honore excelso loco inter homines collocavit; contra eandem videmus supplicibus ex alto loco dextram porrigere, et quos subitus fortunae impetus ad terram stravit, quibus sublevandis certa spes gloriae ostenditur, cuius nemo umquam, cuius sit paullo elatior animus, etiamsi summum sit in terris imperium adeptus, sibi visus est habere satis. Solimano quod satis est, aperienda tristis atque obscura nostrarum rerum facies; ut inducat animum oppressum recipere in fidem, erigere iacentem, erectum tueri, quod sibi gloriosum futurum ad hominum commendationem putat; hoc inquam est futurum satis. Praemia nulla habent potiora magni viri, quam quae a conscientia recte factorum manant; sed si numquam accidit, ut eorum praemiorum virtus sit expers, quae potest humanarum rerum ratio spondere, id de me velim, Laski, tibi pollicearis, quod a gratissimo animo, et suae constantiae, alienae virtutis memore sunt expectanda, patriae meisque tua virtute restituto. Summa haec mandatorum, ut qui nobis auctor fuisti eius ineundi consilii, quod maxime conducere nostris rationibus existimasti, idem explicandi esse pergas, quod ipsum quidem nostra spe atque ex-

spectatione prolixius te praestaturum ne dubitemus, tua fides, ex sapientia aequae tuis atque exteris testata facit.

His auditis Laskius, cum illum bene de suis rebus sperare iussisset, ac votis parem eventum expectare, non verbis se, sed officio, studio, sedulitate enixurum respondit, ut sui nominis et dignitatis perstudioso homini res suas intelligeret se permisisse. Ita nihil cunctatus, cum in eo positam spem bene gerendae rei existimaret, ubi prius rem ageret, quam potuisse agi crederetur, neu prior Ferdinandus Solimani animum legatis praemissis occuparet, mutatis ad celeritatem equis Constantinopolim contendit. Erant tum duo inter eos, de quorum consilio imperium Solimanus administrabat, auctoritate maxime et gratia florentes, Aloisius Grittius, et Ebraimus, e Visiriis quos appellant unus, qui honos secundum imperatoris maiestatem habetur summus. E quibus uti priorem Gritium adiret, religio movit, quam quidem illi per Solimani indulgentiam palam semper licuit profiteri, Christianis sacris initiato. Susceperat illum e Turca matre olim Andreas Grittius, vir magni animi, et suis aequae atque exteris spectatae virtutis et sapientiae, quique quo tempore a Ioanne Rege Laskius est Constantinopolim missus, Venetae reipublicae dux magna cum laude principatum administrabat. Is a primis annis mercaturae deditus, cum industriae fructus uberrimos retulisset (neque vero Venetis apud suos, quod mercaturam exercent, quidquam de nobilitate decedit), per omnes honorum gradus, qui extero homini haberi possent, inter paucos summum gratiae locum apud Solimanum obtinebat. Quibus artibus se insinuare, eo aditum molienti licuerit, neque facile est ab aliis omis-

sum commemorare, neque si liceret, ipse velim: nihil enim mihi certius, quam nullis artibus, quae sint viro principe dignae (unam rem militarem intelligo), patere cuiquam apud tantam barbariem gratiae locum.

Ergo Gritto Laskius, cuius rei causa Constantinopolim venisset, exponit. Ioannem Scepusium, ab Vngaris, post caesum Ludovicum, legitimo gentis more habitis comitiis, principum suffragatione, consentientibus populorum studiis, creatum regem, a Ferdinando Boemorum Rege armis regno pulsum. Qui quidem, desperatis suis atque exterorum regum auxiliis, quos a se adversarii gratia et potentia alienarit, ad Solimanum confugere sit ausus, neque hoc tamen sine certo dei immortalis consilio, ut crederet, quem unum regum regem in summo imperii vertice positum constituisset, ut esset, a quo supplices reges opem in suis rebus afflictis implorarent. In ea urbe habere Solimanum imperii sedem, cuius qui fundamenta iecissent, vatum responsa retulissent, proprium eorum munus fore, penes quos fasces eius imperii essent, „Parcere subiectis, et debellare superbos.“ In Ioanne Rege eiecto, afflictae fortunae, et cum eo ipso violatae fidei, religionis, officii, in Ferdinando superbi animi, et ius fasque omne contemnentis exstare documentum, ut quo deceret propendere summi imperatoris animum, obscurum esse haud posset. Non esse opus disertio homine, qui supplicis causam ageret; rem per se ipsam loqui, quiritare, dei immortalis, hominum fidem implorare advolutum Regem ad pedes, quod in hominum vita miserrimum et calamitosissimum spectaculum esset, nisi advolutus ad pedes Solimani iaceret, qui supplici spem salutis et vitae faceret, a quo uno vitae et salutis beneficium agnoscere summis regibus hone-

stissimum esset. Eiecto nihil reliqui e regno peropulento inimici iniuriam fecisse, unum, quo non pervenissent fortunae tela, animum suae fidei et constantiae obsidem, tum, quod secum esset ad funus usque elaturus, legitimum ius Vngarici regni Solimano offerre, eo loco apud illum contentum futurum, quo tam prolixus animus et benevolus videretur esse promeritus.

His a Laskio dictis, plura Grittius persequi laud passus, secum ad Ebraimum adduxit, atque ordine quae de Ioannis Regis calamitate audierat, recenset, cum quidem illud addidisset, ad ceteras causas, quae movere imperatorem deberent, pertinere plurimum ad Ottomanici imperii securitatem, summo beneficio imperatori devinctum Regem, rerum in Vngaria potiri; cuius vires, ubi minus gratum animum in bene de se meritum ostenderet, quod tamen non esset credendum, non haberentur idoneae ad Thracii belli molem sustinendam, quod vix magnus consensus totius Christiani orbis esset propulsaturus. Accedere clementiae et magni animi commendationem, maxime aptam rem ad populorum studia comparanda, cum quidem pererebresceret iniuste oppressis regibus apud elementissimum imperatorem certum perfugium patere; regnum et principatum satietatem saepe in magnis animis, verae et solidae gloriae nullam inveniri; ut dare quam accipere regna gloriosius crederetur,posito praesertim in maximorum regnorum possessione, et regum regi. Nam etiam si felicitas esset censenda, multa regna parta habere; eam intra certos homini praescriptos fines contineri, et cum homine mortali, si id fieri posset, mortalem interire; laudem et gloriam aeternam atque immortalem, vita functos viros fortes

comitari. Aequissimas esse condiciones quas ferret: paratum tributi nomine ultori ac vindici sui iuris, salutis, dignitatis, regni restitutori, quantum visum esset quotannis pendere; ut fides exstaret, agnoscere se summum apud Solimanum regni ius, atque eosdem hostes, eosdem amicos habere.

Cum his dictis aliisque multis, quae Regis miserabilis ac tristis fortuna postulabat, Grittius perorasset; subsecutus illius orationem Laskius in eandem sententiam multa addit, eo efficaciore Grittii oratione ad commovendum barbari animum, quo minus acrisensu alter auditam modo, visam alter supplicis Regis personam repraesentabat. Cetera quae ad eum diem Solimanus gessisset, summi omnium regis, imperatoris fortissimi, maximi, felicissimi fuisse; vincere enim potentissimos hostes armis, populis multis, gentibusque imperare, ad remotissimas mundi oras proferre fines imperii, non posse nisi qui virtute et robore animi, ut magnitudine imperii inter homines excelleret; sed ut idem non posset recusare communem tum hominum, tum aliorum animantium sortem, quorum una esset ratio, ut quae orta essent, certis vitae spatiis definita aliquando pervenirent ad occasum. Quod gloriae decus tum illi benigna fata pararent, esse eiusmodi, ut, extra mortalitatis sortem, in coelo adhuc viventem collocaret, nulla hominum oblivione interiturum. Regum fortunam, quo honore nullus esset in terris maior, non homines sed deum moderari, cuius imperio reges parerent, et quos in terris divina virtus efficeret similes deo; supplicem Regem, habitu fortunae miserabili, sordidum, obsoleta veste, non decere opem implorare a mortali homine, sed ab eo, in quo dei immortale numen, res hominum tuentis elu-

teret. Eius esse occurrere afflictæ regum fortunæ, in spem erigere, iacentes sublevare, vindicare ius oppressum armis, improbos et nefarios ab hominum vita exterminare; quæ solida gloria et perennis eos maneret, qui orbis terræ imperio potentes, se dignos gererent, qui dei immortalis iræ ultrici vicarii succederent, sceleribus hominum vindicandis. Rogare enixe, ut miseri atque afflicti Regis causam apud imperatorem iustissimum sibi susciperet agendam, certa spe, quocunque fortunæ loco constitui Ioannem Regem placeret, eum memorem tanti officii uni id illi acceptum relaturum; cum quidem nihil posset non honestissimum accidere a summi imperatoris in se benignitate atque indulgentia profectum.

Erat Ebraimi cum placidum ac mitè ingenium, tum in Christianorum causam cumprimis propensus animus, sive illum subiret recordatio veteris religionis, sacrorumque quibus puer initiatus esset, sive vinceret barbaræ disciplinæ immanitatem, quam apud Turcam imbiberat, animo insita lenitas, quæ quidem non semper felici successu dissimulata, illi postremis temporibus exitio fuit. Ita benigne et prolixè pollicitus, Laskium in conspectum Solimani adduxit, cum illum de omnibus quæ acta essent accurate docuisset. Hinc Laskius, expositis quæ in mandatis a Rege supplice haberet, cum illum de more veneratus esset, petita venia, discessit, relicto Ebraimo, qui accuratius apud Solimanum ageret absentis causam. Cuius ut laetior succederet eventus, adiuverunt duo missi a Ferdinando legati, quorum alter Vngarus Ianus Oberdancius nomine, alter genere Germanus erat, cuius non traditur nomen. Summa illa legationis: Missos se a Ferdinando Rege repetitum quascumque urbes, op-

pida, arces, a Ludovici Regis tempore Turcae occupassent, in his Belgradum nominatim. Eas si restituere induceret animum, quod omnino illum facturum speraret, tum sancta sibi cum eo amicitiae et vicinitatis iura, ut regem deceret fidei suae et muneris regii memorem, futura. Visa legati oratio, pro Solimani fortuna atque ingenio superba, sua sponte insolentis contumeliae, et gentium ius non officii religione, sed suorum temporum ratione metientis, ut mirum videri posset legis ferre impune licuisse. Non usque adeo tamen potuit habere animum in potestate, ut non erumperet iracundia incensus, ex tanta sua, inimici Regis fortunam aspernantis. Nam quod signum commoti animi est visum, decussatis cruribus et sub sedem retractis, qui mos Turcarum accumbentium atque sedentium est, cum defixos oculos in legatos haberet: Belgradum, inquit, Belgradum? caput quassans. De hac vestra legatione haud ego apud meos in consilio referam, neque tanti vos faciam, ut inter vestra postulata et nostrum responsum, quasi de dubia re et ancipitis deliberationis, interponi ullam patiar moram. Regi vestro renunciate, aequo animo sit, nos brevi, contractis copiis, portarum claves earum urbium quas poscit, collo appensas in Vngariam allaturos: locum dimicandi fore iisdem Mohacensibus campis, apud posteros semper nostrae virtutis et felicitatis, vestrae calamitatis insigne futurum monumentum. Quae quidem quando adhuc minus videri apta potest ad feroces vestros animos et spiritus contundendos, eo descendat cum suis armatus Rex vester, et communi Marti rem permittat; victoria parta, et Solimani busto, praesepto capite, urbium clavibus potiturus. Nam si adeo tristi omine deterritus, loco infausto Vngaris, subire



regni aleam recusat, atque ob id tamen se credit, occupati regni per violata Vngarorum iura, quae eadem gentium omnium est, poenas evasurum, hoc unum sciat, et Budae illum nos, et, ubi minus apud Vngaros se tutum credat, Viennae a patriis sedibus ad poenam retracturos.

Hoc accepto responso, legati dimissi, omnium animos, Ferdinandi inprimis, terrore impleverunt; unam enim spem positam in Germanorum auxiliis, et Caroli V. potentia bella sustulerant, quae in Italia ad interneccionem cum Gallis, ut numquam antea validioribus viribus intentis recuperando in Italia Neapolitano regno, gerebantur; quae opportuna occasio agitantis animo Vngaricum bellum non omittenda videbatur, horrente haud dubie Solimano Caroli Caesaris fortunam, ubi, compositis Italiae rebus, in Thraciam, quo numquam se intentum habere animum dissimulaverat, converteret victricia arma. Neque minus acri studio, quam bellum denunciaverat, iussis provinciarum praefectis delectum habere, diem dicit, quo die cum copiis armati sibi ad Sirmium praesto sint, quem in locum ipse cum peditum delectis, quos Ianizeros vocant, et quatuor Visiris interiorum amicorum principibus sit subsequiturus. Inde cum Laskium advocari iussisset, ita illi respondisse ferunt: Adductum se, ut par esset, Regis indigna fortuna, et iustis suorum precibus, quod sua sponte esset facturum, ut ultro deditum Regem acciperet in fidem, operam daturum, ut suscepti consilii ad se perfugiendi Regem non poeniteret; non enim illius se causa commoveri modo, quae satis tamen per se esset gravis, ut sibi statueret, Germanis arma inferenda; sed omnium simul, quibus in iuris aequitate et sacrarum legum sanctionibus, ad-

versus vim parum praesidii esset. Ne desponderet animum, quousque unicus gladius rem gerenti superesset, quo in hostem uteretur (iisdem verbis usum accipio), se illi terra marique affuturum, non prius quam repositus in regio solio reliquam aetatis partem inter suos securus ageret, arma positurum. Occurreret sibi ad Mohacium, quo esset extemplo cop(ias du)cturus, omni cura soluto animo, ut communi consilio de omni ratione gerendi belli coram statueret: se illius opinionem, si rectam de se suscepisset, et se dignam, multis partibus superaturum. Quae dum ad hunc modum geruntur, Ferdinandus acceptis quae Constantinopoli acta essent, suis rebus veritus, relicto Budae Stephano Palatino, qui regiae urbi praeesset, se Viennam recepit, aut armis, si daretur facultas, aut consilio barbari regis minas, quaecumque in partem regni irrumperet, elusus. Et quo tempore quidem legati Viennam redierunt, Ferdinandus Spirae conventum agebat, a fratre Carolo indietum, qui negaret sibi distento Gallico bello interesse licere. Caussa indicendi conventus belli fama tum Vngaris, tum Germanis a Turca imminentis. Quo quidem tempore Ioannes Rex suspicatus id quod erat, magnam sibi invidiam ab adversario conflatum iri, et sua et fratris potentia praefidente; ad imperii principes literas dederat, quae quoniam plurimum lucis afferre ad cognoscendam totam Ioannis causam sunt visae, iisdem fere quibus sunt perscriptae verbis, his attexere placuit. Etsi enim ita expressae in Germanorum monumentis leguntur, ut ne minimum quidem varient ab argumento; ne praepostere tamen, quae propria nostri muneris sunt, dissimulare, et ad Germanos scriptores legentes reiicere videamur, subiiciendas nobis, id postulante

nostra fide, ex scripto statuimus, quod integrum, ut alibi diximus, apud nos exstat :

Post illam calamitosam cladem, et memorabilem, in qua cum magna nobilitatis parte Ludovicus Rex occubuit, et reipublicae eandem et nostrae familiae funestam, quae Georgio fratre orbata, viro fortissimo, et privatum simul luxit et publicum fatum; comitiis rite de more peractis, cunctis gentis suffragiis sumus\*) ad regnum evecti, tribus duntaxat exceptis, quos tum egestas rei familiaris, tum odium et privati commodi spes a vera via et patriae studio in Ferdinandi factionem, Boemiae Regis, transversos egit. Hinc, cum acceptis regni insignibus, una nos angeret cura erigendi iacentem patriam, et quae amissa essent recuperandi, non sine firma spe, nos aliquando florentissimum regnum posteris sartum tectum ab omnibus domesticis et externis cladibus relicturos, nuncii ad nos certi afferuntur, Ferdinandum omni contempta religione divini atque humani iuris, in regnum nostrum, coacta militum manu, invasisse, mox urbibus nonnullis, quae nostrae ditionis erant, occupatis, per adversae factionis homines, seditiosos et turbulentos, non patriae caritate ulla, quae se volens et prudens nostrae fidei permisisset, sed nostri odio, et rerum novandarum studio, Posonii regem creatum. Quae studiorum et voluntatum commutatio, praeter spem, magna cum nostra admiratione subsecuta, pro nostra in patriam pietate, ingenti nos moerore affecit; versabatur enim ante oculos in partes diversas patria divisa, quae eius cupiditate atque ambitione esset peritura,

---

\*) Eddig tart Szamosközi keze; a többi, a VII. könyv végeig, a Bécsi Codexből vétetett.

cuius virtute externo malo affectam sublevari aequum esset. Ac tametsi non deesset nobis certa ratio irruentis in nos impetum retardandi (nostrae enim tum erant validiores vires), alienum tamen a Christiani regis munere duximus, eius gentis reliquias, quae tamquam in praesidio posita barbarorum arma per multa secula a Christianorum iugulis avertisset, in suorum excidium adornare. Qua de adversarii iniuria tanta, nostra aequitate per nostros legatos questi sumus, tum apud Clementem Pontificem Maximum, tum apud Christianos reges alios omnes, Franciscum Gallorum, Anglorum Henricum, Sigismundum Polonorum, quem semper, ut par erat, coluimus parentis loco. Atque is quidem, ut decebat Christianae reipublicae perstudiosum regem, sua sponte, certe nobis inconsultis, apud Ferdinandum per legatos egit de concordia concilianda, magnopere hortatus, ut incepto desisteret, neu, per civilia arma aditum hosti potentissimo patefaceret et ad Vngariam, et ad Christianas reliquas provincias invadendas, qui neque illius praesentibus, neque multo illis validioribus obstrui posset. Postulare vero rationem communis officii, ut iisdem animis, copiis, armis, quibus eadem ab hoste pestis immineret, communi periculo obviam irent. Quibus auditis Ferdinandus in praesentia assensus, se Regi optimo gratias agere respondit, non recusaturus, quin suos legatos, quocumque ille edixisset, et ad quem diem, mitteret; atque hoc quidem cum eius orator in se recepisset, et nos legatos nostros, et suos Sigismundum eodem missurum. Neque nos vero illius fidem fefellimus, atque adeo quamquam quae iura essent, quae Ferdinandus iactaret, et quanti momenti essent habenda, nos minime fugeret; id nobis esse

agendum arbitrati, ut aequi atque iniqui omnes intelligerent, per nos, quominus de concordia transigere-tur, non stetisse. Namque et eodem tempore alios ad vos legatos misimus, ne quis dubitare de constantia nostra posset, qui vobis expositis Ferdinandi iniuriis, nos esse paratos iure apud vos de regno disceptare, quicquid de eo, pro vestra aequitate et sapientia, a vobis constitutum esset, id ratum firmumque habituros. Inde alios recta ad Caesarem in Hispaniam cum iisdem mandatis iussimus proficisci, quod nostrum officium ne nobis, ut vellemus, procederet, Ferdinandi iniuria fecit, qui legatos nostros, quorum semper fuit sanctum apud omnes gentes et populos nomen, in ditionis eius fines ingressos prohibuit ulterius ire. Quae illius iniuria tamen minime nos reddidit segniores, instituta de concordia actione peragenda. Nam ut visum Sigismundo fuit, ad constitutum diem Olomucii legati nostri affuerunt, ita a nobis instructi, ut nullas conditiones, quae tolerabiles viderentur, essent recusaturi, modo spes esset tantum excitatum incendium in Christiana republica exstinctum iri. Quod nostrum animi studium Ferdinandi legati eludere, adeo iniquis conditionibus propositis, ut facile appareret, verbo videri voluisse concordiae studere, re occasione dirimendi colloqui per iniustissimas obiectas conditiones quaesiisse, quod eorum proprium est, qui a causa minus parati, quae una ratio iniuriae est reliqua, confugiunt ad arma. Ita nostri, re infecta, retroredire coacti sunt. Neque vero ille nos modo aperta vi, sed insidiis est aggressus, plerisque a principibus regni hinc precibus et pollicitationibus multis, hinc minis et mali metu, ad defectionem sollicitatis, imprimis quos suspicaretur nobis magis fideles esse, multis nobis,

atque insignibus nostris beneficiis devinctos. Ita multi magnitudine largitionum victi, et spe melioris fortunæ, nostrorum beneficiorum immemores, et iurisiurandi, cuius religione nobis erant obstricti, a nobis defecerunt, minime diu tantum in nos admissum scelus perfidiamque impune laturo. Quibus de rebus quominus vos per legatos nostros certiores faceremus, adversarius fuit impedimento; cuius iniuria factum est, ut quod gentibus populisque omnibus semper licuerit, nobis minus fuerit tutum, per legatos nostros vos de illius in nos iniuriis docere. Itaque satius visum est de his vobiscum per litteras agere, inprimis de illius contumacia, qui ita nos bello lacessit, ut nos, id quod maxime fuit nobis optandum, frui nostræ aequitatis et constantiae fructu minime patiaturo; nihil enim est, a quo longius absimus, quam a fundendo innocentium sanguine, nostri iuris tuendi causa; cuius fiducia qui iudicem postulet, vos appellet principes et moderatores Christiani imperii, a vobis, non ab armis praesidium petat: is facile ostendit, qui diffisi iure ad arma confugiant, tanto propius iniuriæ esse, quanto ab aequitate longius recedant. Quid autem minus verisimile, quam, qui Christiani sanguinis adeo sitiens est, aptum aliquando moderando Christiano imperio fore? Hoc ille nostri odio, cuius se futurum successorem sperat, scilicet sarcindi causa insignes clades a patre meo, atque Emerico patruo viris fortissimis et clarissimis tum Friderico Caesari, tum eius Maximiliano filio illatas, cum infaustis auspiciis bellum adversus Vngaros suscepissent. Namque ornatum alterum imperii insignibus, et sacro Vngarorum diademate potientem, patruus eiecit ex Vngariae finibus, regni corona recuperata, cum regni

summus praefectus esset; utrumque Stephanus pater regni Palatinus, atque exercituum imperator suo ductu, Matthiae Regis auspiciis interiore Austria expulit, Vngarorum regno, Vienna Austriae gentis sede, et universa eius ditione adiuncta. Quorum nos gloriae aemuli Maximilianum Vngaricum bellum animo molientem, se continere intra regni fines coegimus, vix adolescentiae annos egressi; ut facile conici possit, si iustis viribus, atque armis potius, quam insidiis et fallaciis esset gerenda res, haud vires nobis, atque animum ad nostras persequendas iniurias, nostrum ius tuendum defuturas. Sed et hanc ipsam adversarii iniuriam tantam aequo animo tulimus, certe, quam ut est, esse gravissimam censeatis omnium, quae in hac vita homini immineant, ubi veniat vobis in mentem cogitare, quanta indignitas sit, non magnis regibus tantum et augustae maiestatis principibus, sed mediocris etiam fortunae hominibus, ex eo honoris gradu, quo sint virtute atque industria eveci, ad imum prolabi. Rarum quidem inter homines exemplum, sed eo indignum magis, quo minus saepe accidit regno extorrem, vitae extrema subsidia in sordibus et squalore positum desiderare; minime certe credimus quemquam tantae constantiae esse, qui tot tantisque iniuriis lacessitus, non eo sibi confugiendum statuatur, unde spes praesentis auxilii ostentetur; neque enim ulla animi aegritudo maior, ad vim animi ad ultionem excitandam, quam quae ex iniuria manat. Quod quamquam ita sit, et iusto dolore animi incensi eo descendere cogamur, unde spes sit affuturas vires ad nostrum ius recuperandum, vi nobis et armis per iniuriam praereptum. Hoc tamen nostris his literis vobis testatum volumus, nos a primis regni nostri initiis, ut nunc

quoque, ita habere comparatum animum, ut nullas non conditiones simus subituri tollendi discidii caussa, quas vos aequas esse, pro vestra sapientia censeatis; has enim nostras praecipuas partes, hoc est Christiani regis duximus, ut cuiusvis iudicio potius iudicandam nostram caussam permitteremus, qui idoneus modo haberetur, quam patriam vexandam civilibus armis, quae nobis esse charissima rerum omnium debet. Ac ne quis nobis vitio vertat, si quando diffusi domesticis viribus, quo nos adversarii vi atque impetu vindicemus, aliquid ineamus novi consilii, et unde detrimentum aliquod reipublicae eveniat: vos monitos volumus, in hoc orbis theatro Christianae reipublicae principes positos, eius rei culpam in eum reiiciendam, qui suo non contentus, alienum regnum, tum armis subnixus, tum perfidia et proditione sceleratorum hominum, sibi conciliare aggrediatur; nemine non ita statuente, qui ultro iudices atque arbitros poscat, ut paullo ante diximus, per quos de (*civilibus?*) controversiis cognoscatur, eum caussa superiorem esse. Neque vos ignorare arbitramur, atque adeo quamquam ab eo severe edictum sit, ne cui liceat, praeterea, quae illi secunda eveniant, extra regni fines efferre, obsessis publicis viis, qua iter ultro citroque euntibus patet, quae sunt Ferdinandi in Vngaros merita, qui se vult assertorem Christianae libertatis videri: Ludovico enim Regi sororis viro in extremum rerum discrimen caput obii-cienti, non militem, non bellica tormenta, non ullum subsidii genus, quamvis ultimis fatigatus precibus, misit, qui adversus copias Turcarum innumerabiles, exigua peditum atque equitum manu fretus, esset pugnaturus. Nam, quod vix in Christiani nominis hoste ferendum est, comparata tum a vobis auxilia,



quae Vngaris subsidio essent, adversus Turcam gentibus bellum, Christianus rex, reipublicae subtracta, laboranti in extremo casu, ad vastandam populandamque Italiam a fratre rogatus misit, inhians, per iuvenis Regis interitum, a se destituti tam necessario suo tempore, Vngariae regno. Quo quidem in patriae discrimine nos pietatis nostrae memores Georgium fratrem, et delectorum militum tria millia, cum omni bellico apparatu, misimus, qui pro patriae salute pugnantes, cum fratre occubuerunt, Mohacensi proelio. Neque in eo constitit nostra in patriam pietas; nihil enim certius est, quam nos profectionem ad bellum in Vngariam adornantes, cum valida militum manu, fuisse Regis imperio in Transilvania retentos. Atque haec quidem ipsi nostrae fidei et constantiae dedimus documenta, quorum sunt plurimi testes, ubi sint qui illam audeant in dubium revocare; illa Ferdinandus, cuius ut alia omittantur, illud praeteriri silentio nec debet, nec potest. Obstrinxerat se Vngaris sanctissimo iureiurando, id quod ex illius literis apparet, non se prius initurum regnum, quam Belgradum, oppida arcesque alias, quaecumque essent a Turca intercepta, recuperasset. Cuius iurisiurandi religio, literis illius signisque confirmati, quam illi fuerit diuturna, omnes noverunt: non solum enim non praestitit quae pollicitus erat, sed sub expeditionis tempus urendo populandoque omnia, prope Budam Turcas impune progressos audivit, septem quidem passuum millia tantum Alba Regia Turcas abfuisse constat, ubi tum ipse castra habebat, unde magno cum illius dedecore, hostes barbari omnibus ferro flammaque absumptis, nemine persequente, qui abeuntes remoraretur, onusti praeda discesserunt. Nam arcem Iaiczam, quam a

nobis averterat, praesidii praefectis muneribus et pollicitationibus multis in sententiam traductis, in toto Christiano orbe munitissimam arcem, eandem Bosnae regni caput, cum aliis finitimis arcibus in illius oculis captam Turcae suae ditionis fecerunt, quo nihil foedius, aut turpius poterat Christianae reipublicae accidere. Haec nobilis illa arx, quam Matthias Rex fortissimus, magnis Turcae illatis cladibus, non sine ingenti suorum caede redegit in potestatem; cum mox eandem Emericus patruus noster, regni Palatinus, gravem atque asperam perpessus obsidionem, magna cum gloria tutatus est. Tanta quidem semper est visa, ut eius tuendae caussa, reges qui deinceps Matthiae successerunt, quotannis aureorum nummum centum milia impenderint, numquam sumptus magnitudine deteriti, ubi patriae salus securitasque ab ea parte Vngariae constaret. Nam et ipsi superiore aestate, cum nos minime fugeret, quot quantaque pericula non Vngariae solum, sed vicinae Germaniae impenderent ea arce amissa, e patriis bonis arcem praefectis Iaiczienibus pignoris nomine dedimus, scilicet ne post tantum effusum Christianorum sanguinem, post ingentes factas a republica impensas, post tot accepta detrimenta, in hostium potestatem rediret, a quibus patrum memoria, Regis fortissimi auspiciis, esset ingenti cum fortitudinis laude erepta. Et quidem nisi communis salutis hostis, regnum nostrum aggressus armis, egregios nostros conatus retardasset, extrema quoque potius eramus parati subire, quam ut unum relictum Christianis populis adversus Turcarum incursiones munimentum a regno Vngariae divelli pateremur. Haec Ferdinandi auspicia fuerunt, alienum invadentis regnum, haec merita in Christianam rempublicam,

haec pietas, qua afflicta patria tot annorum perpetuis cladibus, in spem salutis sublevata erigeretur, ut strenuo Rege, soluto curis animo, dies geniales agente, tantum vulnus per arcis munitissimae amissionem intra regni viscera acciperet. Quae quamquam ita sint, non dubitamus quin magna penuria rerum omnium, quas poscit belli usus, sit a vobis opem imploraturus, specioso quidem et splendido inprimis nomine, movendi in Turcas arma, re suppeditandi contra nos auxilia, et Carolo fratri gerenti cum Christianis populis funestum bellum, et exterorum, et suorum armis perituris, quae multo maiore cum laude atque usu in Turcas iustos hostes, liceret explicare; ea enim illius spes est, quod suis viribus fretus desperet se assequi posse, vestris fultum auxiliis se impetraturum, ut nobis impedimento sit, quominus per iniuriam nobis ereptum regnum armis recuperemus, id quod divino numine benignam auram rebus nostris aspirante, propediem speramus fore. Quae cum ita se habeant, ne per vos illius optatis is respondeat eventus, quem sibi per vos spondet, sacri Romani imperii moderatores, enixe rogamus, magna spe freti, ita vos in totam hanc causam advigilatos, ut nihil ex ea detrimenti accipere rempublicam patiamini. — Atque his quidem literis consentaneas alias ad Carolum Caesarem dedit; in quibus ne plus aequo dolori indulgeret, certa ratio effecit existimantis, quae cum Ferdinandi contumelia scripta legeret, fratrem iniquo animo laturum. Interea reversus e Thracia Laskius, Regi sollicito de consilii eventu, quae acta cum Solimano essent ordine exponit, simul hortatur, ut, spe laetioris fortunae animo confirmato, Solimano in Vngariam adventanti, quantis maximis possit comparatis copiis, occurrat.

Esse adhuc Transilvanos in fide, atque ex his, quorum semper in se voluntatem sit egregiam expertus, summae auctoritatis homines, et locupletes, quos illi reliquos e magno rerum suarum naufragio fortuna fecerit. Non esse dubitandum, quin moniti de his, quae Constantinopoli acta sint, et consilio, et copiis regnum repetenti sint affuturi. Accepto Ioannes tam laeto nuncio, per sibi fidos homines, atque industrios, amicos hortatur, ut pro sua constantia et fide, quam iam pridem habebat perspectam, sese animo compararent ad ea agenda, quae praesens occasio requirat, spe firma animis concepta, quibuscum habuerit communem adversam fortunam, secundis suis rebus, laetam quoque se communem habiturum. Erant e nobilitate qui Ioanni Regi praecipue studebant, Stephanus Bathoreus Somlyius, Emericus Czibachus, Gothardus Kyn, aliique, qui ad eum diem veriti Ferdinandi potentiam, communia consilia, ut animorum studia in Ioannem habuerant. Hos paucis docet de iis quae Laskius a Solimano attulerat, cum simul spem auxiliorum faceret, quae se e Polonia missurum primo quoque tempore pollicebatur. Esse autem suum consilium, ut cum suis amicorum copiis coniunctis, per Lippam, qua urbe se facile potiturum sperabat, aditum in Vngariam tentaret. Quibus illi rebus cognitis inter se cohortati, pro se quisque certatim suos armant, nemine, quo id consilio agerent, suspicante. Nam quae rem adiuvabat, certior in dies fama percrebescebat, Solimanum magnis contractis copiis in Vngariam adventare, quem Ferdinandus, cuius tum erat nomen in omnium ore, propter pulsum regno Ioannem Regem viribus omnibus excepturus credebatur; ut minime mirum videretur, principes suos armare, quibus se cum Ferdinan-

do coniungerent proficiscente ad bellum. Quae dum ab his intenta cura administrantur, Ioannes advocato suorum consilio, in quibus nobiles exules permulti erant eius fortunam secuti, ostendit se constituisse Simonem Attinaium (unum ex eorum ordine, quos Vngari literatos appellant) virum fortem, atque impigrum in Vngariam praemittere cum equitum ala et pedibus quingentis; quibus conducendis cum pecunia opus sit, rogat, ut pro praesenti quisque fortuna animum inducat sibi esse subsidio, atque omnino speret de se meritis adeo suo necessario tempore, parem se gratiam relaturum: fortunam potuisse sibi praeripere regnum; regno maiorem animum numquam sibi per ullos adversos casus praerepturam. Tanta animorum alacritate ferunt Regis verba fuisse excepta, ut et principes studio inter se conferenda pecunia certarent, et eorum regii ministri aemulatores, quorum nonnulli tum frequentes apud Regem erant: in his, propter insigne pietatis in Regem studium, non videtur silentio morio praetereundus, Balentinus nomine, ex hominum genere, quos multos versari in maximorum regum aulis, atque esse in deliciis, videmus; sive enim incensus studio laudis, quod in homine stolido ingenio est dignum admiratione, sive amore ex diuturna consuetudine suscepto, Regi decem aureos Vngaricos obtulit ex perexiguo censu luculentum donum, atque: „Vtere, inquit, Rex, laetioribus tuis rebus mihi Budae cum foenore redditurus“; quo omine a fatuo et quasi praesenti numine correpto, magnopere Regem exhilaratum aiunt. Inde Simone literato, cum ea militum manu, quam designaverat, praeire iusso, amicos per celeres nuncios monet, quos cursores vocant: iam Simonem iter ingressum, cum Polonorum copiis Cassoviam ac-

celerare, ubi Ferdinandus copiarum partem habebat, eo consilio, ut nactus idoneam pugnandi occasionem, cum iis conserat manum. Inde multis verbis hortatur, ut quas in praesentia copias habeant coactas, Gothardi Kyn ductu (erat huius et virtus, et fides inprimis Ioanni spectata) obviam Simoni praemittant, qua manu auctus tutius cum hoste configere audeat. Vnum maxime urget, ut rem totam in celeritate positam, non sinant mora et procrastinatione corrumpi. Ita illi nihil de summa industria et sedulitate remittentes, militum praevalidam manum, duce Gothardo, Simoni obviam mittunt, qui dies noctesque continuato itinere, celerius omnium spe cum illius suas copias coniungit. Quorum adventu cognito Ferdinandi duces Stephanus Revaius, et Thomas Laskanus, suos paucos hortati, ut quam fidem nuper Ferdinando praestitissent, pristinae virtutis maiorum memores, sibi censeant in acie praestandam, ire obviam hosti pergunt; qui minime pugnam detrectantes, impetum excipiunt inferentium signa, ita obfirmatis animis, ut in acie cadere quam militare dedecus admittere malint. Commisso proelio, cum aliquamdiu anceps, par utrimque virtus fecisset, Ioannis milites adnixi constantia, acriter locum, in quo institissent, tuentes, hostes gradus inferentes propellunt, et postremo loco motos in fugam vertunt. Pugna haud procul Cassovia pugnata, qui belli exitus futurus esset, laeto eventu declaravit, non re minus quam omine. Victus Revaius, et qui proelio superfuerunt, in vicinas urbes, pagosque dilapsi profugerunt. Cuius victoriae nunciis Ioannes Rex acceptis, spei et fiduciae plenus, e Polonia movet, mox Simonis, et Gothardi copiis suis adiunctis Lippam victorem militem adducit, cum, ut aequum erat, duces pro suo merito collau-

datos, digna summa virtute praemia a se perfecto bello sperare iussisset. Quarum rerum fama simulatque ad Vngaros pervasit, iam omni cunctatione et mora damnata, magno concursu ad Ioannem undique amici, quorum non erat exiguus numerus, conveniunt, simul victoriam gratulatum, et felicem in patriam reditum, simul ut praesto rem gerenti essent. In his e principibus Ioannes Bamfius, Petrus, Marcus, Ioannes Tahius, Simon Episcopus Zagradiensis, quorum studia diu inclusa animis, per Solimani adventum in apertum excitata, eruperant: nemo quidem dubitabat, quin Ioannes a Solimano acceptus in fidem, propediem recuperato regno, in Vngarorum regia esset ius populis dicturus. Etsi vero magnae erat futurum invidiae, vindicatum Turcarum armis, quibus hostibus infestissimis Christiana respublica uteretur: quicquid in eo offensionis esset, caussa emolliebat; quae quidem quam iusta esset modo, non a quibus defenderetur, crederent spectari oportere; posse enim fieri, ut a Christiano rege, cum dedecore defenderetur iniuria, et cum laude Turca, atque ex ultima barbarie adeo Scytha immanis, aequitatem, ius, fas, tueretur, id quod quotidie usu veniret. Ergo Ioannes successu acrior, cum quidem speraret, ubi viriliter fortuna pergeret uti, magni animi se uberem fructum relaturum, suos intentiore cura, tum urbanorum, tum agrestium delectum habere, copias cogere, spe reditus exules armare, quicumque idonei ad arma ferenda haberentur, nulla aetatis excusatione accersere ad signa, quamprimum iubet. Ita incredibili adhibita diligentia et celeritate, non contemnendum comparatum exercitum Ioannis duces ad urbem munitam, quam Montis Graecensis incolae appellant, adducunt, non

dubia spe, Germanis cunctantibus obsessis opem ferre, quamquam a Ferdinando septingentorum Hispanorum praesidio firmatam, aut vi, aut deditioe se in potestatem redacturos. Quorum consilio cognito Episcopus Labacensis, unus e Ferdinandi ducibus, assumpto secum Germanorum equitatu, cui praeerat nobilis Germanus Proar nomine, ire subsidio obsessis pergit, multis tum Slavis, tum Croatis e prima nobilitate, qui Ferdinando favebant, sua sponte voluntariis signa sequentibus. Ferebantur in Germanorum castris, qua peditum, qua equitum ad X millia, ut si fieret pugnandi potestas, haud viderentur certamen detrectare. Quod quidem Ioannis duces veriti, cum optimo consilio a subeundo pugnae discrimine, quo non occasio et opportunitas iuaret, abhorrerent: eorum non exspectato adventu, cum universis copiis se in Slavonici regni interiora recipiunt, atque ad arcem quam Zent Erzebet vocant, positam in Ladislai More ditione, militem ducunt, atque eam arcta obsidione cingunt. At Germani M. Graecensis urbe obsidione liberata, arcem e regione sitam Zagrabiensis Episcopi, eo adductis copiis oppugnare aggrediuntur. Quod cum minus eorum spe procederet, mox obsidere instituunt, fame ut credebant in potestatem redacturi. Qua re minime territi, qui erant in arcis praesidio, summa cura quaecunque aut ad tollendam longam obsidionem, aut ad subitam vim propulsandam usui essent, expediunt, quicquid hostes aut vi, aut insidiis tentarent, eorum occurrere consiliis parati. Germani muralibus tormentis destituti, clam ad muros cuniculis actis, ut per eos aditum in arcem tentarent, ad obsessos fallendos, varii artificii globis, qui ex repercussu inclusum ignem emitterent, atque omni alio genere telo-



rum frustra deiicere e muris Ioannis milites conantur. Nam et crebris eruptionibus pugnabant, et eodem tempore, qua conicerent cuniculos agi, marris, ligonibusque humo intercisa, excipiebant; neque vero unquam accidit, ut non plures e Germanis Hispanisque desiderarentur, aut vivi capti venirent in potestatem. Quae quamquam obsessi impigre atque industrie administrarent, Ioannes Waghotovithius, grandis natu vir, et rei militaris peritus, qui praefectus praesidio praeerat, cum Germanos pertinaci consilio continuare obsidionem, obsessos in dies, quae famis tolerandae essent, magis deficere animadverteret, sacerdotem in tempesta nocte fune per murum demissum, impigrum hominem, iubet, falsis hostium custodiis ad Episcopum Zagrabiensem literas afferre, adhuc arcem Zent Erzebet circumsidentem, et quanto in discrimine sui versentur a Germanis obsessi, docere. Eo ventum esse, ut fames, pertinax usque ad exitium malum, sit timenda, iam perpetuis vigiliis et laboribus, quibus impares non sufficiant, viribus confectis. Nisi statuat omissis aliis consiliis omnibus, periclitantibus suis extemplo opem ferre, aut tuentibus militare decus, ut deceret Vngaros, fame pereundum, aut praeferentibus turpem vitam honestae morti, quod consilium indignum Vngarorum virtute esset, hosti portas arcis patefaciendas. Rogare vehementer, ut bene de se meritum militem ne desereret laborantem in salutis extremo casu, non pateretur Germanorum praedam fieri, quorum odium ne vita quidem se posse explere sperarent, nisi per ultimos cruciatus et ludibria omnia et mortis longam moram dilacerata. Ita nuncius summa usus felicitate, conventum in castris Episcopum, quae habebat in mandatis exponit, simul ne cunctetur

obsessis opem ferre, quibus spes omnis salutis sit in auxilii celeritate posita, hortatur. Quibus rebus cognitatis, Zagrabiensis, iussum nihil sibi reliqui ad celeritatem facere, ad obsessos laeto cum nuncio remittit. Exiguam temporis moram ferant aequo animo, propediem se valido Turcarum auxilio copias auctas ad illos adducturum. Ita obsessi spe propinquae salutis confirmatis animis, quae secundis rebus, dari laetitiae signa consueverunt, militari more omnia ediderunt, inter gratulantium acclamationes, quas dissonus tubarum clangor et tympanorum sonitus augebat, crebris tormentorum ictibus, horribilem fragorem aëris e nubium repercussu cientibus, non sine hostium terrore, ne, id quod erat, propinqui auxilii significationem haberent. Adiuvit, ob tam laetum nuncium in spem salutis erectos errore falsus Germanorum explorator, ut postea cognitum est: conspicatus enim in summo templi fastigio erectum vexillum, quod iam nimia vetustate subalbicabat, atque arbitratus Turcarum esse, qui obsessis subsidio venissent, pro vero suis retulit, quod verisimile videbatur, laeta militum acclamatione suspitioni fidem faciente. Ita Germani temere creditare, ut temere erat allata, soluta obsidione abierunt; ad ea enim, quae visa erant, quod semel territis accidit, ut ex iis, quae iure timenda sunt, non timenda horreant, explorator de suo addiderat iam Turcarum advenientium agmen conspici, qui ultro irent castra oppugnatum. Quae dum ad hunc modum a Ioannis ducibus geruntur, adulta iam aestate Solimanus, cum messis tempus appeteret, anni pars ad bellum gerendum maxime opportuna, ingenti contracto exercitu in Sirmium pervenerat, atque inde, Savum copiis traductis, nemine qui obsisteret contra ferente arma, pari felici-

tate Dravum militem transmiserat. Is tum erat status in Vngaria, qui in magnis regnis atque imperiis esse consuevit, quorum sunt in contraria studia distractae vires; ut si externa vis accedat, non secus atque in corporibus accidit, quorum intestinis morbis prostratae vires, victa succumbant. Et qui Ferdinandi, et qui Ioannis rebus favebant, pariter consilii incertos agebat sensus interioris mali, quo quidem fiebat, ut quidvis aliud potius, quam quod erat agendum, statuerent, quam fortunam saepe victae gentis barbarus hostis esse vellet, exspectantes.



IO. MICHAELIS BRVTI  
VNGARICARVM RERVM  
LIBER OCTAVVS.

---



## LIBER OCTAVVS.

Interea Ioannes , cognito Solimani adventu , Mohacium cum iis quas habebat copiis proficiscitur, illic, ut convenerat, eius adventum praestolaturus. Quarum rerum Budenses accepta fama, minime dubii, quin barbarus ad regiam urbem, quae eadem esset regni caput, exercitum adduceret, non ausi advenientem expectare, secum exportatis, quae in fuga trepidantibus licuit praedae hostium subtrahere, Viennam profugiunt, relicto Budae Germanorum praesidio, et qui arci praeesset, Thoma Nadasdio, viro tum pacis tum belli tempore, magnis administrandis gerendisque rebus, consilio et magnitudine animi claro. Iam Solimanum Mohacium advenientem egressus obviam Ioannes Rex exceperat, barbarorum in morem, quod ab invito et tergiversante vis temporis extorquebat, supplex veneratus. Erant quidem in Ioanne multa, quae, ut alibi diximus, regiae indolis significationem haberent, quam a natura insitam patria disciplina et studium optimarum artium auxerat: sed nihil magis movit barbari animum suoapte ingenio mitem et ad misericordiam proclivem, quam supplicis habitus in privata etiam fortuna miserandus. Subibat, qui praesens hominis status, qui paullo ante fuisset, pridem regnum maximum atque opulentissimum magno plausu secun-

dis suorum studiis adepti, mox eiecti patria, et regno extorris, contra ius, fas, maiorum instituta, ut credebatur, spoliati legitimo honore, atque ad egestatem redacti, non regni solum honore, sed amissis etiam patriis fortunis, quae maximae atque amplissimae fuissent; quae ipsae, etiam eo tacente, cuius caussa agebatur, satis tuendo suo iure adversus potentis adversarii iniuriam disertis, sua sponte humanitatis Solimanum memorem prosequi omni genere officii supplicem cogebat. Cuius brevis oratio, et pro supplicis Regis fortuna, et pro nominis sui maiestate: Dei benignitate eo loci Ioannis Regis esse deductas res, ut posito in proxima spe recuperandi regni, sint Deo immortalis gratiae agenda, cuius parens imperio Solimanus, et agnoscat suum munus, et porro profiteatur, afflictos atque oppressos per improborum hominum iniuriam, erigendi; deturbandi e celso loco, quos aut vis aperta, aut perfidia et fraus ex imo evexerit ad summum. Cui Deus vires dedisset, animum quoque dedisse viribus parem tum hominum malefactorum vindicandis, tum iis tuendis ab iniuria, quos bellum et iniusta arma ad se confugere, atque opem poscere afflictis suis rebus cogissent. Bono animo esset, atque omnia de se speraret, quae et sua et maiorum consuetudo requireret, de omnibus bene merendi, qui spem certam per fugii in sua clementia positam haberent. Numquam diu improbis, hoc prohibente divino numine, in viros probos et iustitiae amantes insultare impune licuisse. Quas partes sibi a Deo immortalis impositas intelligeret, hominum scelera vindicandi armis, ne ab se homines desiderarent oppressi fortunae iniuria, quoad vita superesset, se operam daturum. Haec Solimani, aequae brevis Ioannis oratio, et qualem supplicem deceret, et



agentem potius gratias pro quaesita ope, quam pro quaerenda laborantem; nihil enim opus erat pluribus de suo iure agere, cuius recuperandi gratia, videbat ingentes ducentem copias esse in armis. Inde imperatum regiis ministris, ut certum illi cum suis locum in castris assignarent, ubi honeste et pro regii nominis maiestate, tutus a multitudinis licentia ageret, datis custodibus, qui suos parum aequos Regi colenti externa sacra, ab iniuria et maleficio prohiberent. Haec ita gesta a peritis accepimus, a quibus nonnihil Iovius variat, qui occurrisse Ioannem ad Belgradum Solimano tradit: Nam de Budensium fuga plane diversa; cum diffisi moenibus, minime se in urbe tutos futuros arbitrarentur, partim Strigonium, partim Albam Regalem, atque in alias vicinas urbes receptum quaesivisse, quibus quidem in urbibus haud multo quam Budae tutiores videbantur adversus Turcarum vim futuri. Inde Solimanus continuato itinere cum quidem quaecumque iret pacatum agmen duceret, Budam pervenit habitatoribus vacuum, quorum maxima pars Viennam, ut diximus, desperata patriae salute, confugerat. Nam alii qui manserant, sub hostis adventum in arcem ad Nadasdium concesserant, eandem fortunam subituri, qua in sententia haud diu perstitere; visus enim, id quod facile de superiore loco licebat, ingens bellicarum rerum apparatus, tum magna tormentorum vis, ac missilium omnis generis, quorum infinitam vim Turcae attulerant ad bellum, sua sponte percussis, atque ex superioris belli infelici eventu eundem sibi rerum exitum spondentibus, animos fregerant. Ita pudorem vincente metu, unius salutis memores, inter se de arce dedenda consilia agitare coeperunt, ubi voluntaria deditio esset, se acceptum iri in fidem aequioribus

conditionibus sperantes. Qua re Nadasdus animadversa, sive adductus coniectura, sive monitus a suis, ad quos fama tanti flagitii manarat, frustra a foedo incepto deterrere, ac continere in officio conatus. Indignam enimvero rem queri Germanorum gente, indignam prisca maiorum virtute, quorum gloria longe lateque ad exterarum gentes ac nationes omnes illustri fama pervagata esset, nondum hostium virium periculo facto, nullo dum edito militaris virtutis documento, unde fides fieret esse veram Germanorum subolem, qui cum nutricum lacte militares animos et virile robur suxissent, quorum primi lusuriam aetatis arma, tela, tormenta fuissent, qui digni essent habiti, quorum virtuti defendenda Budae arx, regni Vngarici caput, permitteretur; indignam rem esse Germanorum nomine tanto, territos vanis rumoribus, atque inani specie rerum, non secus ac pavidas anus, atque imbelles pueros suam umbram timere. Magno gloriam emi, maximis perferendis laboribus, gravissimis periculis adeundis, profundendo sanguine, morte contemnenda, unde viri fortes aditum sibi patefacere in coelum; neque tamen minus caro vitam emi segnibus atque inertibus, quibus professis rem militarem sit vera laude potior salus; emi nominis iactura, famae, bonorum, existimationis, emi omnium iustissimo odio, ut qui ita infames vivant, sint multo infra eorum conditionem, qui simul editi in lucem, et vita extincti, interiissent. Facesseret vero e suorum pectore inauditus ad eum diem Germanis pavor, ac se duce auderent contemnere, quae timenda ignavis, ultro expeterent verae laudis et gloriae cupidi; quam quidem multis fortibus factis atque illustribus, adversus hostem in acie pugnando, pro moenibus patria defendenda, fide impera-

tori et duci praestanda, non in umbra et otio ac delicata vita se sperarent consecuturos. Quae stimulos aliis addidissent ad excitandam animi praesentiam, arma, tela, tormenta contemnenda, mortem ultro appetendam: ad flagitium et militare dedecus admittendum, exitii metu territis animis obversante, valuerunt. Concursu facto, captum ducem nequidquam tantam suorum nequitiam et scelus execrantem, quo libentius cum hoste de arce dedenda transigant, in custodiam coniiciunt. Inde iam nemine prohibente, incolunitatem pacti, atque ut liceat armatis, et militari more sub signis ire, non officii, non fidei, non militaris sacramenti memores, se simul arcemque dedunt. Tantum flagitium ut Germani milites admitterent, odium ut creditum est, genti innatum in Vngaros inexorabile effecit, quo imminuta ducis auctoritas, minus apud contumaces et detrectantes superbe Vngari imperium locum invenit; magno res futura documento, in duce deligendo, qui multis sit praefuturus, spectandum, quam recte inter eum et imperio obtemperantes conveniat; auctoritas enim, sine qua dissoluta corrui rei militaris disciplina, ut inquitur uno maxime militum in ducem studio, ita odio labat. Nadasdus inde proditus ac desertus a suis, ad Solimanum captus in castra adducitur, qui eum ad Ioannem Regem, facta potestate de illo, ut visum esset iudicandi, perduci iussit. Qui quidem humanae sortis vicissitudinem miseratus, virum fortem proditum a suis, et minime ea calamitate dignum, cum eum pertinax fati vis potius, et communis error, quam certum animi indicium declinare ab officio coegisset, veniam petentem conservavit, et quidem adversantibus suis, qui in unius animadversione statuendum in multos exemplum proditae fidei,

ut credebant, et corruptae militaris disciplinae censebant, qui, deserto eo, quem legitimo iure creatum regem agnovisset, veneratus esset, ad eum transfugisset, qui quod regnum iure se adepturum non speraret, usurpasset armis, in magnum discrimen non solum Vngarorum regno, sed universa Christiana republica adducta. Sed horum ratio parum idonea ad eos in fide continendos, qui non poenae metu sed studio gloriae ducuntur, minime Regem movit suoapte ingenio mitem, atque ad clementiam prouum, tum prudenti et maturo consilio in pristina consuetudine manentem. Hoc verum maxime illius rationes postulabant, ut adversarium potentissimum aemulatus, cuius placidum ac mite ingenium homines laudibus in coelum ferebant, clementiae suae exempla potius ad reconciliandos eorum animos, qui iam alienati essent, constitueret, quam saevitiae ad eos alienandos, de quorum fide et constantia haud posset dubitare. Namque et illud verendum erat, ne qui Ferdinando studerent, magis temporis caussa, quam Ioannis odio, qui erant permulti, illius clementia diffisi, pertinacius in suscepta animorum contumelia manerent. Addit Iovius ad haec omnia, quo levius Germanorum militum flagitium possit videri, non prius illos vim Nadasdio fecisse, quam fumantes cuniculos, quos Turcae in arcem agebant, et tetro odore halantes, inspexissent, veritos ne si moram deditioi facerent, ab imo solo subruta arx, in cunctantium et moram trahentium capita verteretur. Quorum perfidiam Solimanus detestatus, immisso in abeuntes Ianizerorum agmine, interficiendos omnes da unum curavit, indignos arbitratus, quibus datam fidem servaret, sceleratis hominibus et detestandae memoriae, quibus sancta fides in ducem et praefe-

ctum suum non fuisset. Neque me tamen fallit, magni vindicem sceleris Solimanum graviter hoc loco a Iovio reprehendi, iniuria illum quidem, ut alios multos, quos caussa raro, saepius privatum odium, aut gratificandi studium, quibus minus debet, apud eum reos facit. Nam fidem servandam etiam hosti datam nemo negabit, qui sciat hoc uno quasi vinculo consociatam vitam hominum contineri, et belli certa iura esse, quae fide et constantia pari ad ultimum usque vitae discrimen sibi homines servanda censeant; sed non illud continuo concedet, iis, qui insideant publicas vias, quos iustissimo odio communes hostes, gentes nationesque omnes, igni, ferro, terra marique persequuntur, si modo cuiquam tutum commercium cum his esse queat, fidei religionem, cuius palam se hostes profitentur, esse servandam: aequae enim quis recte queat Camillum reprehendere, qui proditorem verberibus caesum ad hostes remisit, per obsides principum liberos, Faliscos dedentem, et Fabricium, qui spondentem suam operam ad Pyrrhum veneno tollendum, ad eum ipsum quem prodebat vinctum remisit; quibus non debuit bene merendi studium exitio esse, facilem victoriam de hostibus pollicentibus; fide enim eorum subnixi, et spe praemii pro egregie iis navata opera, ita se iis tradiderant in potestatem, ut non viderentur, si Iovio credendum est, ad poenam et supplicium remittendi. Sed hoc credo viros fortissimos statuisse, et quibus pluris sui victoria, quam de hostibus esset; qui suis obstrictam fidem tam foede violassent, haud dignos habendos, quibus perfidiae praemium apud hostes exstaret, humanitatis iura atque officii colentes. His rebus gestis Solimanus, quae una illi caussa expeditionis fuerat, Ioannem in regia sede collocavit, accepta

ab eo fide, quod regnum virtute sua atque armis partum suae ditionis atque imperii fecisset, ita sibi reditum administraturum, ut eo inconsulto, cuius beneficium esset, de eo cum nemine pacisceretur. Inter alias foederis condiciones hanc placuit addi, ut si quando accideret, ut Rex bello fessus de compositione ageret, id quod erat dubitandum, et postea accidit, integrum sibi ius relinqueretur ad regnum repetendum armis, cuius possessione, per violatum foederis ius beneficiarius rex excidisset. Inde ducenti Viennam, non minus alacri promisso praestando, quam fuerat speciosus virium ostentator, Paullus Strigoniensis Archiepiscopus, quem paullo ante a Ioanne Rege defecisse commemoravimus, cum Strigonium appropinquaret, assuetus in ducenda ratione officii sequi tutiora consilia occurrit, praemissis e suis, qui docerent, ubi liceret supplici in castra venire praesenti, dedere se, atque urbem simul cum suis omnibus paratum. Magnificum spectaculum barbaro visum, et unde laetum belli omen agnosceret ad spem regni capessendam, dignitatis principem locum tuentem in Vngariae regno secundum regis maiestatem, ad se supplicem in castra venire; ita prolixè et liberaliter pollicitus, cum ubi vellet se adeundi potestatem fecisset, in castra et mox ad se adduci iubet. Inde Paullus venerabundus imperatoris manus deosculatus, supplex errati veniam precatur, paucis excusato errore, quod a Rege suo defecisset, a quo esset pontificatus honore honestatus, qui summus honos apud Vngaros habetur. Dum haec agerent, universo exercitu, ingenti acclamatione, qui gentis mos est, Alla, Alla, quae vox est dei immortalis vim maiestatemque efferentium, ingeminante. Rem quidem dignam arbitrati, quare inter se gratularentur, quem Vngari sacrorum principem in ponti-

ficum collegio et sanctiore Regis consilio primum dignitatis locum obtinentem (venerarentur), quasi per minime obscuras rerum ambages, dei arcanum consilium per adeo supplicem deditionem aperire, Turcarum imperio Vngariae regnum submittentis. His peractis Solimanus supplicem consolatus, Ioanni tradidit, utrumque de se meritum facile patienti secum in gratiam redire, ubique exercitu infesto, populabundus ire Vienneam pergit. Ferunt Strigoniensem ad Ioannem Regem adductum, cum perfusus pudore et metu mali, horretet sui flagitii conscius, et a lacrymis aegre temperaret, ita imminens periculum et vitae et fortunarum, ut ipse credebatur, deprecatur: Fateor, inquit, Rex, ingens in te scelus a me esse admissum, sed eo maiore apud te venia dignum, quo magis te spero intelligere metus id, non liberi iudicii fuisse; deum immortalem obtestatus, ne Virginem quidem Matrem aequae luxisse filium humanae salutis auctorem in crucem actum, ac me persecutum te euntem in exsilium, regno ac patriis bonis spoliatum. Hic volentem pluribus institutam orationem persequi, interpellantem Regem ita excepisse aiunt: Atqui Virgo, inquit, ad crucem usque filium prosecuta est, tu, quod ultimum amicitiae munus Regi deberes, qui insigne monumentum sui amoris in te constituisset, ut eum ad supplicii usque locum deduceres, non potuisti a te impetrare, quo gravius flagitium esset, vix nuncio accepto euntis adversarii ad arma, ne horam quidem intercedere passus, quin ad illum transfugeret. Sed facit tamen tua aetas, mea consuetudo, per illustria humanitatis exempla inimicorum scelus augendi, nostram facilitatem et clementiam aequis et iniquis testificandi, ut, et te in gratiam nobiscum redire, et eodem honoris loco esse apud nos, in quo te initio regni nostri collocavimus, non in-

viti patiamur. Haud operae precium duximus singula deinceps, quae a rerum scriptoribus traduntur, de hac Solimani reliqua expeditione literis mandare; ita multa ad gratiam conficta, praeterita alia aut odio, aut studio animadvertimus, hinc Austriae familiae potentia, in quam unam maximorum regnorum potentem, tum erant fere omnium studia conversa; illinc multorum in Solimanum odio, ne qui scriberet suae fidei memor, libero iudicio, his explicandis uteretur, officiente. Captum ex itinere Altemburgum, Flexum veteribus, ut nonnulli arbitrantur, militibus cunctis, qui in urbis praesidio erant, interfectis. Inde ab imperatore missi milites duce Acangio, Quinqueecclesias celebre oppidum, ac longe lateque circumiectos agros populatum; qui late belli terrore fuso, non aetati, non sexui parcentes, Lincium usque Germaniae emporium omnia caedibus, populationibus, incendiis vastarunt, Vienna, in quam unam erat omnem belli molem Solimanus conversurus, integra in medio relicta. Interea Ferdinandus, qui haec multo ante quam accidissent, ut Oberdanskus docuerat, futura praevidisset, quasunque subito colligere copias potuit, quae adversus barbarorum impetum subsidio essent, Viennam misit, cum frustra, tum a Germanis, tum ab Vngaris opem implorantem omnia defecissent, quae laboranti in magnis rerum angustiis, sine ingenti Christianae reipublicae discrimine non poterant desiderari. Ingressi Viennam peditum equitumque ad XX millia, quibus praeerant magni nominis duces, et rei militaris gloria clari, Philippus Palatinus, Nicolaus Salmensis, Guilielmus Rogendorffius, Leonardus Velsius, Ardecus, quorum deinceps sumus suo loco mentionem facturi. In omnibus quidem bellis, quae superioribus annis gesta in Italia fuerant, ita erant omnes versati, ut



nulla essent belli munera, quibus obeundis, non insignia sibi monumenta gloriae constituissent, sive in acie cum hoste confligendo, sive pugnando ex insidiis, urbes obsidendo, defendendo, cetera administrando, quorum commendatione ad summos militiae honores pervenissent. Vnus quidem Salmensis comes, cui, praeter alia militiae decora, gloria capti Francisci Gallorum Regis debetur, memorabili proelio a Carolo V. Caesaris ducibus ad Ticinum victi, quam quidem laudem nonnulli nostrae aetatis scriptores, quibus quaestuosa fides, et foeda assentatio pluris fuit, quam gravitatis et constantiae laus, fortissimo viro ereptam aliis adiudicarunt. Nam et illius literae, recenti re ad amicos scriptae hoc affirmant, ut minime verisimile sit, ubi esset parum suae fidei memor, cum spe fallendi mentiri potuisse, quod tamen de tanto viro haud est credendum; et vivunt hoc tempore, qui audierint Ferdinandum Caesarem, magna cum fortitudinis laude tantum illi decus tribuentem. Neque vero in eo solum male cum Salmensi nostri temporis scriptores egerunt, sed in propugnatione etiam Viennensis urbis perscribenda, atque adeo multo maiore cum iniuria, insigne illius facinus, et dignum imprimis quod ad posterum transmitteretur, silentio suppressere. Nam cum e ducibus nonnullos exsultantes paullo ante animi ferocia, in his Caccianerum, qui, aliquot post annis, rem male ad Ezechum gessit, ex editioribus locis, immensis Solimani copiis perspectis, subitus horror, trepidatioque perfudisset, auctoresque essent, ut, subiectis ignibus incendendam urbem, cives cum iis, quae cariora haberent, adverso flumine in tutiora loca transvehendos curarent, et a tam foeda sententia sua auctoritate deterruit, et apta temporis oratione in officio confirmavit. Tantumne, inquit, dedecus potuistis

animo concipere, ut impositi in eius urbis praesidio, quae obiecta arx, et propugnaculum barbaris gentibus, conservata universo Christiano orbi salutis, prodita, sit exitio futura, aliquid propositum animo habeatis, quod sperata gloria, ex defensa et conservata honorificentius vobis, gloriosius, magnificentius sit? Nam si qui sunt quos fama terreat hostilis classis, quae ingentem tormentorum apparatus vehat, in his muralium inusitatae magnitudinis urbibus arcibusque excindendis: eos iubeo esse soluto curis animo. Stat enim nostra classis egregie instructa, qua Danubius Posonium praeterlabitur adverso flumine (classem, impetum) hostium invhentem exceptura, tanto quidem illa superior futura eventu, quanto iniquius certamen proeliantibus adverso, quam secundo flumine creditur, praerapido praesertim et omnium in Europa maximo violentissimoque. Terrerene potest invictos olim vestros animos nimia vitae cupiditas, mortis metus? At vere iam pridem dictum, decus, gloriam, immortalitatem morte venalem peti? vile enim horum precium vita, quae quidem ut beatissima etiam sit, et voluptatibus ac deliciis omnibus diffluat, estne cum ea morte conferenda, quae in omni posterorum memoria veram et solidam gloriam, laudem, celebritatem spondeat ea ipsa beatissima vita defunctis? Fingite vero, quod commemorare horret animus, vobis superstitibus, desertam a vobis, incensam, solo aequatam urbem hanc nobilissimam; cuiusmodi est vestra vita futura tanto scelere et flagitio contaminatis? Quae vero non beatior mors, ubi ea etiam sit per cruciatus omnes defungendum, ea vita, quae tantum flagitium scelusque admittentes manet? Natura quidem comparatum est, nihil ut sit homini in terris vita amabilius, sed ea

vita, quae sit eorum malorum expers, quorum redimendorum caussa homines, non aliis solum, sed sibi etiam ipsi invisi, voluntariam obeunt mortem? Atque alii quidem alia mala horrent, morbos, vulnera, egestatem, quae vitam hominum vexant; insignes homines maiorum nobilitate et domestica gloria, omnium malorum extremum ducunt infamiam, dedecus, ignominiam; ut credant, vitam, amisso nomine, existimatione, fama, sibi non beneficii loco relictam, sed ea lege, ut quo in plures proferant annos, longiore atque acriore supplicio plectantur; immortalitati, si ea lege comparanda sit, ut eam infamis vita comes sequatur, vitae interitum praeoptaturi. Primum fortitudinis decus, non timere mortem; inertiae et nequitiae extremum dedecus, eandem, cum sit nato homini necessario obeunda, obscuram domi, utinam non turpem et infamem, quod saepe accidit, quam in campo atque in acie obire cum gloria malle. Equidem hoc mecum habeo animum constitutum, nullum mihi mortali hac vita defuncto, in huius urbis aede augustissima posse erigi monumentum ad posteritatem illustrius, quam quod ego cadens pro patriae salute et Ferdinandi Regis victoria, id quod me iuvat sperare, in murorum propugnatione mihi constitutam. Nulla inquam mihi statua decreta, aenea, marmorea, aurea, nullus tumulus e Pario lapide, nullus e Numidico marmore, Porphyretico, quem docta artificis manus exstruat inter septem mundi miracula conspiciendum, cum eo conferendus, quem mihi in muris gloriosam mortem pro patria obeundo, meis manibus per hostium caedem et sanguinem parentaturus, aeternitati consecrabo; minime dubius quin grata posteritas, nostrae pietatis memor, eundem ipsum nostrum tumulum, qui honos haberi solet honesta morte pro

patria functis, laetis vocibus, sertis, floribus, festa fronde celebratura (sit). Forte parum vobis videar dignus, cuius exemplo sitis futuri meliores; certe ita ab ineunte aetate me domi militiaeque gessi semper melioribus parendo, ut si dicam a grandi iam natu homine, et maximis gerendis in rebus versato, habere adolentes, cuius aemulatione meliores fiant, non videar id mihi sumere arroganter; quod tamen numquam faciam, ut quisquam iure mihi possit vitio vertere. Nisi inter confertos hostes pugnando iam amnis gravis, pro muris stando, honesta vulnera adverso pectore excipiendo, vobis sim exemplo ad rem bene gerendam: non requiram, ut dicenti sententiam dignam vobis, dignam vestra in patriam pietate, Christianae reipublicae salutarem, assentiamini. Defendendam vobis urbem censeo, quam immanis hostis, aut per vim excissam, si id per nostram socordiam licebit, aut per voluntariam deditionem acceptam in fidem, sperat (neque ille quidem inani fiducia inflatus) universi Christiani imperii, nobilissimorum atque opulentissimorum regnorum, civitatum principumque populorum occasum secuturum. Quam illius spem, quamdiu vestri eritis memores, tum quae gloria victores, quae victos mala sint secutura, vestra virtus et magnitudo animi eludet. Sint vero illius copiae tantae, quantas ipse videri velit, qui his longe lateque stratos campos, montesque habet; minima tanti exercitus pars, quae non potest esse maior, quam quantum murorum ambitus amplectitur, est in oppugnatione urbis futura, quam munitam XX millium lectissimorum militum praesidio, et optimorum civium consensu, qui pro patria mori sibi gloriosum ducant, frustra est oppugnaturus, intellecturus certe, ubi etiam sit in acie pugnandum, verae virtuti

atque animi magnitudini imbellem multitudinem cedere. Vnum vero placet primum omnium agi, ne qua sit reliqua effugii spes turpem fugam honestae morti praefereantibus, quo ingenio qui sunt, saepe eos qui sua sponte sunt alacres atque impigri in pugnando futuri, suo exemplo a bene gerendo avertunt, qua Danubius transitur, pontes interseindi. Etsi enim virtus in iis nulla esse potest, qui ita se praeclare gerant, ut se praeclare gerant inviti: at quaestus et compendii loco habendum, esse improbis et socordibus non licere iis, qui sua sponte sint improbi et inertes futuri, id quod, pontibus excisis, est usu venturum. His Salmensis atque aliis in eandem sententiam dictis, conversis ad decus et virtutem omnibus, ita sententiam moderari placuit, ut quatenus de urbe defendenda ad extremum usque spiritum verba fecisset, omnes magno consensu assentirentur; de civibus in urbe retinendis ita statuerent (quo in rerum omnium discrimine, et ubi arcte obsessos omnia deficerent, saepe descensum esset), exhauriendam urbem multitudinis parte, emissis, qui inutiles ad arma ferenda, et ad toleranda obsidionis incommoda ex privatis fortunis, impares haberentur. Quod quidem decretum sua sponte foedum atque immane, praesens rerum status, ut necessarium videretur, et propterea neque iniustum, et maxime laudandum, effecit, ita natura rerum ferente, ut languentia corpora gravioribus morbis, non solum lenioribus remediis aliis, sed ustione etiam saepe et sectione curentur. Deformata quidem urbs atque orbata parte sui (interiit enim sive immani hosti praedae exposita, sive fame atque inedia enecta emissa plebs), sed quo incommodo levare tempore, per suorum virtutem ab interitu conservata, et simul

Christianum orbem liberare potuerit, cuius cervicibus superbus barbarus servitutis iugum acerbissimum se impositurum minabatur. Sic itaque duces Salmensis oratione ad fortiter sustinendam obsidionem animati, exquisitissimo delectu quae ad urbem praesidio firmandam erant necessaria futura, conquiri iubent. Horum cura, praeter maiorum tormentorum apparatus, quae centum numero ferebantur minora trecenta addita, quorum singula globum mediocri crassitudine, ad crebros repetendos ictus usus explicioris, emittebant, quorum procella scandentium Turcarum in muros agmina disiectum iri sperabant, cum inter murorum pluteos, qua spatium intermittebatur, disposita collocataque essent. Serius et sua et omnium opinione Solimanus Viennam pervenit, cum etiamsi nihil de celeritate remisisset, corrupta itinera perpetuis imbribus, et late restagnans alveo Danubius effusus, ingentes trahentem copias, et magnam impedimentorum vim, quod necesse erat, moratus esset. Nam neque licebat adverso flumine navigare, quominus impedimenta tuto veli navibus possent, rapido et vorticoso flumine prohibente tormenta maxime, quae desiderata, spei irritum Solimanum, atque eius minas conatusque omnes belli exitu eluserunt. Incidit Solimani adventus Viennam in diem IX. kal. octob. CIO. IO. XXIX. paullo ante quam Carolus Caesar Bononiae imperii insignia accepisset. Turcarum castra in V urbis regiones obversa, quae octo passuum millia quaquaversum occupabant. Nam a peritis ducenta quinquaginta armatorum millia adducta Viennam ferebantur, subducta ratione e loci spatio, quod perpetuis barbarorum agminibus densatum accurate inprimis dimensum descriptumque habebant. Mons erat aliquanto editior leniter

ab imo acclivis, qui ab urbe quidem modico spatio distabat, sed ut tamen tutus ab ictu maioris tormenti crederetur. In eius vertice olim sita arx, iam pridem cultoribus deserta eminebat, unde erat in subiectam planitiem despectus. Eum montem loci opportunitatem secutus Ebraimus ita insederat, ut apertum in urbem prospectum haberet, non ita magna valle se paullatim a summo colle demittente. Alterum agmen, cui praeerat Becrambeius, alter e Solimani ducibus, e regione portae, quam vulgo Burgthor, hoc est, castrensem portam (Iovius, detorto nomine, purgatoriam vocat), propter Vldrici aedem locatum erat. Tertium, quod ducebat Micalogles, secundum montis cli- vum in longissimum spatium productis castris pertende- batur. Contra portam quartum, quam Scotorum ad Danubii ripam usque vulgo appellant a propinquo portae Scotorum templo vetustissimo, in quo praeter Asaporum ingentem multitudinem, hominum genus aequae et ad pugnandum et ad faciendum opus aptum, erat Ianizerorum delecta manus, qui fossa et vallo muniti, fistularum crebris ictibus, quae manualia tor- menta (archibusi vulgo milites vocant, in eo militiae genere maxime exercitati) efficiebant, ne temere in muris propugnatores consistere auderent; certe hoc Iovius affirmat sive a studio insito ingenio portenta et prodigia edendi, sive a vero haustum, tantam horum peritiam fuisse, ut in murorum fenestras perangustas destinato ictu, unde obsessi in hostes ferreos globos e minoribus tormentis iaculabantur, immissa tela adigerent, atque in muris pro fenestris stantes milites interficerent, non visu a scopo, non manu aberrante. Illud quidem vere Iovius, quod ipsi quoque ab iis accepimus, qui tum in obsessa urbe fuerunt, tantam

sagittarum vim a Turca emissam, ut crebrae instar grandinis in eorum capita incidentes, qui ultro citroque per urbis vias discurrebant, magnam mortalium vim vulnerarent: adeo mali vim saevisse, ut cives se continere domi, et carere necessariis rebus, quam exire ingenti cum vitae discrimine, earum procurandarum caussa, et frequentare forum mallent. Tentatum eodem tempore a Solimano, an cuniculis capi urbs posset, qui illi conatus irritus cessit, soli natura oblutante eorum industriae, qui in opera erant, quominus, ut sperabat, procederet opus. Iam aequae frustra laboratum est fundamentis murorum excindendis, quibus subrutis, Solimanus sperabat aditum suis in urbem patefactum iri. Quod illi eo acrius erat agendum, quo magis muralibus tormentis indigebat, quibus proruti muri viam irrumpentibus in urbem sternerent. Sed, praeter alia belli incommoda, maxime Turcas terruit tristis cum Germanis commissae navalis pugnae eventus. Praeerat regiae classi, quae in statione apud Posonium erat, urbem Vienna unius diei iter distantem, Wolfgangus Oderus, Germanus, vir inprimis magni animi, atque industrius. Is cum accepisset, hostium naves, tum aliis impedimentis, tum tormentis muralibus et com meatibus onustas adventare, Posonio egressus, secundo flumine in advenientes infestus invehitur, qui cum aegre simul belli munia, simul nautica ministeria obire, atque explicare naves ad pugnam possent, adverso flumine, quominus naves consistent, cursu quam concitatissimo obsistente, quod accidere necesse fuit, in fugam coniecti, facilem victoriam et laetam hosti relinquunt, multis e suis interfectis, captis multis. E navibus submersae aliae, quibus tormenta vehebantur, perforatae aliae, captae



nonnullae, cum opulenta omnis generis praeda. Ita bene gesta re Germani Posonium, laeti victoria, redierunt; omnium quidem consensu adepti primam laudem perfecti ex sententia belli, magnam gratiam a Ferdinando Rege inierunt. Nemini enim dubium erat, quin subvectis ad exercitum muralibus tormentis, ac victa propugnatorum virtute, Solimanus pertinaci certamine esset urbem in potestatem redacturus. Turcarum aliae naves, quae a proelio superfuerunt, pontibus dolabris intercisis, quibus accessus Viennam patebat, totam eam murorum partem, quam Danubius aluit, ita arcte obsessam habebant, ut neque egrediendi cuiquam, neque ingrediendi facultatem, sine certo vitae discrimine relinquerent. Nam ut maxime Germani erumpere, et pauci cum multis conserere manum auderent, ita equites turmis confertis, pedites densatis ordinibus, ut non facile barbari, quantumvis firmo ac stabili gradu obnixa agmen perrumpere, aut proturbare possent: vincebat tamen hostium infinita multitudo, qui sua caede et vulneribus fessos pedem referre et sese recipere in urbem cogebant. Quorum virtutis Solimanus admirator, captum equestri pugna Germanum Volfgangum nomine, qui vexillum ferebat, et ad se adductum, dimisit virtutis et honoris ergo donatum oloserica veste intertexta auro, cum eundem iussisset obsessos ad deditionem adhortari, ubi inducerent animum parere salutaria monenti, spe facta incolumitatis, et multo honestioris fortunae adeo; malle enim se viros fortes et rei militaris peritos conseruare, cuiusmodi illos esse animadverteret non sine magna suae gratiae accessione, quam ultima perpe-sos, aut foedae servituti mancipari, aut mactari ferro, quorum alterum necessario esset victis subeundum.

Sed ille salutis magis suae, quam eius mandatorum memor, cuius illam beneficio redemptam haberet, facile passus esset ea animo exolescere, quae se posse praestare aut diffideret, aut, etiam si posset, nollet. In eo quidem Solimano visus gratificari, praedicanda illius magnificentia et liberalitate, qua se captivum habuisset; quod tamen agebat magis ingenio indulgens, cum totum hoc arbitraretur in domesticam laudem vertere, quam caussa ei gratificandi, cui se tantum debere praedicabat. Totum exinde tempus, quod Solimanus in obsidione fuit, cum et illi oppugnandi moenia spes omnis praecisa esset, et non auderent obsessi eruptione pugnare, quibus multitudine hostium circumfusus, difficilis receptus per insignia accepta detrimenta ad suos relinqueretur, ita traductum est, ut pro muris stantes urbem defenderent, etiamsi veteri forma exstructi, et parum adversus vim oppugnantium muniti essent, nullis interiectis propugnaculis et foras prominentibus, unde a latere peti hostis posset, ut una spes defendendi in propugnatorum virtute et constantia posita esset; quod illis diuturnum tamen non fuit, ita enim belli ratio admirabili casu distributa erat, ut neque Turca muralia tormenta, qui his maxime indigebat, et multa obsessi haberent, quae nulli usui essent, contra minoribus hostes abundarent, quorum erat eximius usus ad obsessos a murorum propugnatione arcendos, et indigerent illi, quibus cum e propinquo loco omni missilium genere peterentur, deessent minora, quae e superiore loco emissis globis, a muris subeuntes propulsarent. Ita aequata utrimque ratione belli, cum neutri quid deesset alteris ignorarent, una maxime cura sollicitum Solimani animum angebat saevitia iam appetentis hyemis, anni ra-

tio minime idonea ad rem gerendam , tantam praesertim hominum multitudinem ad bellum trahenti. Ergo reditum ad rem frustra in principio tentatam , et rursus coepti cuniculi agi, soli naturam patientem operis, pluribus partibus nactis', quae spem faceret opus aggressis, haud irritum laborem futurum, quae res minime Germanos fefellit, certa adductos coniectura , ubi minus procederet aperta vis, fore ut callidus hostis ad dolos et insidias converteret animum. Itaque ubi , per regionis peritos explorato soli ingenio, rem hostem eam tentaturum apparebat, qua lignonibus excissa humus minime reluctatura opus agentibus videbatur, non solum ad pervulgatam rationem recurrerent solo aurem admovendi, unde sonitum ferro effodientium captarent, sed alios ipsi excogitaverant, periculo imminentis exitii, cuius metu pavidi atque inertes homines hebetantur, excitante virorum fortium animos ad periculum omni ratione propulsandum. Nam et paropsides aqua refertas ita humi collocabant, ut quantumvis leviter commota aqua, nulla extrinsecus admota vi, indicio esset, subter cuniculos agi, iis qui in opere erant, dum foderet humum, crebro ferramentorum pulsu, motum terrae cientibus. Iam et militaria tympana, altera parte in solum obversa, ubi eorum intentissima cutis sonitum ederet, id quod accidere necesse erat, humo ex eorum repercussu subsiliente, qui in cuniculis fodiebant, quin infra opus fieret omnem dubitationem tollebat. Neque minus acri cura, qua muri labare, et minari ruinam viderentur, occurrebant, tigna praevalida, quae pro futura essent, ita muro interiori applicantes, ut si vehementius quassatus murus convelletur, in exteriorem partem procideret, subita ruina Turcas moenibus succedentes oppressurus. Id quod

non ita multo post usu venit; cuniculis enim ad eam portam actis, quam Carinthiam appellant, cum magna vi erumpens ignis muri partem foeda ruina stravisset, scandentes hostes, qua ruderum tumulus oppidum vadentibus aperiebat, Germani densato agmine, praelongis hastis propellunt, ac postremo pertinacius inferentem gradum facile de loco superiore deturbant, non se hostium virtute, sed loci iniquitate victos clamantes. Neque magis barbaris ex sententia audacia cessit, per proruti muri ruinam aditum ad D. Clarae molientibus. Eo quidem illis iniquius certamen, quo per aperti muri angustiozem aditum ingressus patebat. Itaque cum multis eodem tempore esset irrumpendum, aliis praecurrere aliis . . . . adnitentibus, expediti Germani, ex omnium delectu militiae usu et animi robore praestantes, impeditos loci angustiis excipiebant, tanta cum caede, ut postremo vincente omnia metu, non praefectorum adhortationibus, non clamoribus, non vulneribus, quae referentibus pedem ab infestis suis inferebantur, invitos instaurare pugnam cogentibus, quominus praecipites ruerent, moverentur, malle suorum ferro interire, quam hostium clamantes. Ita Iovius territosis ait, genti insolito genere armorum, praelongis gladiis et vastae magnitudinis, quibus Germani in proeliis utuntur, quod quidem non aequè semper probari potest. In campo enim et patentibus locis aliquid usus habeant, cum utraque manu arrepti, cuius rei caussa prolixo capulo aptantur, nisi per amplum spatium rotent, aegre administrari in hostem possint. In locorum angustiis, et ubi est confertim et densa acie pugnandum, minime habiles, non prius hosti infesti, quam suis incommodi habentur. Tam tristi pugnae eventu minime territosis Solimanus, advocatos duces,

adeo tristi atque acerba oratione accepit, ut vitae poeniteret, quam malo fato crederent ad tantum accipiendum dedecus, contumeliae insolentibus productionem contigisse. Eo, inquit, Turcarum res reciderunt, gentis ad hunc diem armis invictae, ut in capta urbe versantes pati potuerint partam victoriam sibi erripi e manu. Qui vos metus, qui pavor, quae trepidatio, quae formido, a solita virtute avocavit? Quis subitus casus vestra arma hebetavit, hostium acuit, lassavit atque accidit vestras, corroboravit hostium vires? Tanta infamae macula a nobis inusta Turcarum nomini, cuius splendore perstringi hostium aciem, victa concidere armatorum agmina, coelum ruere, fatiscere terram oportebat, poterit vobis in posterum vita iucunda esse; non optanda, non ultro appetanda mors, quibus laus, gloria, nomen, fama, vitae instar debuit esse? Enimvero desinite vivere, qui adhuc ignoratis, qui sit verae vitae fructus, esse homines, qui viri esse non potestis, imbellis turba ad lanam et colum in mulierum coetum ableganda. Cras est animus experiri, num quid vobis pristinae virtutis reliquum fecerit hesternae clades, an cum studio gloriae Turcae innato sit in vobis spes vitae exstincta, quae (nisi virtute statuitis vobis admissum dedecus obliterandum) quo productior, eo miserabilior et invisibilis magis vos manet. Ite alacres, et, receptis a pavore animis, corpora curate, cras capta urbe victores redituri in castra, aut honestam mortem, ut Turcas decet priscae maiorum virtutis memores, in murorum ruinis contra armatum hostem stantes obituri. Valuit usque Solimani oratio, ut ultimum virtutis specimen edituri, postridie eius diei, quo die male gesta res est, pugnam reintegrarent, adeo incensis animis ad delendam ignominiam,

ut omnia prius pugnantibus defuisse, quam virtutem, unam modo obstitisse naturam rerum, quae non patitur, quae vires hominum superant tentari, quominus voto potirentur, appareret. In stantes atque intrepidus emissae pilae e maioribus tormentis, quae idoneis locis a Germanis collocata erant, obfirmatos hostium animos adversus omnia alia belli incommoda, id quod necesse fuit, frugerunt. Ita frustra ducibus pugnam instaurare, et in propugnantes obvertera ora iubentibus, reiecti e muris magna cum caede terga verterunt, non prius se victos fatentes, quam cum vita devota suorum manibus hostium sanguinem Turcarum nomini consecrarent. In Viennensis urbis propugnatione Nicolaus Zrinius Comes, tum magnae spei atque indolis puer, editis insignibus fortitudinis documentis, quae sunt iam ab aliis literis mandata, tyrocinium posuit, dignus, cuius tam praeclara militiae auspicia, aequae illustris vitae occasus, quam pro patriae salute, immortalis gloriae pretium, eruptione ad Zigethum in hostem pugnaus magnae animae prodigus effudit. Hic exitus Viennensis obsidionis, quem si quis recte animo aestimare velit, facile intelligat, quam non magnae molis sit incumbentem etiam maximis viribus in Christiani nominis excidium communem hostem a nostrorum iugulis, quo habet intenta tela, avertere. Quod quidem non esset desperandum, ubi regum conversae vires in adeo gloriosam expeditionem conspirantium ab intestinis bellis, quas aequum esset salutare suis, exitio communi hosti esse, tollendae e terrarum orbe tam immani pesti intenderentur. Cuius rei omittendae si quis caussam quaerat, eam, quando aliunde non apparet, facile a deo immortali agnoscat, ultore humanorum scelerum, qui a cunctantibus in pietatis officio

persolvendo expetat poenas. Quas quidem gravissimas luunt, dum per auctas barbarorum vires, eorum dedecus atque infamiam, deus praecipites in mutuam perniciem actos, patitur a recta officii ratione evagari. Ergo Solimanus soluta obsidione, cum integrum mensum nequidquam omnia expertus tentasset, quibus spes esset redigi in potestatem urbem posse, re infecta discessit. Nam alia quae Iovius addidit, non lubet referre, missos a Solimano captivos et veste et pecunia donatos, qui, collaudatis Viennensibus, magna perfunctis virtute defendenda urbe, significarent, non se ullo in illos odio sed unius Ferdinandi Regis, in cuius exitium tantis instructum copiis obsessum Viennam venisset, perpetuum hostem, quoad vires animum consequerentur, terra marique bello persecuturus. Cum haec autem minime similia vero, tum illa plane falsa, quae de Strigoniensi et Perinio affert, nisi interposita Solimani auctoritate, Ioannem Regem non fuisse passurum sibi persuaderi, ut veterum iniuriarum memoria oblitterata, secum in gratiam redirent. Nam quemadmodum cum Strigoniensi acta res sit, iam docuimus; cetera suo loco mox commemorabuntur. Praemissis inde Solimanus, qui Danubium inter Pestum et Budam ponte iungerent, cum omnibus copiis Budam reversus, in arcem ingreditur. Inde cum imperasset, ut Ioannes et Vngari principes advocarentur, sacrum diadema, et cetera regni insignia, quibus de more creati reges inaugurari solent, imponi in mensa iubet. Mox, astantibus ex interioribus amicis, quos Visirios vocant, primae hominibus auctoritatis, et aliis nonnullis, ita Ioannem allocutus fertur: Perfuncti, dei immortalis beneficio, iusti Regis munere, quem maxime decet oppressos reges fortunae iniuria atque e loco excelso detur-

batos sublevare, quod reliquum est, praeclare inchoato operi imponimus optatum finem, et te semel acceptum in fidem afflictis tuis rebus amicum fratrem appellatum, quem verborum honorem iis impertimus, quos iustae preces, et illustria in nos merita nobis commendarunt; te Vngaris iam eorum suffragiis legitimum creatum Regem constituimus, potestati tuae tradentes regiam urbem, sedem imperii, arcem, urbes, et quaecunque in ditione regni Vngarici habentur, haud dubia spe, quamdiu vixeris, tuae virtutis, benignitatis, memorem nostri beneficii, posterosque tuos grati animi in nos posterosque nostros officia omnia persoluturos. Hic diadema regni insigne, hic sceptrum et cetera regia ornamenta, quae ita tibi tradimus, ut in his aequae insignia nostrae iustitiae, fidei, constantiae monumenta adnoscas, et nostrorum virtutis memoriam colas, quorum sanguine tibi recuperatum regnum, nostri iuris, beneficiique est factum. His dictis, ad Vngaros proceres, qui aderant, conversus: Ad vos quod attinet Vngari principes, inquit, nostra erit brevis oratio. Regem vobis tradimus, non prius nobis, quam vobis probatum, cui, ut eum honorem habeatis, quem postulat regii nominis maiestas, ad ceteras causas, quae vos impulerunt ut illi regnum statueretis vobis mandandum, nostrum patrocinium accedit; quod quanti vobis faciendum sit, satis multis vobis virtutis nostrae et felicitatis documentis ostendimus, quibus, ne nobis semper ad vim et arma sit confugiendum, sumus contenti futuri. Ac ne de vestra constantia et fide dubitemus, vestra virtus facit, qua fletos tanta exorta tempestatis procella non potuit ab officio et religione vestra dimovere. Ita enim eam in vos, liberosque vestros importuna Germano-



rum ambitione excitavit, ut desertum Regem et proditum e regni vertice in infimum fortunae locum deturbarit. Quae quamquam ita sint, pro meo iure tamen, quod sanctum vobis atque inviolatum coli par est, vobis impero, et per vos aliis, cuiuscumque illi ordinis et fortunae in regno Vngariae censeantur, ut, quod vobis regnoque Vngariae universo felix faustumque sit, eo loco Regem colatis, quo iura divina atque humana omnia, et iurisiurandi fides, qua vos illi obstrinxistis, requirit. Neque vereor tamen, ne vestra constantia et fides, quam egregiam in Regem vestrum, illius adversis rebus ostendistis, nunc cum est vobis, patriae, regno, nostra virtute et felicitate restitutus, magna quidem cum vestra infamia, sed multo cum iactura et pernicie maiore a vobis requiratur. Certe nihil vobis credimus esse certius, quam eam causam, quam semel nobis recepimus tuendam, quoad vires et vita supersit, nos adversus vim omnem atque impetum defensuros. Hanc Solimani orationem ita Ioannes excepisse fertur, ut nemo non videret, eum magis praesenti suae fortunae, quam ingenio obsecutum. Pro imperatoris divino in se beneficio propterea nolle se gratiis agendis prolixiorum esse, quod quas posset, nollet, cum multo infra illius meritum essent agere; non posset, quas deberet, et vellet. Ea quidem religione ac pietate animi, qua divina numina, secundum deum immortalem homines venerarentur, persecutum se auctorem salutis, iniuriarum ultorem, unum in terris, cui non vitam solum, sed vitae etiam ornamenta deberet, quae, qui esset adeptus regni honorem, desiderare simul, et vivere haud posset. Pro cuiusque merito regna donare, quibus visum esset eripere, innocentes atque innoxios vi atque armis ab iniuria

tueri, expetere a tyrannis et violentis poenas, dei immortalis unius esse, et cuius inter homines ipse tantum esse munus voluisset; eorum quidem se more, qui cum alieno aere laborarent, et non essent soluendo, ad creditoris liberalitatem confugerent, et fatendo se impares, precibus obtinerent, ut e tabulis inductum nomen pro exacto et soluto esset; ad illius clementiam se confugere, et ut pateretur in referenda gratia sibi voluntatem et studium animi pro gratiae relatione esse, etiam atque etiam orare. Cuius essent tantae opes, ut in bene merendo spem tolleret referendae gratiae, eum non in aliorum sed in sua conscientia recte factorum praemium positum habere. Hanc propriam esse Solimani laudem, hoc est regum atque imperatorum omnium maximi, optimi, potentissimi (qua laude raro deus natum hominem impertisset), ut cum unus mereri de omnibus praeclare posset, nemo esset qui haberet in quo de illo bene mereretur, quantumvis omnibus fortunae bonis, animi, ingenii afflueret. Iam pridem se animo, tum ex animi sententia conceptis verbis, se illis vitam, et quaecumque in vita iucunda essent, caput, fortunas devovere\*).

His peractis, Solimanus Buda motis castris, in Thraciam exercitum reduxit, ita in praesentia liberatis metu populorum animis, ut non tantum voluptatis ex barbarorum discessu, quantum moeroris e suorum desiderio sentirent, quos belli vis hausisset, partim interfectos ferro, partim in foedam servitatem abductos. Sexaginta quidem captivorum millia, ait Iovius, discedentem Solimanum secuta, tanto quidem om-

---

\*) A Bécsi Codexben itt végződik a VIII-dik, s utána kezdődik a IX-dik könyv.

nium luctu, ut rara fuerit domus in Ferdinandi ditio-  
 ne, quo belli vis pervasisset, tantae calamitatis ex-  
 pers. Praeter aliam iacturam sacrum diadema amis-  
 sum lugebant, cuius recuperandi caussa, magnae con-  
 certationes et discidia, bellaque adeo inter superiores re-  
 ges, et Fridericum Caesarem gesta essent. Atque quan-  
 do ad hunc locum ventum est, paucis placet, quemad-  
 modum in manus Solimani pervenerit, commemorare.  
 Erat diadema in Petri Perinii potestate, adhuc ante  
 Ioannem creatum regem, illius, ut alibi diximus, eo  
 asservando collegam, qui honos semper summis homi-  
 nibus haberi consueverat. Facile vero Ioannes apud  
 eum regno potitus, cum reliquis regiis ornamentis ma-  
 nere passus erat, amicissimum sibi hominem, ut crede-  
 bat, et de cuius fide minime esset dubitandum, quae  
 illum mox opinio fefellit. Nam simulatque de Ioannis  
 rebus desperari est coeptum, ad Ferdinandum multis  
 illius promissis et muneribus delinitus, cum regni co-  
 rona, quo defectio esset speciosior, transiit. Inde va-  
 riante Regis fortuna, cum iam Sirmium Solimanum  
 pervenisse, et Budam cum exercitu numerosissimo  
 contendere Perinius audisset: desperata venia, in cur-  
 rubus regiis, cum liberis, pretiosis quibusque rebus  
 impositis, ad arcem quam Soklos vocant, profectus,  
 inde Sarospatak petiturus, in proximum pagum diver-  
 tit Kaydacz nomine, ad flumen Sarviz situm, quo in  
 loco pernoctare constituerat. Cuius rei famam cum  
 Ioannes Szereczen accepisset, Ioannis Regis necessa-  
 rius, assumpta peditum atque equitum manu, pagum  
 invadit, ac Perinium nihil minus expectantem cum  
 suis omnibus, uxore, liberis, pecunia, argento, et  
 pretiosa suppellectili, regiisque ornamentis omnibus  
 captum ad Ioannem Banfium adducendum, et cum

cara asservandum curavit, de cuius constanti in Ioannem fide supra mentionem fecimus. Is illum captum ad Sopronezam, positum in sua ditione oppidum, transmisit, unde mox ad Solimanum castra ad Mohacium habentem, cum regiis insignibus, uxore, et liberis est adductus. Ita Solimanus cum corona regio ornatu potitus, omnia discessurus Ioanni cum fide traderat, Perinium inprimis, cuius aut perdendi aut conservandi arbitrium penes illum unum esse voluit. Qui quidem nondum victa clementia insita animo tot inimici iniuriis, molliter castigatum, cum liberis et uxore ac domesticis copiis missum fecit. Quo tanto illius beneficio haud placatus, cum diffisus animi conscientia, non sibi vere Ioannis animum redditum, et memorem potius futurum alienae iniuriae, quam suae fidei putaret: ad Solimanum nuncios cum mandatis misit, quorum summa erat, ut, pro sua in victos clementia, pateretur a se acceptum in fidem, ab inimico rege, certe de cuius in se suosque animo intelligeret sibi esse semper dubitandum, liberum agere. Quidquid consuevissent illius ditionis homines pendere tributi nomine, in singula capita impositum persoluturum. Quae res frustra tum ab illo tentata, et mox repetita, parum abfuit, quin illi exitio fuerit. Antequam Buda Solimanus moveret, Ludovicum Grittium apud eum reliquerat, ut cum Cassono Vaivoda, atque equitum ala rei militari praecesset, veritus ne Vngaris in fide Ioannis Regis nutantibus, Ferdinandus aliquid moveret, quem minime quieturum apparebat, gloria insigni nitentem, a Viennae moenibus reiecti hostis. Probabile quidem videbatur tanta virtute et constantia a Germanis defensam urbem, populorum studia commovisse, facile semper quo secunda aspiraret fortunae aura

propendentia. His adiunxerat navales copias, atque expedita navigia nonnulla, quae Vngari Nasadas vocant, quibus Numin Vaivodam iusserat praeesse. Hoc praesidio Ioannes adversus subitos casus munitus, quae una cura illi prima erat, ad res componendas, et concilianda sibi adversariorum studia animum convertit, rem, ut docuit eventus, imprimis difficilem factu: natura in magnis ingeniis ubi semel offenderint extorqueute, ut ad ea quae perperam admisere, pertinaciam addant, ne si resipiscant, damnati suo testimonio videantur, quasi levius peccatum sit, iterum, quam semel peccasse, et ad ea quae mala sunt, sit pertinacia accessio quaerenda. Nam indictus conventus, cum, in magna ordinum infrequentia parum recte respública possit administrari, brevi solutus, animos per hanc occasionem nudavit, magno subito partium discidio orto, cum alii, qui Ferdinando studerent, quasi contumeliae caussa Germani, qui Ioannis studiosi essent, Turcae invidioso nomine appellarentur. **Ita iam** ante divisum regnum, praeter externa arma, quae tantum pestis in populos invexerat, intestino malo afflictum ruere ad interitum coepit. Inde caedes, incendia, urbium direptiones, et agrorum vastitates, quae non ferendae clades a Turca illatae, multo funestiores illatae a suis acerbioresque videbantur. Erant vero, ut varia hominum genera, ita caussae diversae, quae eorum animos a Ioannis caussa averterent. Multos movebat semel susceptum, numquam intermissum in Ferdinandum studium, Regem optimum et placido ac elementi ingenio, quae laus ne ab hostibus quidem illi poterat negari, alios qui initio dissensionis a Ferdinando defecissent, sive constantia sive pertinacia animi, quam constantiam videri vellent, vitio facile affinis virtutis speciem susci-

piente. Hi omnium maxime infesti, maledicendi ansam arripiebant ab excitationis Turcarum armis in patriae excidium; quam quidem iusto rectore et rerum moderatore indigentem, cuiusmodi eum sibi finxisset non ob eam causam dicerent non poscenti ultro obtulisse regnum, ut Turca hostis per speciem eius tuendi, id sibi praedae dari postularet, quod esset unius regno restituti iniustissimum praemium, si vere modo restitutus regno, et non Turcae mancipium, quod numquam esset fando auditum, rex tantus verius factus videri posset. Nulla cuiquam regna tanti videri debere, quantumvis magna atque opulenta, ut non his potior esset laus habenda, quae contemnentem regni honorem patriae causa sequeretur. Quod porro illius regnum esse, cuius non se prius compotem fore sperarit, quam turpi servitio regis barbari mancipatus se illi simul, suos, patriam proderet? Tantum effundere sanguinis, Vngaros tantam perpeti malorum molem, non pro unius honore, sed pro patriae salute, pro regni finibus propagandis, Christiana republica tuenda debuisse, cuius Solimanum arbitrum, si superis placeat, eius beneficiarius Ioannes Rex, et cliens fecerit illi regno per summum scelus atque iniuriam oblato. Interea Ferdinandus Vienna barbaro hoste propulsato, cum successu elato fiducia atque animi crevissent, intentissima cura suos delectum habere, et com meatu comparare, ac praeter alium bellum apparatus, omnis generis tela et tormenta expedire iubet, moliens animo Budensis arcis expugnationem, qua potitus sperabat non magno negotio se amissa recuperaturum. Delectus e regibus Gulielmus Rogendorffius, vir celebris nominis atque ut iam diximus, in Italicis bellis diu magnam in re militari gloriam

adeptus, penes quem summa imperii esset. Quae omnia cum accurate atque industrie essent administrata, pari celeritate usus Rogendorfius infesto agmine in Vngariam ingreditur, atque populabundus praedari, ac ferro atque igni vastare omnia instituit, cunctis aequae infestus quicumque Ioannis partium studiosi in armis essent. Quibus gerendis dum tempus terit, magna opportunitate amissa, adhuc a bellicis rebus imparatum opprimendi Ioannes cum Grittio communicatis consiliis, urbem firmare Turcarum praesidio, quo militum genere, dubia suorum fide, maxime uti constituerat, muros instaurare, exstruere aggeres, opportunis locis tormenta collocare, militi stationes certas distribuere, duces deligere, commeatus aliaque ad urbis defensionem comparare instituit. Erant tum Budae regii duces, cum primis rei militaris periti homines, Emericus Cibacus, Gregorius Pestensis, Stephanus Verboecius, Simon Attinaius Litteratus, cuius pridem mentionem fecimus, aliique, quorum erat in bellicis rebus regi perspecta virtus, et maxime probata fides: de quorum consilio ad Turcarum praesidium augendum, Pestanos ex delecta iuventute, qui apti ad arma ferenda erant, in urbem accepit, quorum fideli opera, et strenua, toto bello est usus. Eodem tempore, quo haec Budae ita comparabantur, Paullus Strigoniensis Pontifex, quem secutum Solimanum Viam diximus, per hostis discessum solutus metu, rursus ad Ferdinandum defecit, sive diffiderat Ioannis animo, sive ita se crederet emendare inconstantiae culpam, qua apud Ferdinandum offenderat. Ergo Ferdinandus \* mensis Novembris CIO. IO. XXX. \*)

\*) Brutusnál a hónap napja hiányzik. — Vrsinus Velius scripsit Roggendorf oct. 31. érkezett Buda alá. T. F.

parum idoneo tempore ad rem gerendam, adductis ad Budam copiis urbem circumscedit, aut vi aut deditione in potestatem, ut sperabat, redacturus. Per eosdem dies Ioannes Thomam Nadasdium, quem captum et a Solimano dimissum redisse in gratiam supra commemoravimus, Ioannem Zerecienum, Franciscum Kapolnaium, et Cassonum Vaivodam, cum Turcarum manu expugnatum Zigethum miserat, positam arcem in Valentini Toeroeki ditione. Quorum copiis cum arcte Ioannes obsessus maxime indigeret: litteras scriptas sua manu, quibus privato annulo sigillum impresserat, per eundem Zermegum, e cuius monumentis haec haesimus, ad regios duces Zigethum misit. Agebat tum Zermegus Albae Regiae apud Stanislaum Praepositum urbis, ut vocant, cui erat negotium datum ut per sibi fidum hominem atque expeditum curaret Zigethum perferendas. His verbis scriptae litterae dicuntur: „Buda obsessa, urbs in nostra est potestate. Festinate, vestrae virtutis et fidei memores.“ Regii duces, Nadasdus et Zerecienus, lectis litteris, cum quanto in periculo res versaretur cognovissent; Albam Regiam cum Turcarum copiis contendunt, nihil sibi reliqui ad summam celeritatem facientes. Kapolnaius, quae causa non traditur, collegis discedentibus, ad Germanos transiit. Interea Praepositus Albensis, vir, ut apparet, eximiae in Ioannem fidei, Nadasdium et Zerecienum impense hortatur, ut quantum maxime accelerare possint, ire properent Budam, atque urbem ingredi, et ferre opem Regi obsesso cum suis maturent. Ita illi, et sua sponte incensi, et Albensis adhortationibus, inprimis regiis litteris confirmati, Budam ire cum suorum agmine contendunt. De quorum adventu Rogendorfius cum ab exploratoribus certior factus esset, equitatum



Germanorum atque Vngarorum praemissum ingredi conantes idoneo loco excipere, atque ingressu prohibere iubet. Ita vero erat viribus superior, ut de victoria haud crederet dubitandum; qua potius sperabat et urbem et regni aemulum, cum universis regiis ducibus in Ferdinandi potestatem redacturum. Cuius consilio regii per exploratores cognito, diffisi numero, quo hostes superiores erant, optimo consilio in praesentia omissa incepto, Albam redierunt, tertio postquam inde profecti erant die. Mox Nadasdus sub vesperam urbem ingressus, Praepositum docet, quid sui consilii sit, quod quidem ubi ceteris probari intelligat, Budam sibi aditum vi patefacturum spondet. Erat Blasius Kochius, vir inprimis regionis peritus, qui se tuto Nadasdum cum suis Budam deducturum per notos calles, et devia itinera pollicitus erat, qui cum facile ducibus rationem sui consilii probasset; ex his Nadasdus, antequam rem cum Praeposito conferat, ut mos gentis est, vini poculo hausto, non prius esurum se, ac vinum sumpturum spondet, quam voti damnatus, in Regis complexum veniat: si secus faxit, diris capite defixo. Neque in eo passus est suam fidem requiri, non ita multis postea diebus Blasio duce itineris, una cum Zerecieno, et Cassono Budam, falsis Germanorum custodiis, ingreditur. Quo regiorum successu minime territi hostes, acrius urbis oppugnationi insistentes tribus partibus murum tormentis demoliuntur, priore, qua per vicum Logod erat ad moenia accessus; ad Raskaiorum domum altera; tertia, qua domus Orzaghorum erat sita: quibus locis Germani, ad rem gerendam comparatis animis, spei et fiduciae pleni, a tribus simul locis divisim partibus, urbem per murorum ruinas scandentes adoriuntur. Quem irrumpen-

tium impetum facile propugnatorum virtus et constantia disiecit, iis magna cum caede loco excedere, ac terga vertere coactis. Quo cognito Rogendorfius, ne incerta spe proventus, militum numerus imminueretur, missa in praesentia oppugnatione, urbem premere obsidione constituit, sive ipse coniectura suspicatus, sive certior factus ab obsessis, quorum nonnullos in magno numero verisimile est Ferdinandi rebus studuisse, non diuturnam obsidionem futuram, amona in dies crescente, cuius exiguam facultatem in non magna urbe auctus propugnatorum numerus efficiebat. Cum vero alia genera commeatuum, tum frumenta maxime defecerant, magno valetudinis incommodo inclusis, ad equinas carnes, et foeda alia quaeque necessariorum rerum penuria, descenditibus; affirmant quidam, qui tum in obsessa urbe fuerunt, generosos equos missos factos pabuli inopia, qui enecti fame passim per urbis vicos oberrantes moriebantur. Neque in urbe modo, sed in regia quoque ultimo malorum omnium laboratum fame. Missus quidem ad Regem a nobili homine equus esculentis varii generis onustus ad mensae usum, tanto plausu est acceptus, ut singulis, qui munus attulerant, Rex decem aureos Vngaricos, adiecta veste optimae notae, iusserit numerari, in magnis rerum angustiis ingens habitum munus. Quaequamquam ita se haberent: non minus tamen Germani in castris laborabant, adverso anni tempore, et in magna cœli inclementia vix ferendo frigore iis, qui sub tectis in oppidis hiemarent. Accesserunt perpetui imbres, quibus pertinacius tenentibus, praealto coeno corruptum solum iuxta hominibus et iumentis incommodum, ingredientium vestigia non admittebat, ut deteriore conditione, quam obsessi, ii qui obside-

bant haberentur. Nam, quo uno malo inclusi vexabantur, famem quoque Germani iam sentiebant, cum lubrica ac coenosa via, ubi aut aquatum aut pabulum ire oporteret, afflictis in vestigio iumentis vehementi nisu eluctanda vis ingentis coeni esset, ita haerente pede tenaci gressu, ut neque ulterius progredi, et in castra regredi aegre limine progressis liceret. Quibus incommodis Germanis conflictatis, quo soluere opinione maturius obsidionem cogentur, accessit pestilentiae lues, qua promiscue multi mortalium desiderabantur, nemine opem implorantibus ferente, quam negare iis infensum numen credebant. Interea Rex Grittiusque, quos minime fugiebant, quae in hostium castris gererentur, adiuvandam proclinatam rem consilio, non solum armis arbitrati, crebris litteris nunciisque sollicitare Mahemetem Bekum non desistebant, ut iam ultima perpessis ferre opem ne cunctaretur: non esse dubitandum, quin ubi apud hostes percrebresceret, iam sua sponte ingenti mole malorum territos, cum cum suis copiis adventare, multis detrimentis acceptis, essent re infecta discessuri. Eodem tempore Ioannes Banfius quaquaversum missis conquisitoribus, non contemnendam militum manum, partim ex agrestium, partim e nobilium delectu coegerat, qui omnes voluntarii liberam militiam exercebant, ob sesso Regi subsidio iturus. Quem cum Ioannes cognovisset, cum Grittio communicato consilio, ubi Banfium propius adventare et Mahemetem audivit, cum suis urbe egressus, Germanorum castra adoriri domesticis fretus viribus constituit, ipse per se par iis expugnandis, ut etiam externa auxilia abessent. Nam et vegetioribus viribus inclusi tectis domorum et adversus hiemis iniuriam vaporariis gentis more foveban-

tur, tum equorum esu famem toleraverant, cum quidem corporum robore superiores Germanis, ne inferiores quidem virtute, numero IIX mill. fere veteranorum essent. Quarum rerum fama accepta Germani, omissis in praesentia ferocioribus consiliis, quibus explicandis nullus exitus expediebatur, discedere constituerunt, non se hostium virtute, sed temporum iniuria, suorum inprimis, a quibus foede se destitutos querebantur, victos praedicantes. Ita obsidionis metu Rex per Germanorum protectionem liberatus, quod instituerat, ad regni statum tot belli cladibus quassatum, per conciliatam inter populos concordiam constabiliendum animum convertit. Eodem tempore Paulus et Blasius Artandii fratres, quos in fide nutantes Rex comprehendendos et asservandos diligenti custodia curaverat, inconsulto Rege, a Grittio iussi capite plecti, magna quidem Vngarorum offensione, qui in paucorum morte nobilium hominum, reipublicae interitum, et commune patriae fatum agnoscebant, pari Ioannis Regis invidia, suopte quidem ingenio indulgentis suis et a caede atque a sanguine abhorrentis, sed quem illectum plausibili regni nomine, quo nulla tetrior servitus, et dirior regnanti esset, suam et suorum libertatem addixisse barbaro regi, in omnium exitium imminenti, de cuius sententia haec agi credebantur, appareret. Nemo quidem dubitabat, quin ambientibus Vngarorum studia clementiae opinione, nihil magis, quam fama crudelitatis esset declinanda. Quae qui poterat vitari, cum, eo invito et repugnante, quod servientis non regnantis indicium esset, de suis supplicium sumptum homines intelligerent. Verisimile est eo esse descensum, ne e nobilitate alii, Regis nimia facilitate atque indulgentia subnixi, sperarent in-

posterum defectionem impune fore, cum iis levis castigatio verborum pro poena fuisset, si regni legibus moribusque esset standum, capitalem promeritis. Aliud vero praeter hoc incommodum accedebat, quo magis spe conciliandorum sibi Vngarorum excideret; qui in Ferdinandum uno nomine essent propensiores, quod vere rex et sui iuris in constituenda poena aut praemio nullius aut gratiam respiceret, aut offensionem vereretur. Nam, ut minus illi Ioannes concederet voluntate atque animi studio; facultate assequendi quod vellet vincebatur, Solimani imperio ita addictus, cuius beneficio regnabat, ut non temere in quemquam aude- ret pro merito animadvertere, sive male de se, sive praeclare esset meritus: cum omnia soluta Ferdinando essent; nemine quominus, ut esset visum, in suis aut severitatis monumenta, aut clementiae constitueret, prohibente. Omnium vero maxime illius spei obstabat multorum e principibus sive ex honoris aemulatione, sive ex Ferdinandi studio, cui per hanc rationem se gratificari sperabant, susceptum pertinax odium in eum, cuius clementia diffidebant caussa diffisi; sed multo magis unius Perinii superba contumacia, quem in potestate sua positum, nulla significatione placati animi, nulla clementiae ita potuerat delinire, ut animum induceret, eum regem agnoscere, et quidem quod odii inexpiabilis argumentum haberet, sua maxime suffragatione regnum adeptum: Ita vero, cum Solimano egerat de se exsoluendo ab illius imperio, ut nullam conditionem, qua se illi obstringeret, re impetrata, recusaret, cuius rei a nobis supra mentio facta est. Hoc vero ne videretur postulare Ioannis odio, cum eo Ferdinandum iungebat, pollicitus neutri contra alterum auxilio futurum; quod illi tamen, sive per alias

caussas , sive per ingenii mobilitatem, cuius impotens erat, non licuit. Inter ceteros populos, qui acrius a Ferdinando partibus stabant, Slavi habebantur, a quibus Illyrii Mediterranea pars, quae Vngaris regibus pareret, Slavonia creditur appellari. Et principes quidem variis artibus Ferdinando conciliati, plébem facile in officio continebant, cuius. . . sensim exolescente veterum Vngarorum regum gloria, novi Regis gratiam respicerent, nobilitate, potentia, opibus et multarum gentium imperio florentis. Augebat hominum studia innocentiae et iustitiae laus, quas quidem virtutes vere insitas animo, et perpetuo studio excultas, populi clementi ac miti imperio habiti laudibus in coelum ferebant. Omnium vero maxime erat in hominum ore, quod consentiente fama iam ad gentes omnes pervaserat, magna cum gloria defensa Viennensis urbs, et Solimanus tantus hostis foede e regni finibus exturbatus. Quae omnia per se laudanda, multo magis plausibilia reddebant iidem Ioannis inimici; qui, efferatis odio animis, quantum Ferdinando tribuerent, tantum detrudere se de illius laudibus rebantur, invidiae maxime initi cum Turca foederis odium praetexentes. Interea Ioannes, ut superioris fortunae memor, et cuius illa gratia erat perfunctus, de Gritto honestando insigni honoris titulo, quem primum salutis suae auctorem agnoscebat, agere instituit, cum ipse sua sponte, tum monente maxime Laskio, cuius illi opera erat conciliatus. Id autem ita erat agendum, ut in habendo illi honore, Regis maiestas ne imminueretur, id quod videbatur futurum, ubi illi oblatum titulum potestas aequaret, quae non poterat exigua ab paullo illustriore titulo honoris proficisci. Ergo cum Regi plane constitutum esset in optime de se meritum hominem grati

animi significationem aliquam dare, neque facilis ratio explicandi consilii ostenderetur, ne inconsultis suis, temere acta res in invidiam verteret, placuit de eo in suorum frequenti consilio referre. Erant qui maxime Gritto faverent Verboecius et Laskius, atque is quidem, cuius in eo praecipue partes videbantur: Eius enim precibus, ut suo loco diximus, Grittius exoratus susceperat Regis caussam apud Solimanum per Ebraimum agendam, qui tum supremum gratiae locum obtinebat, virum minime malum et suo ingenio in nostros propensum, quorum sacra occulte colere, veteris religionis memor quam a primis annis imbiberat, credebatur. Ita cum horum sententia esset, ut cum Gubernatoris titulo a Rege summae rerum praeficeretur, alii ob eandem caussam quam diximus, dissuadebant, cum negarent cuiquam tradi munus posse, sine insigni Regis offensione, cuius dignitatis aequum esset in primis rationem haberi. Et vero contumeliosum regio nomini, et non ferendum videbatur, annum iam quinquagesimum natum, vegetis animi et corporis viribus, cum sapientiae maxime commendatione, praeter alias regias virtutes, ad regnum pervenisset, tamquam impari sustinendo regio muneri statuere cuiusquam arbitrio atque imperio regendum, cum regendus non videretur. Speciosum tutoris et Gubernatoris nomen, aut si quo alio nomine appellari placeret, quod eius iuris cognitionisque esset, cum illud necessarium redderet regis aut aetas, aut imbecillitas, quod accidere haud raro consuevisset. Neque vero in praesentia de eo homine agi, qui titulotenus honestatus induceret animum potestate muneris carere; neque de eo rege adeo, qui aptior insignibus regiis gestandis, quam administrandis rebus, contentus regis nomine, aequo ani-

mo regium munus ab alio administrari, extero praesertim homine, pateretur. Nam ne Vngaris quidem hoc honestum futurum, ut regem ferant, cui quasi puero, aut mente moto, sit custos, cuius prudentia et consilio regatur, et tutor apponendus. Quae quamquam, ut erant, permagni facienda viderentur, vicit tamen apud Regem ratio, ut tempori, quando hoc praesentes rerum angustiae extorquerent, statueret seruiendum, nondum regni rebus ita constitutis, ut Solimani maiestas in gratiosissimo apud illum homine, per negatum honoris titulum esset minuenda: quid enim si Carolus Caesar iam constitutis Italiae rebus, quae avidum gloriae animum a gerendo sacro bello avertissent, a fratre exoratus, cui deesse haud posset, in Vngariam transferret arma? Quam infestus hostis Solimanus, quam amicus constans esset, iam pridem periculum factum, ne quid sibi temere committendum Vngari existimarent, qua re lacessitus, non iam pro Ioannis regno, ut adhuc fecisset, sed pro Turcarum imperio adversus hostem potentissimum gereret bellum. In hanc sententiam tutiorem illam quidem, quam speciosam, ut credebant, sed cuiusmodi, ea tempora postulabant, Laskio maxime et Verboccio adnitente discessum est, magna cum eorum offensione, qui contrariam sententiam tuebantur. Parvi enim referre credebant prudentes homines, et constantes tuendo patriae iure, utrum ita Ioannes regnaret, an privatus ageret, exclusus regno: certe videri mitius malum, privatum incolumi dignitate, et patriis fortunis, quam regem servire. Quod videbatur vix Ioannes effugere posse, ubi ad Gritti nutum, superbi hominis cum suo ingenio, tum fortunae indulgentia, se circumagi pateretur. Ita cum regium diploma, principum manu signisque ob-



signari oporteret, nonnulli suae constantiae magis, quam rerum praesentium memores, in his Ioannes Statilius Transilvanorum pontifex, Albae Iuliae Praepositus, Thomas Nadasdius et Simon Attinaius, suis signis, maxime ab eo aversi, se obsignaturos negarunt. Quae eorum constantia magnam postea in illos offensionem apud Grittiū concitavit. His rebus ad hunc modum constitutis, Ioannes Rex Varadinum, Grittius in Thraciam, Constantinopolim abiit. Non ita multo post (per quem interpretem non traditur) inter duos reges pactae induciae. Quo quidem tempore cum de Strigonio, propter Archiepiscopi postremam defectionem, controversia incidisset, delectis arbitris Poloniae Regis et Ducis Saxoniae legatis, qui de eo, ut visum esset, ex sua fide statuerent, iudicium, urbe apud eos sequestri nomine deposita, permissum est. Eius rei procurandae caussa, a Ioanne Strigonium missi Praepositus Albensis; et Bernardus Baxaius, a Ferdinando Franciscus Revaius, qui tum in Ferdinandi partibus Palatini munus administrabat, et Emericus Nagius. Ibidem iussi cognoscere de iis, quae adversus induciarum foedus admissa arguerentur, facta ab utroque rege potestate, pro sua aequitate et fide in criminis convictos animadvertendi. In magna quidem licentia armorum, quae sequi fere graviora bella solet, cum alii avidi praedae, in diversis regni partibus, tum Ladislaus More, quatuor nobiles Vngariae comitatus, Albensem, Simigiensem (olim Sirmius erat, cum aliorum fructuum, tum vini generosi ferax regio), Tolnensem, et Vesprimiensem, hostiliter obvia quaeque vastando et depopulando, exurebat, omnibus aeque infestus, qui non sibi tantam belli cladem ea pecuniae vi, quam ipse imperasset, redimendam statue-

ret. Et in hunc pariter et in alios, qui neutri regum addicti liberam militiam dicerent se profiteri, permisum Ioanni de quatuor virum sententia, ut sumeret arma. Qua sibi concessa facultate, Laskium cum Vngarorum et Turcarum copiis ad Ladislaum bello persequendum mittit, iussum in Palota, arce suae ditionis, inclusum obsidere, quo eum concessisse imparem pugnando audierat. Verisimile quidem erat, qua sperabat se tutum futurum, in ditionis suae oppidum, acceptis nunciis de Laskii adventu, sese recepisse. Cum his mandatis Laskius profectus, adductis ad Palotam copiis Ladislaum More circumscedit, non prius, quam in potestatem redactum Ioanni traderet obsidionem soluturus. Quam illius spem Vngari solertia facile frustrata est. Cum desperaret se diu obsidionem tolerare, noctem idoneam per interlunii tempus ad fugam tegendam nactus, e muris demissus profugit. Neque ob id tamen Laskius ab obsidione discessit, evertendam arcem, certum sceleratorum hominum receptum, atque a solo excidendum, quo exemplo ceteri a latrocinandi licentia deterrentur, arbitratus. Itaque accersitis e vicinis montibus, qui in fodinis opus ad metalla faciebant, testudinibus tectos succedere per noctis tempus ad moenia, et subruere murum a fundamentis iubet. Neque spem ducis consilii exitus fefellit. Brevi validis ictibus ab imo murus quassatus, cum eodem tempore incensas faces, ac virgulta sarmentaue iniecissent, qua crebra apposita tigna murum fulciebant, subito coorto incendio procidens murus, aditum ad interiora arcis patefecit. Ita capta ac direpta inventa opima luculenta praeda, quae tum Turcas, tum Vngaros milites ditavit, multum signati auri, et argenti, multum facti infectique, inprimis pretiosae suppellectilis in-

gens vis, quam in magna et divite domo, multorum perpetuum studium, per longum annorum spatium instruxisset. Duo Ladislai filii, quorum alter mas, femina altera, ad Ioannem adducti, quos, quamdiu vixit, in custodia habuit, innocentes patris culpam sua poena expiaturus. His ita ad Palotam gestis, Ferdinandus Rex Baldassarem Banfium, cum equitum et peditum manu in Transilvaniam mittit, quam illi provinciam tradiderat bello administrandam, ita iussum omnibus artibus sibi provincialium animos conciliare, ut qui pertinacius in fide Ioannis manerent, omnibus belli cladibus territos cogeret ad sanitatem redire. Transilvani, per multos annos a Ioanne Rege et prolixè et liberaliter habiti, ut alibi diximus, quamdiu utrum vellent, liceret, non temere credebantur, nisi coacti, et per vim, in Ferdinandi partes concessuri. Adiuvabant sua sponte in Ioannem proclives, eadem illae causae, quas supra ostendimus, inprimis invisae Vngaris Germanorum gens, quam cum vicinam non tulissent, haud videbantur in regno Vngariae imperium obtinentem aequo animo perlaturi. Banfius infesto agmine in Transilvaniam ingressus, omnium prius quam mandatorum memor, damnatis mitioribus consiliis, Zatmár et Nemethium oppidum foede direptum subiectis ignibus incendit, noctis tempore, quominus urgenti malo oppidani occurrerent, prohibente. Magna clades sua sponte a quovis illata quantumvis immiti ac barbaro ingenio, ut foeda tetriorque videretur, is a quo est illata effecit, quem Vngarum, atque inter suos clara familia, neque humanitatis iura, neque patriae caritas, neque sanguinis cognatio a scelere retardavit. Magna vis mortalium incendio absumpta, contrario alii malo interiere, cum impeditae matres, quae infantes pueros

aut in ulnis aut in humeris gestabant, viri varii generis suppellectili onusti, quaeque cuique carissima flammis erepta asportare licuisset, minus apti flumini tranando haberentur, qui omnes in transitu amnis Zamos, qui ea oppida interfluit, immersi interierunt. Agebat tum Ioannes Varadini, intentus componendis Transilvaniae rebus: quo simulatque nuncii allati sunt de Zathmariensium clade, indignatus tantum a suis infortunium Zathmarienses perpressos, Gothardum Kun in re militari perspectae virtutis hominem, cuius supra meminimus, cum equitum peditumque copiis, quas instructas habebat, occurrere Banfio, et opportunam occasionem pugnandi nactum committere proelium iubet. Quo cognito Banfius, non ausus cum Gothardo congregi, quem multo superiorem viribus, suos praeda onustos, quam optimam ex direptis oppidis asportabant, impares futuros, ubi rem proelio committeret, non dubitabat; incepto itinere omisso, retro cum suis retulit signa, templo oppidi Zathmar et fossa et vallo munito, ac Matthia Horvato, qui praesidio esset cum delectis militum, relicto. Neque cunctatus Gothardus, militem ad Zathmár duxit, cum universo bellico apparatu a Banfio relictum praesidium expugnaturus. Inde munitiones, quas perpetuo opere ad templum usque ducendas curaverat, oppugnare adortus, dum suos ad pugnam fortissime dimicans adhortatur, emisso e maiore tormento globo, letale vulnus in crure accepit. Quod quamquam milites cognovissent, minime tamen territi ducis casu, nihil de oppugnationis ardore remittunt, et munitiones maioribus viribus atque animis de integro aggressi, quo maiore studio ducis ulciscendi flagrabant, pugnam instaurant, tanta cum hostium caede, ut pauci superstites cum Horvatho, qui praesi-

dio praeerat, iam vallo potitis regiis sese dedere sint coacti. Ita Gothardus ex sententia gesta re, ut licuit, curato in praesentia vulnere, Varadinum rediit, quo tempore Rex in venatione erat. Haec mense Augusto gesta. Gothardus, cum vim omnem humani auxilii mali vis superasset, ex vulnere interiit, cum aliis, tum Regi inprimis magno sui desiderio relicto. Ferunt, quo die decessit, cervum, quem Rex cicurem in deliciis habebat, cum canum latratu atque hinnitu equorum excitatus, septi parietem transilire, et Regi occurrere redeunti e venatione vellet, frustratum saltu in exstantem parieti palum praeacutum sub ventrem se induisse, atque illico effusis intestinis exenteratum, mortuumque concidisse, quae accessio maioris incommodi, quasi occulte Regi portenderet graviolem imminentem cladem, multorum animos perturbavit. Ita Rex plus aequo commotus, hinc miserabili Zathmariensium casu, hinc ducis iactura, in cuius virtute et fide magnam spem positam habebat, obfirmato adversus adhortationes omnes et consilia animo, captivos suspendendos ad unum omnes, Horvatum praesidii praefectum, palo per sedem affixo, genere supplicii teterrimo atque inusitato mitioribus ingeniis afficiendum, Franciscum Parlagi, a Ladislao et Bartholomaeo fratribus multis precibus fatigatus, ne mortis genere ulterius in miseris saeviret, leviole supplicio, cum aegre exorari potuisset, capite plectendum curavit. Adeo severa animadversione, in eos necessaria, quorum animos nimia indulgentia depravasset, Regi praeter suam consuetudinem fuit utendum, ne per sceleris impunitatem fiducia aucta, maiore cum Vngarorum incommodo, sua graviole culpa et crudelitatis infamia peccarent. Gritius iam dum haec in Vngaria gerebantur, Constanti-

nopolim profectus, de praesenti rerum statu Solimanum docuerat, quem quidem meditantem in Persas bellum, dare operam oportebat, ne absente se Vngarorum regnum hostium consiliis armisque opportunum captata hinc occasione Germani everterent. Addebat vero ad hanc suspicionem minime e vano haustam famam, a qua prudentium hominum iudicium non abhorrerebat, inter Christianos reges constitutam pacem Thracium bellum excepturum, Carolo Caesare praeter fratris assiduas preces, quae diu apud illum futurae graves non crederentur, sua sponte huius gloriae studio incenso; ut nihil certius haberetur, quam solutum aliis curis omnibus, regnum Vngariae prima quaque oblata occasione armis repetiturum. Perinde vero esse credebatur, Ioannem Regem bello peti, atque eum, cuius beneficarius Ioannes esset, ut Solimanus non prius crederet, ad Ioannem, quam ad se illata Vngaris arma pertinere. Nemo autem erat, qui ignoraret, ita a Solimano Ioannem acceptum in fidem, et regno restitutum, ut e levissima quaque re arrepta ansa (quo nihil erat facilius volenti) regno cum vita simul deturbaret. Neque verisimile cuiquam videbatur, Ioannem Regem, quem per adversos multos casus et varios iactatum infesta fortuna prudentem cautumque reddidisset, ubi repetenti regnum speraret aliunde sibi auxilia affutura, eo fuisse descensurum, ut magna cum invidia a communi hoste opem imploreret: non enim ignorabat fere semper iis accidisse, qui ad potentiores confugerent, ut quem agnoscerent malorum vindicem, et salutis auctorem, suae fortunae arbitrum facerent, nimis ingens praemium in uno repertae opis, cum necesse esset ea fortuna contentos futuros, quae ab eo, cuius se imperio addixissent, esset

praescripta. Neque longius erant exempla petenda : Amurathes, qui huius nominis primus, qui apud Turcas imperavit, disceptantibus duobus fratribus de hereditate imperii, per speciem iuvandi alterum, qui ad eum confugerat, adversus alterum qui superior viribus imperium occupaverat, sumptis armis utrumque viribus destitutum suam praedam fecit, nihilo magis ei aequus, quem sibi defendendum susceperat, quam ei, adversus quem pro altero gesserat bellum, Gallipoli occupata, opportune ad Hellesponti fauces sita urbe, unde posteri sibi ad invadendum Graecorum imperium variis artibus gradum fecerunt. Quale vero Ioannis erat futurum regnum, quod cum possideret Solimani beneficio, intelligeret, cum eo ipso regno (quod domini ius in mancipium esset) se a Solimano possideri? Itaque et Iovius probabilem rationem secutus, dissipatos rumores ait, inter Ferdinandum et Ioannem de rerum compositione agi, neutro eorum abhorrente a pacis consiliis, cum alter apertus Solimani hostis, parum amicus fidus alter, uterque per pacis foedus controversiis sublatis, esset paratus in communem hostem signa explicare. Suboleverat vero Ioanni, quo spectaret Solimani minime occultum consilium; sive enim pateretur regni collegam, penes quem vere summa administrandi imperii esset, fore sperabat, ut sua sponte subire iugum, et servire assuesceret, sive impar ferendae iniuriae inani nomine contempto, et regni, simul libertatis vindicem quaereret; ansam inde sibi datam iri sperabat, vi atque armis regnum ab ingrato vindicandi, qui spe salutis deplorata, ad se afflictis suis rebus confugisset. Neque vero erat dubitandum, cum horum alterum esset Ioanni agendum, quin id esset acturus, quod prudentem hominem et

suae dignitatis memorem oporteret. Etsi autem haec a principio non ignoravit, ut tempus hominum spes et consilia fovet, multo tempore eventura speravit, quae facilem viam expediendi ad salutem consilii omnia tentanti explicarent. Quid vero aliud sibi voluit Gritius apud Ioannem Regem relictus, quam certus Solimani cognitor atque explorator, qui consilia eius omnia, progressusque observaret, ut quicquid visum esset de eo statuere, qui nomine modo rex, re vera ad alterius nutum et praescriptionem regnaret, intelligeret ita laturum, ut ne hiscere quidem contra auderet: quae calamitate nihil poterat indignius Regi accidere; quem fortuna videretur ad summum honorem evexisse; quo oblata contumelia, per speciem regii honoris, maiori apud homines ludibrio esset. Atque hoc quidem eo erat magis Ioanni verendum, quo ex sua, de Solimani conscientia certius iudicium faciebat: verisimile quidem erat, quae timenda obversarentur animo ad alienum arbitrium regnanti, venisse in mentem suspicari Solimano, ex cuius nutu atque imperio regnabat, barbaro homini praesertim, et qui non saepius quid deberet, quam quid posset, cogitaret. Ergo Solimanus sua sponte incensus cupiditate sarcinae acceptae ad Viennam ignominiae, de integro bellum instaurare, excitis undique viribus omnibus, quae late pertinebant imperii fines, in praesentia omissa cura belli Asiatici, constituit. Adiuvabat illius consilium opportuna occasio, cum Carolum Caesarem, in cuius armis spes omnis Ferdinandi erant sitae, distineri Germanorum discidiis cognovisset; ut non solum non posset esse fratri subsidio ad bellum, sed quominus Turca hostis Germaniam invaderet, contrariis studiis discissam, haud posset esse impedimento. Plurimum



etiam pertinere ad suam existimationem censebat, quidquid secus de Ioanne Rege animo constitutum haberet, a se collocatum in regni sede, adversus hostis praepotentis iniurias defendi. Non minus Solimano gloriosum haberi clementiae fama sibi studia hominum comparare, quam armis maxima regna acquirere, parta adversus hostes tueri. Neminem porro e Christianis regibus credebat futurum, qui destituto fratris auxilio opem ferret, quos quidem variis de causis, sed uno atque eodem studio teneri appareret, nimium formidolosam Caesaris potentiam multorum securitati evertendi. Accedebant ad haec omnia suorum ahortationes, multis verbis monentium, vetus esse Otomanorum institutum, fines imperii proferendi armis, cuius maiores memores, Selimus pater maxime tantum Turcarum imperium fecisset. „Languere otio militum vires, restingui animorum ardorem, hebetari arma, qui vigere inter arma et bellicos labores consuevissent. Contrariis studiis comparari atque amitti magna imperia.“ Acquiri industria, virtute, constantia: perdi inertia, desidia, luxuria; quibus ne diffuat Turca miles, sit opera danda crebro ducendo in expeditionem, bella gerendo, laboribus durando, quibus artibus invictum stat per tot secula Turcarum regnum. His incitatus Solimanus diem dixit, quo die duces praesto cum suis armati essent, copias iussi conscribere, quantas nullus unquam ante se Turcarum imperator, ne ille ipse quidem contra hostem eduxisset. Quae dum apud Solimanum intentiore cura studioque comparantur, per universas Europae provincias constans fama pervadit, minantem Solimanum Christiani orbis excidium in Vngariam adventare, eo animo, ut cum Carolo Caesare florente tum maxime rerum gestarum gloria de

terrarum imperio certaret. Iis subnixum viribus Solimanum, ut militum numero excipiendo nulla satis idonea belli sedes videretur. Neque a vero fama abhorrebat, raro fallax iis praedicandis, quae, ut maxime superent hominum fidem, de Turca ferantur. Audierat vero territos homines Viennensi expeditione, cum ausum penetrare interiora Austriae, non prius cessaturum putarent, quam ea potitus, in proximam Germaniam intenderet arma, serio de bello cogitare; quo gerendo bello ducem atque Imperatorem Carolum animis destinarent. Id autem si accideret, et suarum virium conscientia intelligebat, nisi viribus parem, in aciem haud descensurum. Erat tum Carolus Ratisbonae, quo principum conventum indixerat, tum ut dissidentium Germanorum animos conciliaret, tum ut aliquando serio de fratre iuvando ad bellum auxiliis ageret: quod eo enixius agendum contenderet, quo minus dubitari posset quin, oppresso Ferdinando, quod omen propitia fata averterent, (hostem) intra sinum et patriae viscera essent Germani accepturi. Neque alia erat principum sententia, cum quidem satis intelligerent, quasi ex alto excitati somno, quam caussam Vngaris propriam credi vellent, communem cum populis aliis, qui colerent Christi nomen, tum Germanis inprimis, Vngaros habere. Non Viennam nuper obsessam, non oppugnatam a Turca immensis viribus nobilissimam Austriae urbem, augustissimam regum atque imperatorum sedem, sed obsessos Germaniae limites, oppugnatum armis munitissimam Germaniae arcem, Christianae reipublicae propugnaculum validissimum. Quod quidem dei immortalis beneficio propugnatorum Germanorum virtute ita steterit invictum adversus oppugnantium copias innumerabiles, ut nisi Germani

patria virtute retinenda constantiam adderent, non iam exterarum gentium sed suorum aemulatores, indignam se prolem maioribus essent ostensuri, quorum gloriae monumenta insignia testarentur gentium omnium annales. Certatim vero tum exterorum regum, tum civitatum legatos, qui aderant in conventu frequentes, adibant, praesertim quae propiores periculo erant, multisque precibus orabant, ut in magno republicae discrimine, dignos animos susciperent maiorum gloria, qui non desidem vitam domi agendo, sed late circumferendo arma, non propulsandis sed ultro inferendis bellis tantum Germanorum nomen fecissent, quantum si posterius pergerent per maiorum vestigia incedentes, brevi esset futurum, ut gentis nomen ad orbis terrae ultimas oras maiore cum gloria propagarent. Enimvero usque adeo degenerasse Germanos a prisca virtute maiorum, ut qui certare consuevissent pro gloria imperii cum principe terrarum populo, et quidem saepius victores, quam victi; cogerentur cum hostibus in finibus statuentibus infesta signa pro salute dimicare. Quod quidem dedecus tanto maius esset habendum, quanto magis nunc Germania viris, copiis, urbium maximarum frequentia, cultu ingenuarum artium omnium, quam ulla unquam hominum memoria floreret. Cur repente eorum animi antea ad omnia invicti et dexterarum torperent? Vigilare hostes barbaros exitium Germaniae et pestem molientes, languere . . . . . in molles et lascivos lusus dissolutos . . . . . choreas, vinum, pro patriae salute non animos, non sumere arma. Tot principes imperii . . . . . tot populos in Germania haberi, apud quos vigeret rei militaris decus, quantum umquam alia natio, abesset verbo arrogantia, maxime secundis suis rebus aluisset. Non

propterea maiores, quorum gloria nulla umquam posterorum memoria esset interitura, res ex minimis tantas fecisse, ut illis frugum ubertas et rerum affluentia, in vinum, voluptates, delicias, luxuriaret; sed ut patriae essent subsidio in ultimo rerum discrimine versanti. Quod quidem nisi viderent, ne ea quidem, quae communi sensui paterent, videre convincerentur. Laborare quidem Caesarem plurimum fratris Regis caussa, quem deserere, in medio belli incendio implorantem opem atque auxilium, non solum flagitium esset, sed immane scelus. Verum non laborare minus patriae caussa, quae hianti hosti barbaro et vigilantanti in omnium perniciem, Germanis communi saluti indormientibus, exposita ad praedam pateret. Qui quidem nisi aliquando experrecti statuerent sibi occurrendum urgenti malo, ne ea ipsa quidem alta quiete, quam verae gloriae praeferrent, essent diuturna fructuri: praesto enim fore saevum et crudelem hostem, qui e vaporariis, nequitiae atque inertiae latebris, crapula, vino, somno onustos in campum atque aciem evocaret; famem iuxta, frigus, aestum, atque alia vitae incommoda, vellent nollent, toleraturos. Facesseret vero a Germanorum pectoribus tantum flagitium, ut quod sua sponte agere deceret viros fortes et cupidos verae laudis, ab armatis hostibus nolentes atque inviti discerent, ita affecti animo, ut non prius quam classicum canentem hostem audirent, sibi persuaderi paterentur, ut arma sumerent, emollito robore animorum vitae urbanae deliciis, quibus obliti decoris militaris sese dedidissent. „Fortitudinis praeceptis formanda pectora, non cum eam necessariam requireret rerum usus (non enim quod vis extorqueret et temporum ratio laudabile haberi), sed cum multo ante fortibus fa-

ctis et virtutis exemplis singularibus editis, fides esset in dubiis reipublicae temporibus praesidio patriae fortia pectora futura. Turpe enim esse in ipsa gerenda re discere, quae bene gerendae rei ratio esset, et cum viro forti opus esset, tum fortitudinis elementa haurire. Non in iugula intendente hoste tela, non muros tormentis hostilibus quassantibus, sed cum tranquilla et segura omnia pax firma redderet, discenda, quibus belli tempore opus esset. “ Haec principum oratio, quam fama adventantis hostis crebris multorum litteris et nunciis confirmabat, omnes qui aderant, quemadmodum aequum erat, magnopere movit. Itaque ingenti assensu omnium ordinum fit decretum, ut, delectu cum cura habito, militem ex imperii formula a Carolo IV. Caesare praescripta, quam Bullam auream vocant, Carolo V. eo bello futuro copiarum imperatori et Ferdinando Regi subministrent, ea lege, ut pro stipendio, imperii quaestores et civitatum, militi solvant, quantum quemque tribuere ex eodem Caroli IV. decreto aequum sit. Atque haec quidem tum magna concordia administrata; nequid esset impedimento salutaria consilia explicantibus ad bellum, actione de religione in magis idoneum tempus reiecta, de qua disceptari perfecto bello placebat, priscorum patrum more concilio indicto. Ita peracto conventu, Carolus Caesar totus intentus in Turcicum bellum, missis per dispositos equos in Italiam nunciis, Alfonsum Avalum Insubrum praefectum, magni hominem animi et illustris nominis, copias cogere, tum equitum tum peditum delectu acerrimo iubet, imprimis qui ferreis fistulis crebro iactu plumbeas glandes emittentibus disiiicerent hostium equitatum, in quo fere Turcae haberent positum exercitus robur. Ad haec imperat, ut Hispanos

milites, qui multa iam stipendia emeriti superioribus bellis in urbium praesidiis agebant, primo quoque tempore per Noricas Alpes in Austriam ad se adducat, quod militum genus magnum allaturum momentum ad victoriam consequendam sperabat, magnis gerendis rebus per multorum annorum spatium militia perfungentium. Iam e Belgarum finibus, et parte diversa e Burgundis (hoc nomine partim Aedui partim Sequani hac tempestate censentur) gravis armaturae equites, veteranum et ipsum militem et magni usus, eadem celeritate ad se adduci iubet, XII peditum Germanorum millibus ex omni copia delectis, quos apud se custodiae causa haberet, claris ducibus magnitudine rerum gestarum, Maximiliano Herbestenio, et Tamisio, praeesse iussis, quorum in se fidem eximiam et virtutem maxime habebat spectatam. Dicuntur multi voluntarii ex Italia, multi ex Hispania, et nobilitate et militiae usu insignes homines ad tanti belli famam excitati convenisse, in omni posteritate praeclarum sibi ducentes, Carolo exercitus imperatori, multis victoriis, multis triumphis claro, adversus Solimanum tantum hostem nomina dedisse. Duo reges maximi, Franciscus Gallorum, Anglorum Henricus, nec militem, nec pecuniam in sacram militiam contulerunt. Nam Anglo male cum Caesare conveniebat, iustas inimicitias, ut rebatur, cum eo ob remissum Catherinae Reginae repudium persequente, e cuius sorore Ioanna Caesar erat natus; et Franciscus Rex ita erat foedere affinitatis cum Caesare coniunctus, ut non minus ei tacitus inimicus, quam certus affinis esset, satis gnarus, quidquid, per se formidoloso ad pristinam fortunam incrementi accederet, nec sibi in posterum, nec cuiquam regum ferendum futurum. Vnus Clemens Pontifex, incertum pieta-

tis studio, an elevandae invidiae non ita pridem in illum ob occupatam patriae libertatem per multorum cladem atque exitium conflatae, quicquid illi auctoritatis pontificatus maiestas conciliaret, contulisse in eam expeditionem dicitur. Auctor quidem in hoc uno Iovius, locuples ad invidiam usque Medicum familiae assectator, decies centena coronatorum millia in belli sumptum suppeditasse affirmat, quo patriam, crepto civibus libertatis iure, in suorum servitutem vindicaret. Ita cum sacri belli splendidus titulus ad colligendam populorum auram ostentaretur, nemo erat tam averso animo a pietatis et religionis cultu, quin, pro tuenda communi salute, sibi cum domesticis fortunae sanguinem et vitam profundendam censeret. Vnum hoc movit populorum animos, in his eorum maxime, qui sacra ministeria obibant, Pontificem Maximum gerendo impio adversus patriam bello exhausisse sacrum reipublicae aerarium, ad sacrum bellum adeo Christianae reipublicae necessarium, quantum maiestas pontificia postularet, contribuere non potuisse, nisi coactus aerarii angustiis, ad tristem rationem tributi confugeret; sacerdotibus enim cuiuscunque ordinis essent, praeter cardinales, qui sacerdotiis peropulenti potirentur, quinas decumas ex divenditis agrorum fructibus imperavit, ingenti tum aliorum omnium, tum eorum maxime querela, quibus vix integra agrorum vectigalia, et tenui sacerdotio, quantum necessario victui sufficeret, subministrabant. Addit Iovius in exigendis decumis, quod accidere necesse erat, re non patiente moram, exactorum acerbitatem, quorum fuisse ait tam importuna ingenia, ut non sacrarum virginum collegiis parcerent, non sacerdotum, non alios ordines profitentium, qui religiones et sacra curarent, non postremo, qui praecessent sacris xenodochiis ad alendos mendicos in-

stitutis. Quo maiore cum Pontificis invidia, vulgo sacerdotes alii, et alibi, et Romae imprimis quererentur huius incommodi expertes unos cardinales haberi, qui propter amplitudinem ordinis, ceteris esse exemplo ad pietatis laudem capessendam deberent, quorum molli et delicatae vitae non sufficerent amplae fortunae, quibus elati regum more incederent stipati magnis amicorum et clientium catervis. In omnes alios saevitum nullo hominum discrimine, nullo ordinum, multae sacrae aedes, multa fana direpta, quo pervaderet avara praedatorum manus: sacra vasa, templorum ornamenta, varii generis votiva donaria, ad usum et ornamentum templorum oblata, quae quidem conflata in sacrae pecuniae usum videbantur, invidiam elevante eodem plausibili nomine Vngarici belli Caroli V. ductu atque auspiciis adversus Turcam hostem gerendi. Omnia vero illa iactabantur, quae quasi ex praescripto condita carmina e veterum annalibus vulgo usurpabant, fortissimos milites laudantes, qui pro vindicando terrarum orbe a tetra barbariae lue, sanctissima religione propaganda, sacrosanctis templis, patriis fortunis, liberis et coniugibus ab hostili ferro defendendis, nomina darent. Nullius vero ita erat religionis omnis expertus animus, quin tantam hominum alacritatem ad delendam e terris tam diram atque immanem belluam militiam profitentium, sin alia re minus votis et tacitis studiis prosequerentur. Hac cura Pontifici soluta perfungendum alia supererat, ut copiae cogerentur quam lectissimae, quae gerendo bello, imperatore maximo et fortissimo rem militarem procurante, idoneae maxime haberentur. His qui praeesset, legati nomine Hippolytus Medices delectus, quem natalibus imparem e Iuliano Medice Leonis Pontificis fratre natum Clemens in cardinalium collegium cooptaverat,



aptiorem rei militari hominem, quam sacris procurandis, quibus eum Pontifex addixerat. Ita magnificentissimo apparatu, eum deducentibus claris hominibus rei militaris gloria, in Austriam ad Ferdinandum contendit, a quo quidem monitus per Vngariam vagari veteranos Vngaros, qui superioribus annis aut in Ferdinandi, aut in Ioannis castris meruerant, octo eorum millia conduxit. Praeerat his Valentinus Toeroekius et Paulus Bakithius, quorum supra non semel meminimus, mobilis illi quidem fidei homines, sed rei militaris cumprimis periti, quibus legatus luculentis sibi muneribus conciliatis, signa tradidit Christi imaginem in crucem sublati praeferentia, magno futura militi ad rem praeclare gerendam incitamento. Ferunt legatum a Toeroekio sumpto Vngarico ornatu, sive eo delectatum, sive quod crederet se nobilissimae genti per hanc rationem gratificaturum, delisse suum Toeroekio gestandum. Ipse quidem Vngarico toto eo bello est visus propensior, ut diximus, ad rei militaris, quam ad pacis, atque otii studia, ut cardinalis et opimis auctus a cognato Pontifice sacerdotiis, maiorem militarium hominum numerum, quam sacerdotum et litteras sacras excolentium aleret, in quos supra omnem fidem liberalis et profusus fuisse fertur. Tanti apparatus fama perculit Solimani animum, Caroli sive fortunam et felicitatem, sive virtutem et animi magnitudinem horrentis, qua corroboratae sua sponte praevalidae vires, et delectorum militum numero, qui superioribus bellis magna essent cum gloria perfuncti, ad vim omnem atque impetum sustinendum perfringendumque haberentur pares. Eo vero magis haec audita moverunt, quo minus exspectata, et praeter spem magis acciderunt. Etsi enim magnificis verbis atque elatis in

barbaram arrogantiam, Carolum in certamen de orbis imperio vocabat: distentum tamen publicis curis, vix parem credebat ad explicanda belli consilia, negantibus Germanis auxilia ad Vngaricum bellum, quorum discidium de religione in contraria studia principum animos distrahebat. Nemo vero erat temere passurus, quibus armis ipse ad subitos casus indigeret, ea a se per externi belli occasionem extorqueri, cum quidem in magno rerum motu nemini dubium esset, quin utraque factio satis firma suis viribus, propediem esset eruptura in apertum bellum. Quae cum Solimanus explorata haberet: opportunam armorum occasionem nactus, dum Carolum componendis rebus intentum, Germanorum lites et controversiae distinebant, sperabat se Ferdinandum imparem viribus, ubi Germanorum auxiliis destitueretur, nullo negotio oppressurum. Iam praemissa Samandriam copiarum parte, accelerare ferebatur, quantum liceret trahenti praeter immensa armatorum agmina impedimentorumque varii generis magnam vim, quae properantem animo remittere plurimum de celeritate cogebat. Tanta quidem ferebatur hominum multitudo, ut Thracia, Macedonia, Graecia omnis excita suis sedibus ad Christi nomen atque imperium delendum videretur. Interea Ioannes Rex de Solimani adventu nuncio accepto, ne cessantem in tanto belli motu offenderet, Paulo Archiepiscopo infensus Grittium (iam enim Byzantio redierat) oppugnatum Strigonii arcem misit, opportuno loco ad Danubium sitam, ac vix bidui itinere Buda distantem. Erat in arce Germanorum validum praesidium, ut nisi admotis maioribus tormentis posse crederetur vix expugnari. Ita cum Grittio omnia experto irrita cessissent, nec vi arcem capi posse, egregie eam Ger-

manis pro muris defendentibus, nec consilio speraret, cuniculis nequidquam actis, qua spes erat ad interiora arcis perveniri: premere inclusos arcta obsidione constituit, cum illis neque ad diuturnam obsidionem tolerandam com meatuum facultas, neque ulla praeterea spes ostentaretur suppeditandi aliunde advectos, undique circumsessis, a flumine classe, a terra perpetuis hostium stationibus, per quas omnes erant aditus in arcem praeclusi. Quae cum Ferdinandi duces cognovissent, qui forte Posonii erant, sive ab obsessis et speculis editis signis, sive clam submissis nunciis, magna usi celeritate, ad Cacicinerum Viennam mittunt, penes quem erat summa militaris imperii, qui eum docerent, quanto in periculo Germani versarentur, quibus, cum omnia decissent, quae tolerandae obsidioni (apta) haberentur, omnis esset spes externi auxilii deplorata. Ea re cognita, Cacicinerus classis praefectum Corporanum, Germanum hominem, naves LX, quae ad Posonium erant, e statione subductas, milite tormentisque instructas ducere secundo flumine Strigonium iubet; mandatorum summa, ut ad Comarum in medio anni positam insulam appulsas naves in statione haberet, maiora navigia exspectaturus, quae pollicebatur gravioribus tormentis com meatibusque onusta se extemplo missurum. Erat vero illius consilium, pugna navali cum hoste configere, cum aegre liceret terrestria auxilia mittere, nisi Viennam praesidio nudaret, quam petiturum hostem rebatur minime dubia coniectura avidum sarcinae ignominiae, quam superiore expeditione, in eius urbis obsidione accepisset. Cum his mandatis acceptas naves classis praefectus, ita in omnem occasionem gerendae rei intentus, ut nihil esset temere ausurus, ad Comarum appulit. Interea

Grittius, cognito per exploratores hostium consilio, signo tuba dato milites naves conscendere, levioribus tormentis, et omni missilium genere instructas, atque adversum flumen subire, et contendere Comarum iubet, ita suorum comparatis animis, ut si potestatem pugnandi hostis faciat, conserat manum, ad impetum hostilium navium excipiendum, quae secundo flumine in adversas ferrentur, ita condensatis navibus, ut sic rapidi ac violenti fluminis impetum, et intenta hostium tela eluderet. Non fefellit classis praefectum, id quod erat, prodita sua consilia hostibus, et se suis armis peti. Itaque quamquam suadentibus suis, ut minime certamini par, classem retro in tutam stationem ab hostilis classis impressione reciperet, iusso milite arma ac tela expedire, navium praefectos omni mora praecisa, dirigere proras in hostem iubet, sive nimia sui fiducia fretus, sive metu ignominiae, si quando visus esset, adverso flumine, hoste subeunte pugnae discrimen, qui secundo cursu ferretur, concurrere tanto aequiore conditione recusasse. Diu pugna anceps, mox victoria adiuvente virtutem, fortuna penes Grittium fuit; cum enim subito ortam nebulam sol disiecisset, tanta sagittarum vis a Turcis emissa, ut parum pugnando habiles Germani, neque facultatem ferendi hostem, neque sese defendendi adversus sagittarum ingentem procellam ullam reliquam haberent. Ita fugata et disiecta classis, multis interfectis, multis vivis captis. Ex iis, qui in ea pugna ceciderunt, unum ait Iovius fuisse Pestanum civem (nomen non tradit), qui rei nauticae peritus ante initam pugnam auctor Corporano fuerat, ut retroconversas naves reduceret, pollicitus se in postremo agmine, insequentium hostium vim, quo tutior receptus classi ad salutem pateret, dum ipse

in postremo agmine pugnando hostium cursum moraretur, retardaturum. Neque tamen ob rem bene gestam Grittius inflatus, quidquam de pristina sententia mutavit; hoc enim sibi plane persuaserat, ubi in paucos dies obsidionem traheret, ultro Germanos deditorem facturos deficientibus vitae alimentis, non solum quae sunt homini usitata, sed quae etiam tolerabilia facit extrema fames. Per idem tempus AVALUS, acceptis a Caesare literis, quicquid e veteri militia sive Italorum, sive Hispanorum, tot annorum contentia in Italia bella reliquum fecerant, summo usus studio collegit; ne plus aequo traheret grave impedimentis agmen, iussis militibus, praeter ea quae posceret belli necessarius usus, secum nihil afferre, atque agmine expedito signa sequi: quod ducis imperium ita contempserunt, et quidem quamquam sui iuris memoris, et auctoritatis insignibus meritis partae, ut lustratis copiis, cum XX millibus amplius censerentur, vix qui arma ferrent, VII veteranorum millia sint inventi, atque ii ipsi quidem ita inertia atque otio diffluentes, ut non scortis, non meritoriis pueris, non coquorum, non aliorum mancipiorum turba infami carere, non luxuriae ullo alio instrumento possent. Accedebat praeda ex direptis urbibus per tot annos eodem coacervata, quam quidem ut relinquerent, incerti de belli eventu, sibi persuaderi non patiebantur. Quorum flagitium cum dux AVALUS ferret iniquo animo, qui statuisset unum sibi militare decus rebus omnibus praevertendum, et expedito itinere proficisci ad Caesarem acceleraret, edicto severo coercere tantam nequitiam et petulantiam conatus, praefectos militum, et qui honestiores militiae ordines ducerent, haud suis meliores adhortatur, ut quisque suos susciperet mo-

nendos castigandosque, ita in spem uberioris militiae proficiscentes, ut relictis in contuberniis, quae leviora haberentur, locum relinquerent condendae futurae praedae, multo iis quae tum parta haberent, opulentiori. Expeditum militem ad bellum ire: onustum decere redire e bello. Longum iter suspicientibus, arduum, praeruptum, cum studio atque alacritate animi, tum earum rerum desiderio, quibus facile carerent viri fortes, sibi planum et pervium reddendum. Audita haec, superbos ac feroces Hispanorum animos, contra atque aequum erat, commoverunt, vehementius negantium palam se verbo fore duci audientes, nisi in longam expeditionem euntibus fungi libera militia liceret: neque hoc visum satis: eadem contumacia et linguae procacitate, instigantibus praefectis militum, qui inviti sub Alphonsi signis merebant, poscere tumultuosis vocibus stipendium, urgere, denunciare, nisi extemplo numeraretur, a signis se nullo accepto com meatu dilapsuros. Ita victa imperii maiestas, ne coepta seditio, ubi vi ageret, ad maius excitandum incendium sumeret vires, militum ferociae succubuit, recte duce existimante, militum studia non esse in praesentia mora corrumpenda, quibus nisi secundis dux uteretur, raro unquam felicia incepta laetus esset finis consecutus. Stipendio menstruo persoluto, luculenta oratione delinitos in officio continuit, spe donativi iniecta, ubi in conspectum Caesaris, celeritate illius spem praerurrentes pervenissent. Inde inceptum iter persequitur, iussis Italis ducibus cum reliquis copiis sequi, atque hoc quidem veritus, ne si cum Hispanorum agmine a furore intacti miscerentur, morbi contagione contaminatis animis, minus in potestate essent futuri. Ad famam tanti belli excitati nobiles ado-

lescentes ad signa voluntarii confluebant, non se credentes pro Germanis arma sumere, quorum saevitiam superioribus annis incredibilem erant experti, sed pro Vngaris etiam fortissimis Christiani imperii propugnatoribus, atque adeo pro domestica gloria, quam defendenda sacrosancta religione adversus impios hostes immortalem sibi spondebant, pro multorum gentium et populorum salute in acie occumbentibus. Tantus vero erat eorum concursus qui nomina profitebantur, ut magna cum offensione multos dux dimittere cogere-retur; pro eorum in rempublicam studio se iis honorem habere, non usurum se eorum opera praefatus, iam satis multis in sacram militiam auctoratis, quae non magis in militum exiguitate requireret numerum, quam in copia agnosceret modum. Magnas res olim a summis regibus gestas, quae affectantibus terrae orbis imperium, non multitudine et numero bellatorum, sed virtute et constantia subnixis aditum aperuerint, et Xerxis terra marique a Graecis deletas copias innumerabiles, et ab Alexandro Darii, et a Lucullo Pharnacis, et aliorum ab aliis, qui illustria monumenta bellicae virtutis posteris reliquerint aemulanda. Recenset Iovius eorum nomina, qui his copiis prae-fuerunt, Martii et Camilli Columniorum, Petri Mariae Rubaci, Philippi Torniellii, Ioannis Baptistae Castaldii, Fabricii Maremaldi, quorum clara nomina *rebus gestis* tum per ora hominum ferebantur. Hi XIV millium numerum explebant, nuper quidem militiae adscripti, sed in quibus magna ad virtutem indoles, quam domestica disciplina adiuvabat, atque insignis magnitudo animi. Satis per se validis copiis, ut nihil praeterea accederet, delectorum equitum duo millia, virium incrementum non contemnendum addebant:

quibus Alphonsi Ferrariensium reguli ala, quem illustria merita Caesari addixerant, censebatur. Hae copiae a Ferdinando Gonzaga ad Oenipontum adductae, secundo flumine Oeno in Danubium, atque inde in Austriam delatae. Eodem fere tempore Carolus Caesar, accepto a Belgis et Burgundis gravis armaturae equitatu, tum robore aetatis e delecta iuventute conscripto, tum egregie instructo genere armorum, Lincium secundo flumine Ratisbona delatus pervenit. Quo in loco dum animum intendit comparandis necessariis ad bellum rebus: Solimanus Belgrado motis castris, cum multis com meatibus Savum amnem copias traduxisset, suspicatus id quod erat, regionem multis belli cladibus vexatam, quamvis feracissimam, tanto exercitui alendo com meatum aegre suppeditaturam, progressus cum copiis omnibus ad regni fines in proximam Vngariae provinciam Styriam deflexit, ut Vngari credunt a Diocletiani Imperatoris filia, Valeriam olim appellatam. Campestris tota regio, a laeto et fecundo solo, quod media inter duos amnes, quibus alluitur, est posita, Interamnensis Pannonia, alio nomine a re sumpto argumento, nuncupatur. Iam praemissus cum copiarum parte Ebraimus Guintzium pervenerat, ignobile tum oppidum, atque obscuri nominis, mox insigni unius virtute, per reiecti hostis potentissimi gloriam celebre in omni memoria futurum. Nam, quod caput est, neque oppidum situs opportunitas adiuvabat, neque ad horum temporum rationem moenia exstructa obiectis hinc adversus tormentorum propugnaculis, illinc ab interiore parte aggeribus exstructis ad muros fulciendos. Nam forma situs quadranguli, quam maxime eius artis periti damnant; cetera eius generis, ut ea fortium virorum constantia



muniretur, praesidio eadem inertibus non essent, et ab animi virtute destitutis. Quae quamquam hosti spem facerent brevi oppidi potiundi, cuius viribus Vienna urbs aegre superiore bello obstitisset, ut non succumberet tamen ingentibus viribus oppugnata, propugnatorum incredibilis virtus constantiaque perfecit. Praeerat oppido Nicolizza, nobilis vir, ut videtur genere Dalmata, qui apud Solimanum pridem nobili legatione erat functus, quocumque certe loco natus, dignus ob magnitudinem animi, qui in summo conspiceretur. Is de Ebraimi adventu certior factus, cum nihil in loci natura subsidii, nihil in aliena industria, posita omnia in domestica virtute haberet: neque suarum virium et hostium conscius demisit animum, et adversus immensas Turcarum copias, defendere oppidum constituit; omnibus, quantum exiguitas temporis patiebatur, cum cura comparatis, quae ad sustinendum hostium impetum opportuna viderentur. Atque in principio quidem Ebraimus, cuius erat apud Turcas, ut alibi diximus, proxima a Solimano auctoritas, sive tacito instinctu generis Dalmata inclinaret ad mitiora consilia, sive interiore consuetudine, legationis tempore delinitus, nihil non tentavit, quare damnata animi pertinacia, et oppidum, et se ipse dederet, frustra adversus tantarum virium apparatus se, nulla spe fultus auxilii, defensurus. Quae cum frustra agi Ebraimus animadverteret, nullis neque illecebris, neque minis se avelli a suscepta sententia Nicolizza patiente, omnibus aliis omissis consiliis ad vim animum convertit. Ita, iussis militibus oppidum corona circumdatum, viribus omnibus aggredi, eodem tempore Asapos cuniculos ad muros agere pluribus partibus, a sensu occulti mali, Turca intentos defendendis muris

avertente, et prouere moenia iubet. Sed omnia superabat oppidanorum virtus, incredibili animi robore, qua muri prociderent cuniculis labefactati, ad omnes huiusmodi casus praeparatis animis, reficientium. Ita nequidquam semel oppugnatione tentata, vim apertam novo adiuuare consilio, et ancipiti malo obsessos distinere, quominus tuto consistere in murorum propugnatione auderent, constituit. Erant a septemtrionibus in oppidum obuersi colles, in modicam altitudinem ab infimis radicibus se attollentes, ut inde commodè verberari moenia tormentis possent. Qua re Ebraimus animadversa, minora tormenta in colles pluteis subiectis, quo rotis per clivum facilius traherentur, subducenda, ac simul ab ea parte, quae vergebat ad meridiem, instaurari oppugnationem iubet. Neque secus, quam putarat, accidit. Nam oppidanis, simul a fronte erat vis hostium sustinenda, totis viribus in eius diei oppugnationem incumbentium, simul declinandum a tergo imminens malum, cum crebris tormentorum ictibus ab iis, qui in collibus erant, peterentur, quocumque se converterent, aut ad tormentorum aut ad sagittarum ictus, quarum infinita vis ab hostibus coniciebatur, terga nudantes. Neque ob eam causam deteritus praefectus animo deficit. Summa usus suorum alacritate, quidquid materiae in proximis aedibus erat, tum asserum, tignorum, tabulatorumque magnam vim comportari ad muros, ac perpetuum vallum duci in iustam altitudinem iubet, eo consilio, ut hostes tormenta in propugnatores ita tectos dirigentes, ictibus, id quod accidere necesse erat, frustrarentur. Vnum incommodum vix poterat vitari: emissi e tormentis globi cum tabulata perfoderent, in haud procul distantia aedificia ita vi concepto igne intorquebantur, ut

magno cum eorum terrore, qui domestica ministeria obibant, qua temere matres cum parvis liberis et senum turba discurrebant, multos vulnerarent, plerosque interficerent. Eodem tempore ad Leopoldinum pagum ducenti equites Turcae, cum praedando et populando omnia, praeter Neostadium essent progressi, ab Vngaris subito coortis, qui eorum explorato adventu in insidiis conederant, nihil minus expectantes caeduntur. Interfectorum capita alae equitum Vngarorum praefectus Viennam deportanda curavit, grato spectaculo civitati futura, quae vix vulneribus superiore bello acceptis cicatrices obduxisset. Ex captivis cognitum, adventare cum universis copiis Solimanum, quarum vix numerus iniri prae hominum multitudine posset, ut appareret, quo consilio sumpsisset arma, nullis subvectis tormentis ad murorum oppugnationem, quae elatum studio, ut ferebatur, cum Caesare configendi, ab incepto retardarent. His consentanea legati Ferdinandi afferebant, a Solimano cum litteris ad illum remissi, cum liberaliter et prolixè habitos, vetere Ottomanorum instituto muneribus etiam prosecutus esset, serica veste picta auro, atque argenteis poculis. Scriptae litterae barbarico ritu ad vanam ostentationem compositis verbis et inanibus titulis, divinam sibi potestatem sumeret, vindex eorum acerrimus, quae iniustae et scelerate in terris ab hominibus admitterentur. Maximum se Cesarem, et quem mundi universi facies nosset (ita loquuntur) omnium Caesarum summum Caesarem esse, Carolum V. in certamen de orbis terrae imperio vocare: ut decernatur armis, penes quem sit titulus, et sedes legitimae inter homines potestatis. Vnum esse in coelo omnium moderatorem et rectorem Deum: unum Caesarem in terris, qui orbem re-

gat, quem homines suspicere, venerari, prosequi secundum deum immortalem, cuius iustitiae imaginem in excelsa sede imperii repraesentet, divinis atque humanis honoribus debeant. Vt corpus unius capitum imperio, ita regna inter homines atque imperia unius arbitrio et sapientia regendas: duo enim capita corpori unico superimpõsita monstrum et portentum efficere, quod ne accadat, se operam daturum, terrarum arbitrium tenentem, Carolo Austrio, qui falso se Caesarem, Augustum, Imperatorum omnium ferat, e summo fastigio honoris invicta sua dextra deiecto. Constituendum, quo in loco placeat de terrarum imperio dimicare: ubicumque statuunt sibi rem gerendam in spem summi honoris animos tollentes, terrarumque iis praesto futurum. Nam, si minus concurrere audentes, pedem referant, se igni, ferro, omnibus belli cladibus cuncta urendo, excindendo, quacumque vadenti portae non aperirentur, fugientes persecuturum. Interea Ebraimus frustra ad Guintzium aliquot diebus in oppugnatione consumptis, Solimani offensio-nem veritus, ubi irritò incepto abscederet, qua oppugnari oppidum erat coeptum, ab utraque parte erigendum propugnaculum, materia e proximis silvis caesa, in ingentem altitudinem curavit, ut non muros solum, sed turrim etiam, quae ad propinquam portam quasi urbi praesidio erat exstructa, superaret. Inde crebra missilium et sagittarum grandine, cum a superstantibus in subiectos emitterentur, neque in muris propugnatores consistere, neque exire domo oppidani audebant. Ita Turcae, ab Asapis iam oppleta fossa, qua subruta erat muri pars, in oppidum irrumpere conantur. Quo in discrimine cum oppidani versarentur, praefectus globo facto, quicquid virium in oppido erat

aditum tentantibus obiecit, ut partae gloriae decus ne corrumperent, saepe victo hosti cedendo, et verbis simul et exemplo adhortatus. Interea exauditus hostibus puerorum et feminarum clamor, commune patriae fatum complorantium, temere creditus adhortantium esse, quod minime alienum a propugnatorum virtute videretur, paullisper Turcarum impetum sese inventum, et iam inferentium pedem retardavit; contra auxit propugnatorum virtutem, ut in suorum extremo casu, simul virile pectoris robur et animorum ardorem excitarent. Itaque pertinaci nixu incumbentes, in confertos et contra obnitentes, cum oppidanis crevisse animos a probabili caussa, non ab ea, quae vere erat, Turcae existimarent, frustra ducibus ad obsistendum cedentes iam et referentes pedem excitantibus nec verbis et oratione modo, sed ferro etiam et vulneribus, finem pugnandi fecerunt. Addit Iovius rei praeclare gestae miraculum, cuius fidem vult apud Nicolizzam auctorem exstare, a quo ipse accepit. Martini praesidis gentis numen, cuius patria Sabaria non procul Guintzio distare fertur, sumpta persona humana specie augustiore, pro oppidanis stetisse, et pavore ac trepidatione pugnantium pectoribus immissa, superbum hostem quasi fanatico carmine consternatis animis canere receptui, et terga vertere coegisse. Atque hactenus quidem Ebraimus vim atque arma expertus, ad mitiora consilia convertit animum, sui generis magis quam temporis et fortunae memor. Illectum promissis cum data fide impune futurum polliceretur, in castra avocavit: simul illius virtute collaudata magnificis verbis, ostendit sese, quod vi esset expugnaturus, pro suo in illum studio, malle a volente impetrare: Satis iam suam fidem Ferdinando, satis suis, satis

patriae probasse, quod qui esset assecutus, praeclare videretur viri fortis officio functus, quem nosse aequum esset, et quid vires hominis ferrent, et quo liceret virtute subnixo, atque magnitudine animi pervenire. Daret tempori, quod ne virtus quidem negaret, ut ultra vires hominis pergeret sui periculum facere. Quae virtus ad eum diem apud Solimanum illi honori esset futura, ut neminem alium magis virorum fortium admiratorem, fore, ut pertinacia corrupta, in odium verteret. Licere incolumibus suis omnibus, nulla cum suorum offensione, pro quorum libertate ad ultima usque discrimen rerum humanarum pugnasset, insigni cum Solimani gratia oppidum dedere, quod invitus ad extremum victori cedere certa cum omnium peste atque exitio cogeretur. His verbis perpulit, ut victa animi pertinacia diceret se in potestate futurum. Quod tamen ne crederet conscientia virium magis, quam vetere amicitia a se fieri, cuius apud se grata memoria animo vigeret, se illum etiam atque etiam orare. Hinc cum multa de se, plura de suis magnifice dixisset, non consilium sibi, non animi constantiam, non vires ad externam vim omnem propulsandam defuisse, non defuturam; addidit illud tamen, victum se memoria antiquae consuetudinis fecisse, ut eum nollet diutius, quam necesse esset, habere hostem, cuius sibi amicitia semper honestissima fuit. Quando liceret incolumi sua fide et religione, privatim simul cum eo colere amicitiae iura, simul pro Ferdinando Rege arma gerere, cui semel se militari iureiurando obstrinxisset, quod sanctissimum apud se esset, se illi oppidum et cum suis simul sese tradere in fidem, iis acceptis conditionibus, quae et iis honestae essent quae acciperent, et dignae Ebraimo duce Solimanoque Im-

peratore adeo essent, a quo acciperentur. Polliceri quidem id quod a se peti primo loco sciret, in posterum se Solimani maiestatem comiter san cteque conservaturum, neque recusaturum in praesentia, quin eius signa in summo turris fastigio constituerentur, quae argumento essent, oppidum in victoris potestatem redactum. De accipiendo in oppidum Turcarum praesidio, se eadem quae ille vellet sentire: quo minus speraret, quod sentiret, se praestaturum, militum consensu prohiberi, quorum esse sciret obfirmatos in contrariam sententiam animos: non enim in ducis potestate semper milites esse, quibus saepe etiam in his, quae minus quae ille vellet viderentur ferenda, esset conivendum. Germanos qui essent in praesidio, a ceteris gentibus, legibus, institutis, moribus diversos, quae res maxime hominum animos dissociaret, praecipuo quodam odio in Vngaros ferri, ut minime dubitari oporteret, quin simulatque audissent se auctore de deditioe transactum, eodem consensu se ad supplicium raperent, nequidquam ab immanissimis hominibus proditiois crimen deprecaturum. In his quidem, quae sui muneris potestatisque essent, daturum se operam, ne quid, quod minus vellet, de sua fide et constantia audiret. Nam in omnes qui in Solimani Imperatoris fide essent, omnibus humanitatis officiis cum his se certaturum, qui aut Turcae nati, aut Turcarum sacra ultro volentesque suscepissent: in ceteros quidem qui in proximis praesidiis agerent, non modo ab omni iniuria temperaturum se, verum etiam commercio illos et benigna communicatione rerum omnium impertiturum, ut vicinitatis atque amicitiae iura postularent, quae sancte et summa cum religione esset servaturus. Credita haec facile Ebraimo, tum quod minime abhor-

rere a vero viderentur, tum quod de hominis fide iam eam opinionem imbibisset, ut nihil subesse fraudis in illius oratione, cui non expediret se falli, existimaret. Itaque non aegre persuasum provento hominis comitate, ut quibus conditionibus vellet, acciperetur in fidem. Nam, quae de Germanis dixerat, quamquam commentitia, ab eo tamen commemorata, de cuius fide barbarus semel non esse sibi dubitandum statuisset, facile credita. Nihil vero exploratius erat, quam Germanorum in Turcas, in Germanos Turcarum odium. Datum vero Ebraimo, cuius summam in se suosque facilitatem atque indulgentiam esset expertus, ut quasi per speciem praesidii, aliquot Ianizeri in oppidum acciperentur, mox una cum duce ad bellum discessuri. Inde Solimanus, cum reliquis copiis Ebraimū assecutus, Guintzio motis castris, ad Carinthiae fines contendit. Montana regio tota, Pannoniae olim Superioris pars, inter septemtriones et orientem solem ad Carnos, in quibus olim Iapidas creduntur veteres censuisse, inter occasum et meridiem ad Alpes Noricas, et Forum Iulii pertinet, fertilis illa quidem, et frugum omnis generis ferax, sed non ita culta, ut opulentioris praedae facultas inde esset exspectanda, et tanto belli apparatu digna, praesertim qui multo ea potiora Vngaricum regnum et Viennam Austriae regiam peteret, ex quorum direptione exercitum numerosissimum ditaret. Quae cum ita se haberent, non temere tamen cuiquam veniebat in mentem, quam rationem consilii Solimanus secutus, relicto a dextra hoste, in quem unum iactaverat tantis viribus instructum exercitum adornari, peteret extremos Pannoniae fines et Iulias Alpes, quasi arma Italiae illaturus. Nam, si hoc modo spectabat, ut vastatis populatisque Austriae ditioris agris, redu-



ceret in Thraciam exercitum praeda onustum, id quod postea egit, agi hoc aliquanto facilius potuit per levis armaturae equitatum, quiescente eo, cuius dignitatis non erat, tantae Regis maiestatis, praedatorum in morem, observato hostis tempore, excursions in agros hostiles facere, hostis congressu, qui ultro petendus, caput belli esset, declinato. Verisimile quidem, quod iam monuimus, Solimanum, cui minime persuasum esset, intentum Caesarem componendis Germaniae rebus, bello vacaturum, expeditionem suscepisse, cuius exitum tristem Ferdinando, quem unum vere peteret, frustrato Germanorum auxiliis speraret. Quae cum temere credita meliore consilio sibi emendanda statuisset: subire certaminis aleam minime ausum; cuius si minus ex sententia accideret, eventus, certum portenderet maximi inter homines imperii occasum. Haud operae pretium duximus, pluribus commemorare, quae nonnulli tradunt de seditione militari Viennae inter Hispanos et Germanos orta; in unius enim gratiam scripta, quamvis illius quidem summi viri, et numquam satis laudandi, parum digna tamen quae posteri cognoscerent existimavimus. Seditio Avari virtute simul orta et compressa, restinctaque est, cuius erat summa secundum Caesarem in exercitu auctoritas. Enimvero fuit nostra aetate hic unus cum paucis vir, de cuius virtute propterea sit paucis agendum, quod ipse rerum gestarum magnitudine perfecit, ne pluribus ad eam ipsam virtutem illustrandam opus esset, non prius aliorum testimonio, quam merito suo clarus. Cum dignitate formae, qua inter aequales omnes excelluit, vis animi acerrima atque ingenii coniuncta, quod sua sponte propensum ad gloriam excoluerat politioribus literis; in quibus ita profecerat, ut rei militaris lau-

dem literarum ornamento, militiae gloria augeter literarum decus. Ad cetera bona, quae a natura hausta, arte et studio meliora reddiderat, accedebat eloquentiae laus, atque adeo, ut sive inter togatos in senatu ageret, sive in castris et in acie armatus, nemine non illi hac gloria concedente sibi sumeret principem locum. Liberalitas tanta, quantam fortuna non caperet, etiamsi ea indulgentissima erat usus. In re militari virtus excellens, cum clari duces quotidie multi existerent, Italia belli flamma ardente ita sua sponte tantum ornavit, ut aemulandus ipse multis, unius ipse sui, esset sibi aemulandus. Sed, ut unde digressa est oratio, revertatur: quicumque is fuerit, a quo seditio orta sit, haud dubium est, quin si milite tam seditioso et contumaci res gesta cum hoste esset, belli initium finis consentiens, tristis et funestus esset consecuturus. „Quanti autem intersit gerendis rebus, imperare ducem militi, imperii, et disciplinae potenti: militem duci verbo audientem parere, qui norit suos in officio continere recte imperando, neminem fugit.“ Quae tametsi ratio vincat vera esse, nequidquam tamen bene inter militem ducemque conveniat, nisi idem voluntatum studiorumque consensus vinciat animos liberali educatione, et rei militaris disciplina ad virtutis decus et gloriam excultos. Inde Turcarum vires tantae non numero et copia magis, quae a principio contemnendae, ad tantam magnitudinem perventurae vix credebantur, quam disciplina militaris imperii in eos, quibus pro lege, imperantis nutus esset. Interea Solimanus per montana et saltuosa loca exercitum ductando, ita suos a pugnae discrimine prohibebat, ut inquietus animus et contumeliae insolens, horreret hinc infamiam haerentem salutari consilio, hinc imminens ultimi certaminis

discrimen speciosa salutaribus praeferenti; ita anxius curis, ut cum horum alterum intelligeret sibi subeundum, ratio frendentem frementemque eo traheret, unde gloriae avidum inconsulta temeritas praecipitem ad exitium rapuisset. Quae cum diu animum torsissent flagrantem curarum aestu: vincente tandem ratione inanis gloriae studium, per hostium caedem atque interneccionem, qua tuto circumferri arma possent, moeroris solatium ab immanitate ingenii petere constituit. Mox Cassono imperat, uni ex equitum praefectis, qui superiore expeditione Austriam vastaverat, ut assumptis equitum XV millibus, quidquid spatii Lincium usque intercederet (centum quinquaginta milia passuum culti soli fuisse Iovius tradit), populabundus excurreret distributo in tres turmas equitatu, ut eodem tempore, per partes diversas belli flamma pervagante, regio universa eodem incendio conflagraret. Neque animus, neque voluntas defuit exsequenti crudele imperium, illecto spe praedae, cuius aviditate non minus, quam gratificandi studio imperanti Solimano tenebatur. Late effusa populatio Lincium usque tenuit, immani hoste, quocumque pervaderet, feritatis suae insignia vestigia relincente. Visebantur passim foeda spectacula et horribilis facies rerum, agrorum, villarumque longe lateque fumantium incendia, exusti pagi, solo aequatae arces, sacrae aedes eversae, directa fana, tum senum, tum mulierum et puerorum imbellis turba, qui miserandum in modum vineti catenis, sequi pedites infirmo gradu celeres insidentes equis, omnia fletu et comploratione implentes cogebantur. In oppidis quidem, cum e turribus, atque e tectis domorum flammam quaquaversum saevientem circumspicerent, moenibus diffisi confugiebant in pro-

pinqua loca, quae sibi imminerent mala praesagientes animis, qua capessent, aut quo intenderent fugam ignari. Ita saepe miseri, qua terror et trepidatio palatos agebat, in eam, quam fugiebant pestem, a salute aversi quam frustra ab irato numine implorabant, ferebantur; cum nulla spes vitae natu grandiores, nulla redemptionis vigentes aetatis robore maneret, qui aut futura mancipia, et barbaris vilia capita, aut compotes salutis per abiuratam religionem sanctissimam, quam profiterentur, in foedam servitutem rapiebantur. Iam, tanta belli clades, quocumque intenderet hostile ferrum, Cassono formidinem et pavorem prae se agente, ad Annassum amnem pervaserat, quem nostri nunc Plavim credunt, perlongum terrarum tractum in Venetorum aestuaria se effudentem; cuius adventu territus Ferdinandus, qui tum Lincii erat, cum oppidum nullum militum praesidium tueretur; peditum cohortem, qui transitu hostem prohiberent, a Pontificis legato acceptam, qui Cremsio ad illum nuncium de hostium adventu praemiserat, manere apud pontem in statione, et obsistere vim facientibus iubet. Huic militum cohorti qui praecerant, ut licuit oppressis angustiis temporis, materia comportata e vicinis locis aggerem subiectis doliis humo oppletis exstruunt, simul signo edito, Hispanos revocant, qui ad famam adventantis hostis Danubium transierant, veriti ne Solimanus de improvise incautos oppressurus cum universis copiis adesset. Haud dissimilis error Cassonum Lincio avertit, non ausum transitum tentare, cum minime verisimile existimaret, oppidum peropportune ad hostem arandum inter Viennam et hostem situm relictum vacuum praesidio. Aliam affert Iovius discessus causam, cum ponte oppidum adiri, arborum proceritate

prospectum adimente, ignoraret, alio, desperato consilii eventu iter flexisse. Quae nobis quidem ridicula caussa videtur, quibus magis verisimile fit, frondosas arbores, ut ipse ait, medias interiectas, speculae usum, unde omnia circa despicerentur, volenti, ut par erat regionem explorare, praebere potuisse. Tametsi ne hoc quidem credendum, Cassonum, in cuius potestate multi periti eius regionis essent, ignorasse an oppidum ponte iungeretur, praesertim quod per nundinarum celebritatem, ab omnibus fere gentibus frequentari semel atque iterum quotannis soleret. Quid quod superiore bello a Solimano praemissus, magna cum populorum clade cum expedito equitatu pervagatus per ea ipsa loca excursionses fecerat. Illa verior caussa, qui et sui muneris, et mandatorum meminisset, non censuisse sibi oppidum tentandum, contra atque illi ab imperatore praescriptum esset, non idoneo militum genere urbibus oppugnandis, non tormentorum apparatu instructo, praesertim quo propediem cum selectissimis copiis magni nominis ducibus, exercitu florentissimo ferretur Carolus Caesar venturus. Ergo Cassonus, quaecumque consilii caussa esset, longe lateque regionem depopulatus, refertos praeda equites et captivorum turba, retro reducere ad Solimanum constituit. Multum fortuna in rebus aliis omnibus, plurimum in bellicis rebus potest. Falsus coniectura itineris dux, cum Solimanum non longe a Guintzio processisse existimaret, innumerabiles copias trahentem audivit in Stiriam progressum, Gratium ducere, quae urbs est regionis caput, qui illi error exitio fuit. Nam et tam effusae populationis fama, et plorantium ac quiritantium clamoribus, inprimis pagorum atque arcium incendiis, exciti Germani, cum suspicati essent, id

quod erat, Turcas adesse: quisque privato consilio arma capiunt, hostium simili fugae receptu, quominus duces de rei ratione gerendae consultarent, spatium adimente. Eo autem erat magis barbaris accelerandum, quo impediti praeda, defessis equis longo itineris labore, opportunos se magis, ubi minus celeritati studerent, insequentibus Germanis reddebant. Accedebat domesticus dolor, quo Germani elati tum ad praedam recuperandam, tum ad redimendos suos incitabantur, qui in tetram servitutem abducerentur, ut nec satis in equis pernecitatis esse ad persequendum quererentur, et inter se inertiae et segnitiae damnarent. Aualus quidem Italorum dux, ad Cremsium militem Danubium transmissum, alio itinere, per saltus et silvas; qua speraret se hostem accelerantem vestigiis adepturum, ducit. Itinere diverso Fridericus Palatinus, qui Germanorum copiis praeerat, sive ipse sua sponte ductus coniectura, sive ab exploratoribus certior factus, Viennam contendit, inde ex ratione temporis et hostium receptu consilia capturus. Eodem tempore Austrii duces, quorum animos foeda incendiis patria, liberi in servitutem abducti, ceteris incendebant vehementius, tum Lodronius Comes unus Italorum militum dux, Boemi, Moravi, equites Vngari maxime inveterato in barbaros odio, ob tot illatas patriae clades, variis singuli regionibus hostium adventum intenti observabant. Varia pro cuiusque ingenio consilia, unus finis consiliorum erat, ut insidentes opportunis locis tegendis consiliis, incautos hostes exciperent, quibus properantibus ad Solimanum haud satis explorato, atque ex rei militaris usu iter facere liceret. Aualus cum incertus consilii per devia loca, dubia praesertim hostium fama, ducere

militem non auderet, tertio a profectio die, cum in subitam expeditionem educto militi vix quantum cibariorum satis per tridui spatium crederetur, exportare licuisset, Cremsium rediit, atque inde Viennam militem duxit. Erat ita Cassono iter ad Solimanum intendendum, ut inter utrumque interpositos montes superari necesse esset, quibus Austria a superiore Pannonia dirimitur, quae veteribus creditur prima consularis fuisse: Montes a flumine Danubio, non magno relicto spatio, qua aegre singulis curribus liceat comere, leni acclivitate in modicam altitudinem attolluntur. Tractus omnis regionis cum oppidorum frequentia, tum situs opportunitate, inprimis clementia coeli, et soli ubertate feracissimus. Iidem qua sensim se in subiectos campos demittunt fauces aperiunt, utrimque proceribus arboribus convalles tegentibus, quae aptae maxime struendis insidiis habentur. In his convallibus, cum alii aliis in locis, tum Neustadienses, cognito ab exploratoribus, Cassonum in proxima convalle aquandi causa substitisse, ad V armatorum millia, qui intenti hostium adventum opperiebantur, sese e locis editioribus, qua leviter declivis mons descensum molliorem praebebat, demittunt, atque impetum in pabulatores faciunt, et si quos alios aquatum lignatumque egressos, praecipiti cursu se invehentibus obtulit casus, atque multos ex iis interficiunt. Interea equites Turcae, qui ad clamorem militum e clivo decurrentium excitati arma induerant, iam comparatis ad dimicandum animis, suis auxilio accurrunt, atque equis confertis densata fronte, coeco furore in se irruentes et currendo ac pugnando fessos integri viribus, et numero superiores excipiunt. Neque diu nostri equitum vim sustinuerunt. Magna pars

caesi, capti alii, nonnulli cum se in propinquam paludem immersissent, aqua umbilico tenus exstantes, noctem quae secuta est traduxerunt, atque inde sub lucem cursu effuso aegre se Neustadium receperunt, facile barbaris patientibus, quibus quidem pro magna victoria fuisset, persequentium se hostium impetum magna cum caede repressisse. Praeter alios, qui in ea pugna ceciderunt, numerat Iovius nobiles aliquot Hispanos adolescentes, et qui honestos ordines militiae duxerant. Nam, qui his praecerat, Ludovicum Coveium, cum perniciosissimo equo uteretur, supra casae rusticanae septum, quo area clauditur, saltu elatum incolumem ad Germanos se recepisse ait. Qui quidem quamquam de loco superiore, et unde dispici commode omnia possent, quae infra gererentur, quantoque in discrimine sui versarentur non ignorarent, otiosos se modo spectatores, adversus omnium adhortationes obfirmati praebuerunt; qua quidem in re narranda, ut facile patiar Iovium aliis suam fidem probare, non dissimulabo Iovii in Germanos odium non obscurum, cuius impotens, nullam occasionem omittit, stilum in nobilissimam gentem perstringendi, mihi illius fidem reddere suspectam. Inde Cassonus veritus, ni iter acceleraret, ne limoso ac palustri loco sibi esset cum hostium expedito peditatu pugnandum, unde equi aegre moliri pedes altis haerentes vestigiis ac se expedire ad pugnam possent; multa nocte discessit, tetro immanitatis spectaculo in omnem posteritatem futuro, quatuor captivorum millibus, quo expeditiore agmine eunti explicatior fuga esset, interfectis. Cuius consilii exitus, ut appareret vigere in terris dei immortalis numen, cuius providentia res hominum regantur, illi tristis et exitiosus fuit. Ex uno equitum



agmine duobus instructis, alterum, cui Ferisus praeerat, vir industrius et magni animi, alia properare via ad Solimanum iussit; alia ipse non aequae laetis auspiciis alterum duxit. Ferisus enim cum ad meridiem converso itinere, silvas quae densae intercedebant, dolabris, securibusque caedendas exactor operis acerrimus curasset, suorum eximia opera usus incolumis ad Solimanum pervenit. Alia Cassonum fortuna excepit; cum per vallem, qua est situm oppidum Storambergum iter haberet, in Fridericum Palatinum militem Germanorum ducem incurrit, cum augustae principem dignitatis, tum qui animi fortitudine nobilitatem et splendorem generis aequaret. Is in omnem occasionem intentus, non procul Leopoldio ignobili vico castra habebat, ut non sine spe rem bene gerendi, observato hostis tempore, ita egregiis copiis tormentisque instructus: XII enim peditum millia, duo equitum cataphractorum in armis habebat, tum minora tormenta XX quae campestria vulgo milites vocant. Quae vires, ut cetera abessent, satis firmas ad hostes terrendos, ut etiam maiores aliquanto quam essent crederentur, palustribus locis exorta subito nebula perfecit, quae offusis circa tenebris, visum fallabat (quod in metu accidere solet) maiora vero, quae semel sibi cavenda statuissent, cum adessent credentium. Mox calescente sole discussa nebula dux paucis suos adhortatus in Turcas hostes contra infestis hastis venientes dirigere tormenta, et simul gravis armaturae equites propellere gradum inferentes iubet. Ita repente emissis e tormentis globis Turcae equites, aut foeda strage sternebantur, aut declinantes a via, id quod erat crebro agendum, vitantibus tormentorum ictus, in viae adiacentem paludem equos flectere co-

nabantur, ubi alto limo hausti miserandum in modum interibant, ut in tantis malis tamen, cum nonnulli strenue ex equis desilientes enitendo eluctandoque e palude emergerent, pertinaci virtute sibi viam ad suos aperientes, praeter nostrorum agmina, suos servantes ordines progrediebantur, tantam eorum audaciam ita Germanis admirantibus, ut stupore defixis in praetereuntes oculis, quasi spectaculi et pompae, non belli et pugnae esset tempus, loco immobiles haerebant. Qua suorum cunctatione Palatinus animadversa: Enimvero, inquit, cito vobis effluxit, milites, ferocia illa animorum, illae minae, spiritus illi exciderunt, quibus tumentes, bellum, arma, classicum, evertendum vobis Turcarum imperium posebatis. Itane vero? hoc potestis ferre, ut spectatores ipsi hostium virtutis, vestrae nequitiae hostes spectatores reddatis? Hic animorum ardor? haec vis? haec alacritas? Tantam ignominiam Germani, invicta olim bello gens, Martia vera et Germana progenies, poterunt sustinere, ut otiosi spectent, praeter instructam suorum aciem in hostico impune barbaros hostes tamquam in pacato suis servatis ordinibus progredientes. Non passi Germani ulterius progredi dicendo, clamore sublato, cum eodem tempore dux tuba signum dari, et signa concinere iussisset, hinc gravis armaturae equites in latera incurrentes, hinc pedites, qua densata acies erat impenetrabilis, hastatorum phalanges in hostes irruunt, tanto quidem impetu, ut quamquam veteranus miles, et pari animorum et corporum robore, aut hastis confossi, aut protritri equorum pedibus, pecorum in modum interficerentur. Supra tertiam equitatus partem ait Iovius desideratam, in his, quae maior iactura fuit, Cassonum ducem, cum in postremo agmine fortissime dimicans,

incumbentium in se Germanorum impetum, quo latius fugae spatium suis, qui antecesserant, ad salutem relinqueretur, sustineret: iam enim Lodronius, qui non longius a palatino VII mill. passuum aberat, sive missis ab illo nunciis, sive factus certior fama, cum ea, cui praeerat, militum manu, ei ire auxilio properabat. Iovius in principio monitum tormentorum strepitu, mox in itinere per contractos montium flexus et vallium sinus, armorum sonitu exaudito, qui variis in locis reciprocando, veri conflictus imaginem referebat, movisse ait. Quaecumque eius rei caussa fuerit, ubi ulterius progresso occurrentes palati hostes rei gestae fidem fecerunt, veritus dux, ne si dirigeret in adversos tormenta, cum fugientibus immixti persequentes nostri peterentur, suos distringere gladios, et rem gerere cominus, ut eorum virtus postulabat, cum hoste iubet. Interea trecenti e fugientium Turcarum agmine, cum alios cursu praevertissent, futurae caedis solatium ex hostium exitio quaerentes, quae ante oculos obversabatur, eo impetu nostros sunt adorti, ut in vulnera et caedem ruentes, furentium \*) et bacchantium similes, unam ultro appetere mortem vindicem infelicis vitae acti vesana rabie viderentur. Sed breve iis solatium fuit. Ad unum omnes, victa ferocia animi, interfecti. Inde Lodronius suis cum Ioachimi Brandenburgensis copiis iunctis, ex suis unam peditum aciem efficit, ita ab uno ad alterum cornu in latitudinem porrectam, ut sensim introrsus recedens, medium efficeret sinum. Ea visa idonea forma ad hostes excipiendos, effusa fuga dissipatos, quos quidem spes erat, mox longius productis cornibus, medios posse circum-

---

\*) Itt végkép megszakad a Bécsi Codex.

veniri. Neque a Lodronii consilio Brandenburgensis discessit, duobus millibus equitum ita collocatis, ut aequae sinuosa acie territos barbaros superiore clade, et in fuga disiectos, circumductis alis, clauderet. Quibus hostes animadversis, pavore et trepidatione, id quod saepe in deplorata spe salutis accidit, in temerariam audaciam et ferociam conversa, ultro ipsi inferunt pedem, nequidquam arma, tela, tormenta nostris obiiicientibus, cum ut viros fortes deceret, id unum curarent, quando cadendum esset, ne inulti morerentur. Multi tamen, cum conferti nostrorum vim impetumque elusissent, equorum pernecitate et robore perrumpentes Germanorum ordines incolumes se in propinquam planiciem e media caede subduxerunt. Quamquam vero macilentis, et strigosis equis uterentur, cum eos contumax labor, aut persequentes victos, aut fugientes victores confecisset: assueti tamen exiguo pabulo victum tolerare, et suoapte ingenio celeres atque expediti, facile statarios Germanorum et graves tum suorum armatorum pondere, longo spatio praevertentes, post se retro reliquerunt. Ita Turcae elusis urgentibus in vestigiis hostibus, qua concitatos fuga casus, temeritas, et itineris ratio agebat, in late subiectos campos perveniunt, qui soli natura fertiles, et maxime humano victui et pecori alendo opportuni, ad oppidum Novecclesiam pertinent, quod Neukirchen Germani appellant. Oppidum ipsum ob situs opportunitatem incolarumque frequentia, placido anni e leni alveo terram irrigante, qui idem moenia praeterlabitur, et exterorum commercio celebre habetur: ut defessis longi itineris labore, nihil accidere commodius aut opportunius posset. Felicissimus quidem terrarum tractus, coeli aspiratione salubri, et copia frugum omnis generis,

quam ager feracissimus, tum late herbescencia prata et laeta pascuis hominibus iumentisque administrant. Ita dum Turcae, tamquam diei periculo perfuncto, solutioribus animis corpora curant, novo atque inexpectato malo, quo gravius esset, subito opprimuntur. Cacianerus Germanorum militum dux, tot clades et funera perpressis ultima pestis atque exitium fuit. Signo e tectis domorum et speculis accepto, Turcas non procul vagari, cum eadem fama consentiens ferret, ea cum militum manu, quam habebat (Iovius tria equitum millia fuisse tradit), ad illos contendit. De improvviso Turcas oppressos, neque animi praesentia, neque vires deficiunt, quamquam tot iactatos ac vexatos malis, ex iis paucis, dum equos atque arma expediunt, interfectis. Alii constantia adnixa et animi magnitudine, ancipitem nostris pugnam fecerunt, atque adeo etiamsi numero inferiores, a pluribus circumventi, nunc in adversos pugnare, nunc aversi ipsi ab iis, qui in fronte proeliabantur, in eos qui a tergo adoriebantur, ferrum distingere cogentur. Quo in rerum discrimine dum Turcae versantur, magni nominis Vngarorum duces, Toeroekius, Bakithius, Baldassar Bamfius, magna cum equitum manu superveniunt, atque animis et viribus integris pugnam instaurant. Nullum militum genus aeque Turcae atque Vngaros horrent. In aliis multis rei militaris disciplina par, atque armorum genus, sive pedibus sive equo mereantur, concurrenti pugnandique eadem ratio, neque varius militaris ornatus: Vngarorum praesentiores animi, ut pugnantes prius mori in vestigiis, quam cedere loco malint. Ita cum sublato clamore adessee Vngaros, et de integro pugnam cieri animadverterent, spe omni salutis abiecta, praecipites terga vertunt, iam fugae, equis invalidis, in quibus

ne quid perfugii recentibus etiam atque integris a labore esset, urgentes in vestigiis Vngari recentibus equis efficiebant, quos, ut alibi diximus, impenso studio undique conquisitos e vicina Thracia, maxime aptos ad celeritatem alunt. Fugientes Turcas, quantum diei spatium superfuit, Vngari persecuti in castra magna hominum caede facta redierunt, cum insignem fortitudinis laudem omnium consensu eo die retulissent. Ex octo millibus equitum, cum eodem die tribus proeliis male ab his pugnatum esset, perpauci incolomes ad Solimanum, testes acceptae cladis, pervenere. Interea Carolus Caesar, Lincii nunciis acceptis, Solimanum in Stiriam cum universo exercitu progressum; de ratione belli gerendi consultabat, incertus consilii, utrum persecutus hostem cum omnibus copiis cogeret acie decernere (invitum enim eo descensurum arbitrabatur), an peteret Viennam, illic e Stiria redeuntem expectaturus. Etsi autem magna pars opem ferendam censebat vexatae provinciae omni belli clade, idque imprimis pertinere ad Caesaris maiestatem existimabant, in cuius ditione Stiria, atque illi adiunctae provinciae essent: multos tamen terrebant per praeruptum atque arduum iter impedimenta magni exercitus et tormenta trahenda, quorum difficilis subvectio per campestria etiam et demissa loca ducentibus haberetur. Accedebat aliud incommodum, in populata atque eversa provincia, in qua desertis pagis, incensis urbibus omnia barbaris praedae cessissent, nihil relictum quod exercitui alendo esset, cum quidem avarus miles, qui nihil sibi reliqui ad summam avaritiam fecisset, ne oneri essent, multa corrupisset. Nam quod essent, qui crederent aequiore conditione pugnatorios, adeptos hostem angustis locis (nullius enim usus tum equita-

tum futurum, quo uno maxime nitebatur), omnino nihil esse. Dei immortalis beneficio Carolum V. Caesarem, nequid esset ab hostium multitudine timendum, et virtute, et disciplina, et numero adeo militum, qui vere milites haberentur, hoste barbaro superiorem. Maiorem barbari exercitus partem imbellem turbam, vix ut credendum esset, decimum quemque aptiorem pugnando cum hoste armato, quam materiae caedendae, aut fodiendo agro. Ita quicquid commodi sperandum esset in angustiis pugnantibus, quod ipsum tamen asperi ac praerupti itineris incommoda, quae essent necessario adeunda, minime compensaret, aequatum iri maiore com meatuum copia: Viennam enim petentibus, e feraci agro, et urbanis horreis, magnam frumenti, magnam pabuli vim suppeditatum iri. Accedere fluminis opportunitatem, ut quae soli natura non subministraret, tum alia necessaria, quibus exercitus indigeret, tum peregrinas omnis generis et transmarinas merces liceret secundo flumine importare. Vt haec sententia vinceret, quae et tutior et speciosior erat, plurimum attulit momenti reversus Apontius Hispanus, vir rei militaris scientia atque usu clarus, quem Caesar praemiserat regionem et tractum omnem, quae esset iter in Stiriam habendum, exploratum. Nam his fere consentientia attulerat, quae acta in consilio erant, iis, qui Viennam et Vngariam spectabant, multo, ut credebat, meliore consilio assensus. Quae quamquam ita essent, non defuerunt tamen, qui honestatis potius quam incommodi memores, quod manebat omnibus persequentes hostem viribus, a tergo urgendum a pugnae discrimine refugientem omissis omnibus aliis consiliis censerent. Ac video quidem esse nonnullos ex eorum numero, qui haec litteris mandarunt (multi vero

eodem tempore fuerunt), qui huic adversam sententiam tueantur, quos facile patior ingenio indulgere, assuetos homines studio militum et gratiae dare, cui minime servire scribentem decet; sed nullius est tanti apud me auctoritas, ut non pluris ratio sit. Etsi vero illatum bellum nostri defendebant, inferebant Turcae: belli apparatus tamen, et ea ipsa ratio propulsandi belli, fidem faciebat, quo consilio itum esset ad arma. Nam si hoc unum modo Caesari spectandum erat, ut bellum propulsaret a Turca illatum, ut minus etiam e Germania moveret, licebat, urbibus praesidiis munitis, quod superiore Solimani expeditione actum erat, soluto animo belli curis vacare discidiis Germanorum tollendis, quae imminente Christianae reipublicae ingentium malorum moli aditum aperiebant. Equidem credo, et inferenti arma et propulsanti pariter unum propositum finem: victi hostis exitium. „Non enim iisdem legibus magni reges de publicis rebus bello decernunt, quibus in foro privati de communibus controversiis, ut cum iudex pronunciarit, pariter, et qui victus discedit, et qui vicit, stare rebus iudicatis cogatur, spe abscissa ulterius progrediendi.“ Nullus est belli gerendi modus, quamdiu is qui intulit bellum est in armis; a quo quidem nemo credit satis se in posterum tutum, nisi ipse efficiat ultro bello hostem persequendo, ne sibi illius arma timenda sint; cuius rei exemplis illustribus sunt referti gentium omnium annales. Caesarem Viennam secundo flumine delatum, exercitus duces clari bellica virtute homines, militum multitudine prosequente urbanae immixta, laetis acclamationibus faustisque ominibus accipiunt, felicem illius adventum et salutarem, non Vngaris et Germanis solum, sed universo etiam Christiano orbi ominantes. Inde variis



spectaculis et ludicris certaminibus dati aliquot dies, quibus simul relaxarentur curis animi, simul exerceantur vires, paullo post in verum hostem a falsa imagine rerum traducendae. Ac multus quidem est Iovius his explicandis; quem quidem sequi auctorem quamdiu meminit quod scribentis munus sit, et volumus, et prae nobis adeo ferimus, ne muneris suscepti immemorem sequamur, nostra nos fides monet, quae ad maiora properantes rapit, et quae propria huius muneris habentur; facile patientes illi luxuriare ingenium tum Caesaris tum aliorum ducum ornatu describendo, quo genere armorum instructi essent, qua chlamyde, qua induti trabea, quo picta opere, auro an holoserico vellere intertexta, tum de galeae cono, et de cristis, purpureis plumis, an discoloribus comantes aura ventilaret, quae omnia forte in matronarum nobilium coetu grata accidant, et aliorum in meliore sexu muliebri ingenium referentium, viris et robustis sordent, quae se digna sint a scriptore rerum poscentibus. Erant quidem Caesaris florentissimae copiae, e nobilissimis Europae populis certatim viris fortissimis sacram militiam profitentibus, quos gloriae spes excierat ad bellum. Quicquid roboris in veterano milite aut Germania habebat, aut per longum annorum spatium iactata Italia perpetuis bellis, quicquid Helvetii, Hispani, eodem contractu, quasi universo orbis spectaculo futurum visebatur, nobiles iuvenes et generosae indolis, tum quos natos obscuro loco, spes illustrandi nominis, ad capessendum militare decus excitaverat; omnium maxime ex Vngarica nobilitate vigentes iuventae robore, qui non solum militiae honorem, sed voluptatem ulciscendi domesticum dolorem, per immanium hostium excidium petebant, sibi princi-

pem pugnae locum in acie sumentes. Addit Iovius, id quod verisimile est, multos e Polonis generis splendore illustres bello interfuisse, verae gloriae aemulos connivente Sigismundo, qui ne publice auxilia mitteret foedere impediatur, quod olim cum Selimo ictum cum Solimano non semel erat instauratum. Inde cum copiae lustratae essent, peditum XC millia, equitum triginta, inventa praeter servitia, validam iuvenum manum, qui etiamsi non essent militiae adscripti, ut nobiles homines erant, secuti ad bellum, ut incitati spe melioris fortunae, et iis necessaria ministeria obire, et navare egregiam operam in acie armati possent. Fuisse quidem in Caesaris castris bellatorum CCLX millia atque eo amplius, non Iovius solum, sed alii etiam tradunt. Habeo equidem gravem auctorem, eundem nobilem hominem, qui huic bello interfuit, Franciscum Turrium, cuius supra mentionem fecimus, habuisse Ferdinandum in armis missos a Germanis ex imperii formula militum XL millia, qui ad eam partem publici pontis erant collocati, quam vulgo Germani Velf appellant, his XII millibus Hispanorum adiunctis, ferreis fistulis instructis. Eiusdem militiae Itolorum delectorum X millibus stationem extra urbem decretam. Praeter hunc numerum fuisse veteranorum Vngarorum copias, in quibus aliquot Huzaronum millia censerentur, tum ex Austria, Stiria, Carinthia, multos qui equo merebant, cum Rhetorum equitatu, quorum omnium numerum ad C hominum millium summam pervenisse ait. Idem auctor est intentissima cura comparatam classem tum milite, tum telis omnis generis, et tormentis instructissimam, quae variis Danubii regionibus in statione posita spem hosti praecideret, quidquam ab ea parte moliendi, cui classi Ni-

colaus Rauberus, vir fortis atque industrius, praeesse erat iussus. Affirmant vero grandes natu homines, et periti rerum, numerosos exercitus multos, et sua et maiorum memoria, alte repetita e priscorum temporum annalibus, in Germania, Gallia, Italia conscriptos, quorum nullum contendebant cum hoc uno conferendum. Nam Italus ipse vere possum affirmare, eius temporis aequalis, tantum animorum studium atque alacritatem in omnibus extitisse, ut videretur excita suis sedibus Italia, quidquid haberet virium et roboris, in hanc unam expeditionem profundere. Non, euntibus ad bellum sufficiebant armorum officinae, non aerariae tormentis conflandis, non Italiae, Thraciae, Hispaniae armenta equis suppeditandis. Vnum erat, per hominum conventus, et fora ac compita omnia in omnium ore: Carolus Caesar, Solimanus hostis, Vngaria, Austria, Germania, Christianus orbis, dira Turcarum barbarie ultore ac vindice Carolo V. liberandus; quae brevi, tanto maiore cum nostro dedecore exoleverunt, quanto maiore cum plausu celebritateque ferebantur. Vngaris quidem in speciem modo ostentatum auxilium, mox exitio fuit, qui non armorum pompa, sed animorum robore, et ad debellandum praepotentem hostem viribus certis indigebant. Magnum vero hominum concursum, sacrae expeditionis nomen, virtuti desponsa ingentia praemia pro orbis terrae liberatione sumentibus arma, faciebant; omnium maxime Caroli V. Caesaris felicitas illustribus victoriis multis sancita, quem maxime vellent, hominibus spondebat belli finem. Nemo quidem erat, quin ita statueret, quicumque militiae locus iis contigisset, qui tanto imperatore mererent, honestissimum esse, ut infimus etiam haberetur. Itaque multi, quos insignia militiae decora ad honestos

ordines provexissent, multi qui equitum praefecti, centuriones, signiferi superioribus bellis fuissent, inter manipulares conspiciebantur, ut honestare locum, quae est solida laus viris magnis expetenda, non loco honestari viderentur. Erat quidem Caesaris consilium ita exercitum instructum habere, ut cum se equitatu esse inferiorem intelligeret, non committeret, longius ab urbe recedendo, ut ab hoste barbaro, late effuso equitatu, quo maxime valebat, a flumine excluderetur, id quod non poterat accidere sine insigni exercitus detrimento. Nam (impedita) ab hoste comneatum et necessariarum rerum subvectione, brevi erat futurum, ut tantus exercitus re frumentaria laboraret. Ita vero universam instrui aciem placebat, ut tria hastatorum agmina contra hostem constituerentur, non conferta illa quidem, sed aequis intervallis inter se distantia, ut in his esset spatium ad equitatum accipiendum, quem quidem ab utroque latere septum hastatorum phalange spes esset in concursu validiorem in hostem impressionem facturum. Dextro cornu Carolum, sinistro Ferdinandum fratrem, circumdatum peditum corona praeesse placebat, qui e ferreis fistulis glandibus emissis ab hostium incursu latera tuerentur. Horum acies viginti hominum millia in orbem accepta hastatorum agmina, perpetuo ambitu inclusa clauderent, quibus si quid durius accideret, non ita magno spatio inter utranque aciem relicto, receptus ad hastatos pateret. Tormenta ante levem armaturam collocata, ut simul atque pilas emisissent, pro munimento obiecta impedimento hosti irrumpenti essent. Ungari equites, quibus Toeroekius et Bakithius praeerant, liberam militiam sibi poposcerunt, ita parati animo, ut, quo usus posceret, explicatis alis laboran-

tibus subsidio irent. Hic tantus apparatus belli, qui consignatus monumentis omnium gentium, in omni memoria vigebit, quid possint Christiani reges docuit, ubi singuli in medium explicatis viribus, adversus communem hostem concordibus animis coirent, et ut deceret eo loco positos, qui in Christiana republica summus haberetur. Docuit quidem Solimanus, penes quos crediderit victoriam futuram, siquando tentaret fortunam proelii, a qua se tam foede subtraxisset: apparuit certe affuisse vires, quas sibi deesse querebantur; abfuisse alacritatem et studium, quo in mutuum perniciem flagrantem in procuratione reipublicae languerent, quo iis minus liceat deprecari perpetuam haerentem nomini infamiam, cuius immemores, prae odiis privatis terrarum orbem immanibus hostibus tantae pestis contagione evertendum prodiderunt. Neque tum Carolo Caesari affuit vetus hostis Gallus, novus hostis Anglus Rex, non Polonus, non Venetorum civitas potentissima, non alii Italiae reguli, quorum vires quantae erant accessioni futurae gerentibus in Turcam bellum? Equidem haud scio satiusne fuerit, ignorari quantae nostrae vires essent, an ita in apertum proferri, ut per eam occasionem nudatis animis male cum viribus consentientibus, maiore cum culpa peccare, et dedecore videremur. Atque haec quidem expeditio, quae celebrata omnium gentium scriptis, praedicatione, fama: inanis pompae simile habuit initium, similem eventum. Sedulitate principum, et studio incredibili comparatam ita est posteritas acceptura, ut intelligant, potuisse tantis copiis cum Turca debellari; quaerant, cur debellatum, cum licuerit, cum Turca non sit. Vere illa gloriosa expeditio, quae nostra aetate a Philippo Rege, et civitate

Venorum in Turcam suscepta, memorabili victoria in omni posteritate ad Echinadas insulas parta, bellum clausit. Interea Solimanus, qui longe alio consilio susceperat bellum, quam sibi gerendum intelligebat, cum de iis quae gesta in Austria essent certos nuncios accepisset, quamdiu per anni tempus licebat, signa referre, et redire Byzantium constituit, in magis idoneum tempus instauraturus bellum, et cum a fratre tuendo adversus hostilia arma volentem esse auxilio alii averterent casus. Ita retro converso itinere, inter duos annes Savum et Dravum, multis affectum exercitum incommodis et detrimentis, Belgradum reduxit. Nam praeter equitum caedem, quos, Cassono duce, miserat Austriam populatum, multos in postremo agmine, agrestes, manu facta interfecerant, fama rerum gestarum in Austria ad illos perlata. Neque alia Caroli Caesaris sententia fuit. Satis se officio functum arbitratus, quum territum suo adventu hostem, domesticis viribus hostium contemptione superbum multis acceptis cladibus ex Vngariae finibus expulisset; redire constituit, appetente iam hieme, anni tempore minime ad rem gerendam opportuno. Itaque quidquid Ferdinandus multis precibus fratrem obtestatus retinere conatus esset, erectus in spem, ubi pateretur se exorari adversarium (post) Solimani discessum ex Vngaria pellendi, non potuit animum inducere, ut maneret, veritus hiemis incommoda, quae aegre vitari poterant, ubi diutius fratris spe bellum duceret. Etsi vero nemo fere erat, qui dubitaret, quin Ioannes Rex, de cuius viribus plurimum erat per tam foedum belli eventum detractum, incumbentem in suum exitium Caesarem minime esset expectaturus, ad neminem tamen magis quam ad Caesarem pertinebat, dare operam, ne quid temere agee-

do, opinio quae magna esset de illius virtute et magnitudine animi suscepta, homines falleret, in magnam expectationem de belli eventu erectos: urbs enim munita Vngarorum et Turcarum validis praesidiis non ita facilis expugnata, et ad longam tolerandam obsidionem, omni genere com meatuum erat instructissima; ut verisimile esset iam frumentis in horrea subvectis obsidentes citius quam obsessos a re frumentaria laboraturos. Nam, tertio ante anno idem ipse Solimanus docuerat, adductis Viennam CC amplius hominum millibus, non facile urbem, propugnatorum virtute et robore, tantarum virium impetum ac vim sustinente, quantumvis maximis copiis circumsessam redigi temere in potestatem posse. Cur vero expeditionem tentaret, quae suscepta adverso anni tempore, aut pertinaciae damnaret diu nequidquam in obsidione manentem, nulla aut perexigua cum potiundi spe, aut confessionem exprimeret a solvente obsidionem, parum sua virtute et constantia fidentis. Nemo vero erat qui crederet adversarium, qui minime ignoraret, non Solimanum prius, quam se bello peti, oppressum iri et suis et Turcarum auxiliis imparatum, hoc uno nomine apud illum Gritto relicto, ut esset, cuius auctoritate atque imperio Turcae in officio continerentur. Accedebat ad ceteras causas orta in castris pestilentiae lues; quae primo vulgata per ignobilia capita, mox latius indies serpendo, illustres viros omnium ordinum corripuerat, maximo Caesaris terrore, ne invictum exercitum a barbarorum armis, divina vis sterneret pestilentia grassante, quam nullis hominum consiliis, nulla ope tolli spes esset, nisi Dei immortalis ira castis precibus et piis votis hominum placata. Auxit terrorem visa per eosdem dies crinita stella,

credita semper, ubi appareat, pestem, hominum caedes, maximorum regum interitum, ac rerumpublicarum et regnorum conversiones portendere. Ne parum tamen moveri fratris precibus videretur, hoc ipsum enixe precantis, qui adesset bello persequenti adversarium, Fabricium Maremaldum se relicturum dixit, spectatae hominem fortitudinis, et rei militaris cum primis peritum, cum Itolorum cohortibus, quibus erat praefuturus. Sed ne promissis staret, impedivit contumax seditio militum, qui negabant se longe a suis ablegatos, saevissimo anni tempore, in magno aere alieno, rerum omnium indigentes, non persolutis stipendiis, quae foeneratorum saevitia voraret, non veste, non pellibus tectos ad hiemis incommoda toleranda ulterius mansuros. Nihil facilius esse quam Carolum Caesarem, Ferdinandum Regem, et secundum illos. viros dignitate principes, qui copiis praeessent, exigere militiae munera a manipularibus, cum quidem non commodis solum omnibus, sed deliciis in castris, et inter arma diffloerent. Quid vero magis praeposterum, quam Italis in Vngaria pro Germanis bellum gerentibus, et quidem non cum hoste Turca prius, quam cum fame, frigore, atque iis, quae ultima homini sint *verenda*, Germanos in Italia sub tectis agere curis solutos, partim a se partis bonis, partim a parentibus suis relictis fruentes? Eo scilicet speciosas illas adhortationes recidisse, cum non militem ad bellum duci, sed ad victoriam, ad praedam opimam, ad triumphum Aulus, Leva, duces alii contenderent, a quibus scelerate prodiiti essent. apud Caesarem, per suorum exitium, gratiae locum quaerentibus; eo Caroli Caesaris, Ferdinandi fratris magnificas pollicitationes, agros victoribus, uberes fundos, extraordinarios hono-



res, luculenta praemia iactantium, ut in eorum tabulis dedita sibi nomina pro multorum mensium stipendio, scilicet merenda, morte, vulneribus, sanguine, aut tristis vitae occasus, aut devota vita barbarorum hostium servitio induceret, quibus addicti patria extorres, divulsi a coniugum et liberorum complexu, miserimi omnium mortalium vitam amitterent crudelissime ereptam suis. Neque vanae modo quiritantium voces aut inanes questus fuere. Non suorum ullis adhortationibus a furore atque amentia revocantium, non precibus deliniri, non deterreri minis a tam audaci incepto ulla ratione potuerunt. Ad octo hominum milia gliscente seditione, cum e gregariis militibus turbulentissimum quemque delegissent, et qui disertior ceteris haberetur communi militum calamitate deploranda, signis sublatis, infesto agmine abierunt. Fama quidem obtinuit, e rebus omnibus, quae Carolus V. Caesar nostra memoria gessit, hanc unam, quae ceteris fastigium imponeret, consensu omnium fuisse, eandem poetarum nostri temporis iuclytis carminibus, atque oratorum panegyricis orationibus apud gentes et nationes omnes decantatam. De qua quidem si quis est, qui cognoscere plura malit, a quibus orta seditio, qui duces amentiae fuerint, quot clades urbibus oppidisque illatae, habet alios quos consulat, quibus haec scribere operae fuit. Nostrum quidem consilium est, a suscepto 'scribendi argumento longius non evagari.

Reversus Byzantium Solimanus, quando tristem belli exitum sortito vis aperta atque arma minus processerant, occultis consiliis rem agere constituit, remisso in Vngariam Gritto cum fortissimorum militum praesidio, qua manu, captata discidii occasione, Ioannem, ut postea creditum est, pellere regno; quem haud

prorsus vani rumores ferebant, clam res novas moliri, et cum Ferdinando agere de concordia, ne ipso quidem iam fesso tot belli cladibus a mitioribus consiliis adhorrente. Ergo Grittius, ut Solimanus credi volebat, Ioanni regnum stabiliendi caussa arcanis acceptis a Turca mandatis, quorum quae summa esset perpauci norant, Constantinopoli proficiscitur, secum duobus millibus equitum, peditum mille e Ianizerorum militia delectis, praeterea tribus Vngarorum ducibus, Iano Docio, Vrbano Battiano, et Caspare Perussithio, quorum opportuna opera ad ea perficienda, quae animo destinaverat, ut sese occasio daret, uteretur. Quorum consilia inimicorum hominum cum Ioannes non ignoraret, iam per sui studiosos e Solimani regia certior factus sibi a Gritto insidias strui, ita se animo comparaverat, ut tutus ab occultis insidiis, ad vim apertam propulsandam, de improvise oppressus vires non desideraret. Falsum a suis non fuisse, mox ea, quae sunt Grittii adventum consecuta, docuerunt. Interea per Moesos et Triballos, quam Bulgariam vocant, Gritto in Transilvaniam ingresso, cum illi honoris caussa Emericus Cibakus, qui tum Ioannis nomine provinciam administrabat, obviam processisset (nullius enim erat sibi culpae conscius, quare quidquam sibi timendum censeret), omnis curae expers in proximum oppidum Alvincium divertit, tum illius, mox Georgii Cardinalis caede apud posteros clarum. Quare Grittius cognita, ad eum opprimendum Vrbanum Battianum cum equitum ala Alvincium mittit, haud dubia spe, eo de medio sublato, Transilvanos ultro in Solimani ditionem concessuros. Quae longe illum opinio fefellit. Neque enim Cibaki caedem quae sperabat sunt consecuta, et, quod illi non venerat in men-

tem vereri, ex alterius exitio sibi pestem et ruinam comparavit. Nihil illi vero facilius, quam opprimere, quem fiducia recte conscii animi muniebat, praesertim qui meminisset, unum illum praecipuum auctorem Solimano fuisse Ioannis restituendi; qui nihil admisisset, quare sibi statueret ab eo timendum: illud fuit difficilimum, quod in suscipiendis consiliis de magnis rebus debet esse primum, qui finis esset male incepta secuturus considerare, sive agendi praepostera festinatio vim consilii non admisit, quae matura consultatione praeficitur, sive tum cognosceret, qui finis temere incipientem maneret; elatum nimia cupiditate animus minus habuit in potestate, coacta clientium manu ad Grittium contendunt, atque undique circumsessum, ulterius progrediendi regrediendique facultate intercludunt. At ille, ut in subita re satis intrepidus, capto ex tempore consilio, cum eum Transilvani equites, circumductis in orbem alis, ne qua elabi posset, clausissent, suis, citatis equis se sequi iussis, per confertos et obversas tenentes in Turcas hastas, facto cuneo, Meggesium perrupit. Quo in oppido non procul sito, et ut in illis locis satis opulento, se tenere constituit, quae tolerandae non longae obsidioni essent, ut licuit oppresso temporis angustiis, cum cura comparatis, quidquid perferendum esset haud magnae morae incommodum futurum arbitratus; non enim dubitabat quin Ioannes, audita re, maturaret e suis obsesso mittere auxilium, qui regio imperio, et si id minus prodesset, armis tumultum compescerent, Transilvanis solvere obsidionem iussis. Interea ab oppugnatione et aperta vi securus, qui sciret subito collectum militem ex tumultuario delectu in eam expeditionem raptum, facile se elusurum Vngarorum impetum et minas spe-

rabat. Quae omnia illius spem magnopere fefellerunt. Aderat Transilvanis Petrus Moldavus regulus, et Transalpinus, quorum uterque a Solimano erat iussus Grittium et copiis et comitatibus iuvare. Neque illis neglectum Solimani imperium. Et omni alio genere liberalitatis advenientem prosecuti sunt, et itineris comites in Transilvaniam, ubique tuto et pacato itinere deduxerunt. Quae quamquam ita essent, post Cibakum interfectum, sive offensi rei indignitate sua sponte in Cibaki caussam propensi, sive, id quod erat, suspicati res novas moliri, quae ubi ex sententia succederent, esset verendum, ne altius efferret animos quam suis rationibus expediret (nihil enim verisimilius videbatur, quam a scelere exorsum, scelere sibi ad vasta atque immania consilia, quae animo agitaret, aditum patefacturum), ab eo repente alienatis animis, se cum Cibaki propinquis coniunxerunt. Interea Transilvani, admotis ad oppidum castris, per crebras stationes custodias disponunt, ne qua inclusis fugae facultas daretur, in unam curam intenti, ut cum suis vivo Grittio potirentur, illius caede et sanguine Cibaki manibus parentaturi. Cum diutius omnium spe Grittius obsidionem tolerasset, Bathianus et Perusithius, mobilis fidei homines, cum popularibus communicato consilio, de Grittio Transilvanis dedendo agunt, unum modo, ne sibi Cibaki caedes fraudi esset postulantes. In eo se errasse, quod passi essent sibi persuaderi, ut in Grittii comitatu essent; semel addictis illius imperio, quod tamen nomine Grittii, re Solimani imperium esset, a quo in Vngariam legaretur, quin imperanti etiam quae minus vellent parerent, non fuisse sibi recusandum. Cum facile iis necessitatibus excusationem probassent, adventibus, quod unum maxime

erat in optatis, per eos Grittium redigere in potestatem, facile venia impetrata illis portas aperuerunt. Ita ingressi Transilvani Turcis, quicumque erant, ad unum interfectis, vivum Grittium captum cum duobus liberis, a quorum caede propter aetatem temperatum est, et Ioanne Docio Cibaki inimico acerrimo, calentibus e recenti Cibaki caede iracundia animis, obtruncant virum, in omni posteritate memorabilem, ni illi fortuna plus aequo in principio visa favere, ultra moderato homini praescriptos fines illius spes extulisset. Andreas Grittius pater, quem alibi diximus Veneetae reipublicae principatum amplissimis in patriam meritis adeptum, eum susceperat, quoniam ex impari natus esset, legibus et moribus civitatis ita honorum et magistratuum petitione exclusum, ut tamen in medio civium ordine, innixus paternis opibus, esset honestissimo apud suos loco futurus. Inde blandientem inceptis fortunam, cum mercaturae deditus rem Byzantii proventu multo maiore, sua spe auxisset, quantum fert humanarum rerum ratio beatus futurus, si se magis ex aliorum, quam ex suo iudicio aestimaret; praeter ea quam sibi animo destinaverat, praesentem fortunam aspernatus, nec qui esse voluit fuit, ad maiora erecto animo, quam quae ferret privati hominis captus, et qui esse potuit noluit, sive domi, sive foris ageret, haud dubie futurus sui ordinis princeps. Haec ita gesta, ut Vngari tradunt, cum fide retulimus, minime tamen ignari longe ab his diversa Iovium prodidisse. Exorsus a Grittio, multa de illius moribus atque institutis, multa de ingenio, deque iis artibus tradit, quibus per Ebraimi gratiam ad summum potentiae locum pervenit; in iis quae praesentis narrationis sunt, plane diversa ab aliis contraria tradit.

Non illi de loco , non de tempore , non de ratione gerendae rei cum Vngaris convenit , a quorum vestigiis discedere non est visum. Ferunt Solimanum , cognitis , quae gesta in Transilvania essent , litteras minarum et denunciationum plenas ad Ioannem Regem dedisse , iussum suis imperare , ut soluta obsidione Grittium missum facerent , cum summa potestate a se missum in Vngariam legatum , ut pari cum illo auctoritate rebus praeesset. Si beneficii sui memor , si iniuriarum Ferdinandi esset , a quo universi Christiani orbis vires in se essent concitatae ; ita in persolvendo grati hominis officio , ut in ope imploranda suis afflictis et perditis rebus , alacrem animum sibi debere praestare. His litteris ad hunc modum dicitur Ioannes respondisse : Et se vero quantum Solimano deberet recte meminisse , qui vitam illi , atque ea , sine quibus vita iucunda esse haud posset , dignitatem , nobilitatis decus , coronam , sceptrum , orbem , alia domesticae virtutis prius quam regni insignia accepta referret , et non commissurum , ut quando nulla alia gratiae relatio memorem sui officii sequeretur , scelere et flagitio tanto de se optime meritum principem terrarum orbis Solimanum a suis rationibus alienaret. Voluntatem quidem esse praeclaram , sed non eandem semper sequi pares vires. Quod quando se probaturum aequis atque iniquis omnibus speraret , non dubitare se , quin imperator iustissimus , pro sua clementia statueret in iis quae acta essent suum sibi animum spectandum , non facultatem agendi , cuius magnam partem sibi fortuna et casus quasi suo iure vindicaret. Quae accidissent , ne evenirent , non potuisse sua auctoritate , ut maxime vellet prohibere , interfecto Cibako , in quem adeo effusa essent Transilvanorum studia , ut propter-

ea non esset ausus eorum conatibus obviam ire, ne cum periculo minuendae regiae maiestatis, augendi suorum sceleris ubi minus essent in potestate, nequidquam eos armis deterrere ab incepto conaretur. His Solimanus delinitus, aut quod vero propius est, deliniri visus, in opportuniorem commodioremque occasionem distulit male in principio rem tentatam. Ioanni quidem multi credunt persuasum fuisse, in his Iovius, consiliorum auctorem Gritto Laskium fuisse; eius rei caussa in carcerem coniectum parum abfuisse quin supplicio afficeretur: penes nos quidem exstat litterarum exemplum, tum Laskii ad amicos, tum Ioannis, Sigismundi regum ad alios, quibus longe abfuisse a proditionis culpa declaratur. Ita vero ille in Poloniam scripserat ad amicos e Budensi arce: Minime dubitare se, quin durus et acerbus illis nuncius de sua captivitate accidisset viris optimis et sibi amicissimis. Quae res effecisset, ut et suum dolorem simul et amicorum doleret, quorum tam egregiam in se fidem et voluntatem esse animadverteret. Nam, et illud vereri, quo vehementius animo angeretur, ne quis eorum existimaret praesenti huic suae calamitati se occasionem praebuisse; et sua enim et suorum caussa, semper statuisse sibi vitae rationes ita comparendas, ut neque sui se umquam, neque illos institutae secum coniunctionis et necessitudinis poeniteret. Inprimis quidem veritum se, ne, id quod audisset ad illos manasse (cuiusmodi id esset non addit, tamquam illis esset exploratum), male eos haberet, quod quidem si vere a se admissum esset, et sibi et amicis pariter esset dedecori futurum. Vt vero statim ab initio arduam duramque provinciam suscepisset, eiecti Regis, ut credidisset, per summam iniuriam, adversus ingen-

tes adversarii opes sublevandi, atque id quidem non quaestus et compendii, sed virtutis atque honestatis caussa: ita dedisse operam, ut recte et cum laude inchoatum opus, nulla umquam interruptum cupiditate, aut pravitate animi, ad finem usque cum laude perduceretur: cuius rei conscientia non sustentaretur ipse solum, sed speraret etiam amicos, quos de se optime sentire semper credidisset, sustentatum iri. Regem quidem ab eo tempore, quo se tradi custodiae mandasset, tres ex sanctiore consilio viros prudentes et graves ad se misisse, qui aegrum animi consolarentur: Invitum se fecisse, ut in eum tam severe animadverteret, cuius quod vitam, quod patriam, quod regnum inter suos recuperasset, meritum esset, et quidem nulla iniuria temporis oblivioni tradendum. Tanta immanitatis culpam tempori tribui non sibi debere, cuius ingenium ita semper a saevitia et crudelitate in omnes abfuisset, ut ab ingrati animi crimine in optime de se meritos abhorruisset. Regni rationes in unius caede periclitantis ita potuisse flectere animum ab insita ingenio clementia, ut certa spes solaretur, brevi eius sarciendi incommodi, voluntati, quae mirifica esset, facultatem parem affuturam, magno cum illius et fortunarum et dignitatis incremento. Quibus auditis, cum percunctatus esset, quae caussa Regi tam gravis fuisset, in se per insignem sui nominis iacturam saeviendi; respondisse illos quidem se ignorare, Regem de eo numquam interrogare ausos, sed suspicari tamen, quod ea fama in ore omnium esset, Gritto Laskium auctorem interficiendi Cibaki fuisse, atque id adeo, Rege particeps consiliorum, ad delendam nomini impositam maculam, et Transilvanos in fide continendos, apud quos Cibaki sancta memoria esset, ad id consi-



lii invitum descendere coactum, veritum simul ne Transilvania deficeret populis tumultuantibus, ob indignam praefecti caedem, cuius desiderio laborarent, nisi, quasi per missum invidiae sanguinem, levi incommodo Laskii defunctus, omnibus suam integritatem atque innocentiam probaret. Atque haec quidem prior litterarum pars, in iis quae sequuntur, ad amicos conversus, mirari se ait, hanc de se suspicionem ortam, cum uno e principibus excepto Petro Perinnio, Cibakus arctissima secum amicitia et consuetudine esset iunctus, id quod nemini obscurum esset. Atque cum illius caedes secuta esset, nihil sibi prius fuisse, quam Budam profectum, Regem de iis quae acta essent coram doceret; atque hoc quidem duabus potissimum de caussis, quarum altera esset, ut in magno rerum motu Transilvania nutante, quam aptam maxime rationem esse crederet, ad exortum in provincia tumultum compescendum, explicaret; altera, ut impetrata venia liceret in Poloniam, privatis suis rationibus id postulantibus, proficisci. Nam ad magnifica illa verba, quibus Rex esset pollicitus sibi honori praesentem calamitatem futuram, ita se respondisse ait, ut e Laskia gente natum hominem deceret; seque non invitum adeo, quam orationem habuisset, persecuturum scribendo, si se eam posse consequi scribendo speraret. Quartana enim laboranti ex iniusta sui oppressione, iusta indignatione animi, et moerore contracta, et nutare caput, et labare manum, quominus sufficeret scribendi labori. Vnum se silentio non praeteritarum, quod minime a se arroganter dictum existimari vellet: ne in media quidem Polonia, et inter suos potuisse magis in respondendo esse suae gravitatis et constantiae memorem, magis immemorem temporis, et

quidem quamquam non dubitaret, quin id sibi apud illum fraudi foret, in cuius potestate positam vitam haberet. Atque has quidem Laskii litteras Ioannis Regis aliae confirmant, quarum exemplum apud nos exstat: commemoratis enim verbis magnificentissimis illius in se meritis, quae plurima atque amplissima aliis se litteris testatum ait. Non sumptuum magnitudine deterritum inquit, non periculis ullis quibus agenti suam caussam gravissimis esset perfungendum, quin animi studium atque observantiam in se singularem, nullo a se beneficio provocatus, una virtute et gloriae studio incensus declararet. Cuius illius in se voluntatis, cum non prius posset, quam sui oblivisci, in magno periculo versanti, ob exortos in regno tumultus, non secus, atque ad sese illius periculum pertineret, ut aequum esset, prospicere voluisse. Inde suis litteris ad se accersitum, per eam rationem furenti multitudini subtraxisse, ne sua aliorum caede aucta, qui amplissimi ordinis et senatus principes oppressi interiissent, insigniorem respublica acciperet cladem, id quod intelligeret sibi omni ratione vitandum. Tantisper vero eum custodia iussisse asservari, quae liberalis tamen et minime gravis custodia esset utique, in qua nihil praeter libertatem amitteret, atque id quidem, quoad sedato tumultu, salutari fallacia, et per illum regno et per regnum illi non ita multorum dierum iactura consuleretur. Quod quidem, ut hoc consilio a se factum appareret, nullam ob suspicionem vel tenuissimam de illius fide, quae perpetuo tenore, et dubiis suis pariter, et melioribus temporibus in se constans semper inviolataque esset perspecta, voluisse apud praesentes homines, et qui essent postea futuri, testes suas litteras exstare. Neque

hoc satis Laskio fuit. Ne fictae litterae, atque assimilatae artificio ad Ioannis ingenium viderentur, a Sigismundo Rege alias impetravit, quibus fidem faciebat et Rex idem et summae virtutis adeo ac constantiae Rex, se hoc ipso argumento litteras scriptas Ioannis Regis legisse: ut mirari satis nequeam, quod nonnulli tradunt, multis Ioannis Tarnovii precibus, quem Matthaenum falso appellant, cuius erat hospitio in Polonia usus exsilii tempore, ut e custodia emissum liberaret, aegre passum se exorari. Equidem credo Laskii propinquos, quibus minus esset perspecta Ioannis Regis sententia, humanitatis officium peropportunum tuendae illius existimationi etiamsi minus necessarium haud illud requirenti praestitisse, sermonum rumorumque auctores, quibus de Ioanne aliena ab eius fide et constantia, parum rerum Vngaricarum peritis crederentur. Namque et illud addunt, ne temere haec tradere videantur, Tarnovium a Rege veteris hospitii memore, clypeo et clava Grittii donatum, digno viro principe munere, quod aestimatum quadraginta nummum Vngaricorum aureorum millibus affirmant; Terlam nobilem Polonum, Tarnovii comitem, praeter aureum torquem, generoso equo ephippiis aureis et argenteo freno instructo. Neque illud omittendum est, iam pridem Laskium honoris et benevolentiae ergo a Francisco Rege in equitum torquatorum ordinem cooptatum, procurantibus ut videtur illius necessariis, litteras ad Ioannem Regem impetrasse, quas his addi placuit, ne uno quidem commutato verbo, ut appareat maioris operis quam nonnulli tradunt, requirentibus Ioannis rebus (ut) Solimani imperio magis, quam suo ingenio morigeraretur, Laskii liberationem indignuisse; litterae quidem Francisci Regis exstant in hunc ma-

xime modum scriptae : „Cum Hieronymus Las kius, maxime ac potentissime Rex, non solum sua singulari virtute, verum etiam ob magna et memorabilia in universam Vngariam, atque adeo in te ipsum, et bello et variis iisque maximis obeundis legationibus merita iam pridem mihi esset notissimus, ad eaque accederet propensum quoddam illius in meas res, imo potius erga salutem et tranquillitatem totius reipublicae Christianae studium et voluntas; facere non potui, quin tam benevolam illius animum mihi plane gratum esse testarer. Itaque eum in numerum meorum recepi; meorum dico, quos auctos et honoribus amplificatos semper volui. Ad haec, ut hominem etiam semper ad meliora inflammarem, equitum torquatorum ordini ascripsi: qui dignitatis gradus honorificentissimus, non nisi iis, quos facio plurimi, patere solet. Audio tamen quorundam delatione factum, ut apud te non modo male audiat, sed in carcerem quoque coniectus versetur in magno salutis discrimine. Quod sane vix etiam mihi persuadere potui. Posteaquam vero eiusce rei certior sum factus, volui ad te has litteras dare, quibus et te rogarem, ut istius in eum animadversionis mihi caussas aperires, et obtestarer pro nostra coniunctione, ut interea dum litteras tuas exspecto, ne quid ille adversariorum suorum insimulatione aut illius necessarii detrimenti accipiant. Cum enim eo sit ille loco, ut dictum est, et sint ea ordinis nostri sanctoris instituta, ut ne quid me ignaro contra eum decerni debeat, ratio ipsa flagitare videtur, ut ego de iis certior fiam, quae aut ad salutem, aut ad damnationem illius attinent. Quippe molestissime ferrem eum calumniatorum obtrectatione damnari; sed multo magis si sua culpa damnaretur. Sic enim de illius fide

et integritate mihi persuasi, ut suspicari non possim, hominem tot virtutibus praeditum tam cito a se ipso descivisse. Quapropter maximopere a te contendo, maxime ac potentissime Rex, ut haec omnia accuratissime perpendas, existimesque me ex animo illius negotium suscipere, remque gratissimam et te dignam facturum, si ad me diligenter de iis omnibus rescripseris: quod ut facias, te etiam atque etiam vehementer rogo. Postremo de mea erga te voluntate, sic certum habeas velim, si quando lubeat nostrae amicitiae periculum facere, intellecturum te, ac re ipsa adeo experturum nihil diminutam esse, ubi aut res tua, aut amplitudo postulabit, quemadmodum te non solum ex litteris ad te meis, quas nuper Andreae Cursino et Wranccio secretariis tuis reddendas credidi, sed etiam ex iis ipsis planissime intellexisse non dubito. “ Ergo rex, cum iam de Transilvanorum rerum motu, quae vellet audisset, Laskium missum fecit, sive ipse sua sponte hoc sibi agendum statuisset, sive dedisset regum et amicorum precibus, in quibus Tarnovius excellebat, atque adeo prosecutus litteris honorificentissimis, quibus, ne qua labes nomini aspergeretur, illi cautum volebat. Nam quod Iovius tormentis subiectum ait, tum ex iis ipsis litteris, de quibus iam egimus, tum ex aliis falsum esse apparet. Parum in eo Ioannem suis rationibus prospexisse, quae postea sunt secuta tempora prodiderunt. Sapientum quidem hoc praeceptum est, excellenti ingenio et virtute homines, aut non irritandos iniuria, aut, ubi cura potior securitatis quam honestatis sit, irritatos de medio tollendos. Non enim beneficio deleri iniuriae memoriam, sed refricari: cum quidem credatur per hanc rationem non affici inimicum beneficio, sed periculum redimi, quod ab iniu-

rae vindice in iniuriam inferenti impendet. Inde eius ad hostem Ferdinandum transitio, Solimani iratus animus, alia secuta incommoda, quae tolli facile suborientia Laskii commoditate potuerunt. Vir callidus acerrimo ingenio, magno rerum usu omni ratione erat amicus retinendus, cavendus dubiae fidei, et beneficio deliniendus potius, quam alienandus iniuria, quae esset beneficio sarcienda. „Noceant plurimum arma, si modo detur facultas, ex inimici manibus extorquenda; posita in nostra potestate, danda opera ne extorqueantur.“ Iam Ferdinandus sumpta fiducia e re non semel male a Solimano gesta, cum non aegre videretur posse vinci, qui subire pugnae discrimen non auderet, ultro constituerat illi arma inferre, non minus tamen necessario quam specioso consilio: per ea enim tempora Turcae Mahemete duce, qui Belgradi praefectus extremos provinciae fines a nostrorum incursionibus tatabatur, Ezeekum positum oppidum in Posegiensi comitatu ceperant, atque exstructa arce praesidiis firmaverant, sua sponte propter loci naturam praevalidam. Ita ipsi tuti a tergo, si quando in nostrorum fines excurrerent, magnis provinciam detrimentis afficiebant (nihil enim hostile iis erat inter Ezeekum et Belgradum timendum, quod minus biduo itinere Ezeeko distabat), qua pervaderent ferro omnia ignique vastantes. Accedebat ad alia incommoda ferox ingenium ducis, magni hominis consilii, et ob spectatam in bello fortitudinem, ab infimis ordinibus ad Belgradi praefecturam evecti. Cuius ferociae coercendae (*nagyhézag*) omni numero delectos praemiserat, cum Ianizerorum cohorte, qui ferreis fistulis utebantur, ut insidiis tecti subito a novissimo agmine euntes adorirentur. Hoc totum Boemorum atque Italorum peditatu constabat, quorum

eximia esse virtus et rei militaris usus ferebatur. Itaque magno animo hostes subito coortos ex insidiis excipientes substiterunt, atque adeo quamquam iam fuga Boemis dilapsis. Inde cum laborantibus proximi Carinthii equites subsidio venissent, invehentium impetu represso, mox in fugam cedentes coniecerunt, paucis e suis desideratis. Castra inde saltu per otium superato a nostris loco idoneo posita, ac iussi milites corpora curare, postridie ubi hostis pugnandi potestatem faciat, proelio certaturi. Hoc consilium ut duces probarent, tum pervulgata illa ratio suadebat, militum ardore, quamdiu flagrarent animi, pugnae studio utendum, tum commeatum inopia, qua premebantur eo progressi, ut unam spem exercitum sublevandi in victo et debellato hoste positam haberent. Quod cum Mahemetes laud ignoraret, brevi temerarii consilii poenas duros nostros sperabat, speciosissimum sibi futurum ad hominum existimationem arbitratus, si hoc percrebresceret, incolumibus suis ad unum omnibus, se incruenta victoria de florentissimis Ferdinandi copiis potitum, milite non ferro in acie, sed famis et inediae languore in contuberniis confecto. Quod Germanis unum erat reliquum consilium, cum instructa acie ad dimicandum paratis nulla daretur ab hoste pugnandi facultas, se ad oppugnationis consilia convertunt, et contra hostis propugnaculum, unde multis tormentorum ictibus petebantur, in editum locum opportune propugnaculo obiectum muralia tormenta maiora duo subvehenda curant, quibus subrutis oppidi muris, fore sperabant, ut hostis necessario consilio rem pugnae permetteret, a qua ille cum sua sponte abhorrebat, tum imperatoris Solimani imperio, quem ferebant ultimi supplicii poenam interminatum, si per ullam pug-

nandi occasionem passus se oppido elici iniquo loco induceret animum pugnare. Ita cum se oppido teneret, etiamsi e duobus tormentis emissae a nostris pilae ingentis magnitudinis, et muros et interiorem aggerem laceraverant, obfirmato tamen ad omnia animo, excedere loco nisi per vim pulsus, non muris prius, quam militum robore, munitus nolebat, id quod minime futurum credebát. Cum iam eventus Germanos quae melior sententia fuisset doceret, neque regressus facilis, et ulterius progredientibus omnia hostilia apparent; et spes omnis exciderat animis, quae male posita in animorum ferocia salutaria consilia despexerat, et fame iam tabescentia corpora, non praesenti incommodo solum, sed multo vehementius imminenti conflictabantur, cum certa esset mali vis quae urgeret, nihil subsidii ad mali vim pellendam, quae longe aberat, ostendebatur. Nam, ad cetera pudor accedebat male initi consilii, cuius tum auctores poenitebat, cum inutilis poenitentia tristi moerore conficeret animos, iam non negantium eorum esse iustas querelas, qui et privatam suam, et reipublicae perniciem, pravi consilii auctoribus acceptam referebant. Quibus in rerum angustiis cum pergerent tamen duces de bello consultare, non deerant dicaces homines, qui e luctus acerbitate risus materiam captantes, mirari se dicerent, praeposteram eorum rationem, qui de bello statuerent prius consultandum, quam de fame pellenda, a qua gravius periculum, quam ab hostilium gladiis tormentisque immineret. „Vitae interitum, qui naturae lege inexorabili omnes maueret, fieri genere mortis tolerabiliorem, ut si honesta contingeret, ea viri fortes alacri ac fidenti animo ultro volentesque adeo defungerentur; vere enim dictum, vitam omnem actam vitae



exitu, ut fabulam extremo actu, honestari. " Interire fame in contuberniis languentes, quorum vita posset patriae, suis, multis mortalibus saluti atque ornamento esse, ita haberi indignum, ut satius esset homines non nasci, quam turpiter claudere vitae finem. Non longe abesse Hermandum oppidum cibariorum omnis generis copia refertum, id quod omnino esset credendum, cum Turcae in eo inclusas coniuges et liberos, cum rebus suis carioribus, haberent. Modico vero praesidio, veluti in pacata regione defendi, ut non esset difficile, ubi prius quam expugnata praesentirent hostes, qua rerum inopia laborarent, castra eo traderentur. Addebant eius consilii auctores, Turcas oppidum et loci natura et opere parum munitum, ne primo quidem expectato oppugnantium impetu tradituros. Ergo collaudatis Vngaris, in his Baldasare Bamfio eius consilii auctore, eum ipsum cum suis praemitti placuit occupatum adiunctum oppido pagum, in quo magnam pecoris, magnam pabuli vim, et rei frumentariae asservari Turcis ferebatur. Quae, ut fere semper accidit, fama uberiora, quam re ipsa sunt inventa, frumenti non ita magnus numerus, vini aliquanto copia maior inventa, ut esset quo militum languentium vires fame exhaustae, atque itineris labore foverentur. Castra inde mota, non militari more servatis ordinibus, non silentio copiis eductis, non tessera signo dato, ut quisque sperabat, se ceteris fretum pedum pernicitate anteire, nullo discrimine, suane an alia signa sequeretur, praeibat. Ne dux barbarus agmen abeuntium persequeretur, tum noctis tempus effecit, tum memoriae fixum haerens Solimani severum et triste imperium, apud quem offendere ne levissima quidem in re volebat, non ignarus, haud ve-

hementer minus, quam interminatus esset, ab imperii sui immemore poenas exacturum. Interea regii duces cum haud procul a pago abessent, ne qui agmen antecedeabant priores nacti praedandi facultatem com meatu diriperent, eorum qui erant in postremo agmine nulla habita ratione, praemiserunt, qui imperio militum licentiam coërcerent, quidquid esset tritici aut vini, partiri inter omnes aequis portionibus iussos. Inde castellum pago imminens oppugnare adorti, cum tormentis muros deruissent, propugnatoribus confectis vulneribus et iam pugnando fessis, qui quam paucissimi erant, ceperunt, quinquaginta e suis desideratis, minime ferenda iactura pro com meatuum copia, quae perquam exigua est inventa, vix enim tantam fuisse aiunt, quantum satis esset exercitui per bidui spatium alendo. Qua sua spe quamquam duces frustrati angerentur animis, quantum licuit tamen conceptum animo pavorem dissimulantes, milites consolantur spe facta propinquum flumen transgressis et uberioris annonae, et, quod crebro ostentassent, vilioris, non meliore, quam antea eventu. Eo loco triduum pontis reficiendi caussa morati, quem Turcae, ne usui nostris esset, intersciderant, copias eo perfecto traduxerunt; maior suscipiendus labor transvehendis tormentis fuit, quorum postremum multo maioris quam cetera ponderis, pons minus firmo opere tantae sustinendae moli ex obvia materia raptim factus, asseribus oneri cedentibus, non sustinuit, vix ut satis spatii relinqueretur ad tormentum corrumpendum, veritis ne eo hostes potiti in sui exitium uterentur. Inde iam exercitu cum impedimentis traducto, ponteque interciso, de reliqui belli gerendi ratione dux in consilio singulorum sententias disquirat. Neque vero ipse satis compos consi-

lii erat tantis rerum difficultatibus circumventus, et quidquid consilii afferretur in medium, erat huiusmodi, ut eundem exitum tristem foedumque haberet: non enim quae honestior ratio bellum administrandi, sed quae tutior ratio esset effugiendi imminentem vim fati, quaerebant, quod turpius consultantibus, quo temerario consilio magis a bellum inferentibus erat administratum. Namque eo ventum erat, ut maiora tormenta, quae certa victoriae instrumenta per tantum terrarum spatium immani sumptu avexissent, corrumpere cogerentur, ne receptum ad salutem quaerentibus oneri essent, quod maiori dedecori apud hostes an detrimento esset futurum haud satis constabat. Neque in tot malis, quod trepidantibus solet accidere, metu ultimi discriminis mentem iudiciumque, ne liceret, quod magis expediret, perspicere, perturbante, una erat omnium sententia: quod incommodum eo oberat magis de summa rerum consultantibus, quo minus disquirere licebat, quae ex his potior veriorque esset. Aliis diverso quam venerant itinere Valponium redire, per Posegam aliis placebat, fore sperantibus, ut dum hostes superanda palude laborantes morarentur, interea aliquo expugnato oppido, unde commeatus copia supeditaret, militem reficerent. Non longe abesse Hermando Wankam oppidum peropulentum (Iuvankam Iovius vocat), quo si ire properarent, non esset dubium, quin nullo negotio de improvise oppressum redigerent in potestatem. Etsi vero nonnihil morae cum impedimenta alia, tum tormenta afferrent iter accelerantibus, minime tamen censebant tantum flagitium admittendum, ut retro impedimenta relinquerent, hostibus futura praedae. Neque magis eos audiendos, qui auctores essent aut diffringendi tormenta, aut clavis

corrumpendi, in quibus Iovius ait Catianerum pollicium, distributa fragmina per impedimentorum currus suo sumptu conflanda in commodiorem formam curaturum. Nullum esse adeo magnum vitae incommodum, quod militares homines, et ad decus atque ad gloriam nati, non constantia ac virtute adnixi superarent. Foedi hominis haberi, et aequae foedum rerum exitum portendentis, militem abiicere arma, quod dictum in proverbium abiisset, aut caussae aut viribus suis diffidentium, praesertim ea arma, in quibus esset totius exercitus robor, certe ob unam caussam damnandum, ne suis pro argumento esset, duces amissa spe salutis de fuga cogitare, quae probabilis suspicio sua sponte percussos frangeret militum animos. In hanc sententiam cum alii educibus et maxime Catianerus inclinaret, militi edicitur, ut se ad profectionem pareret, et quidem quam expeditissimo agmine iturus praeter tormenta, quae aegre trahi sicco etiam et pacato solo incedentibus possent, autumnii imbribus ubique itinere corrupto, ut difficilis profectio expeditis etiam esset. Ita longior mora necessario nostris iniecta spatium hostibus dedit, quamvis multo longiore ambitu eundem locum petentibus, Wankam eodem tempore perveniendi; simulatque enim est ab iis animadversum, quo iter flecterent, haud aberrantes coniectura ab eorum consilio, prolixiore quidem itinere sed agmine expeditiore, facile cunctantes nostros consequi potuere, id quod praeterea facile licebat per ditionis suae oppida iter facientibus, unde exercitui necessaria in diem subministrabantur. Nam Germani cum grave agmen aegre traherent, iis de caussis quae sunt iam commemoratae, saepe consistere properantes difficili atque impedito itinere cogebantur, cum aut cur-

rus depressus in orbitam rotis, aut tormenta alto coeno haerentia essent amolienda, qui erat labor eo maior subeundus et longioris morae, quo minus cunctari in hostico ducentibus expediebat, ubi infesta omnia, nihil amicum aut pacatum ostendebatur. Tantis iactatis incommodis, cum aegre totum diem tria millia passuum confecissent, non licuit ita hostem antevertere, ut non eodem fere tempore, adhibita celeritate, altera parte ad oppidum pervenisset. Nostri priores tamen accepti in oppidum, quod nullum Turcarum praesidium tuebatur, sua sponte oppidanis, eiusdem religionis hominibus Germanis faventibus adversus hostem barbarum, cuius imperio inviti parebant; sed neque tam propensum oppidanorum studium itineris labore, inedia, fame enectos cohibere praeda, aut continere a maleficio potuit. Cum alia vero cibariorum copia, tum vini generosi inventa magna vis, cuius est tota illa regio feracissima. Neque in eo iniuria constitit. Vbi ad satietatem se vino expleverunt, perfossis doliis, quae se relinquere ad praedam hosti arbitrabantur, vinum effundebant, frustra eos ducibus imperio a tam foedo incepto deterrentibus. Ita miseri ab amicis hostilia passi, ab veris hostibus nocte insequenti, quae ultima illos pestis manebat, concrematum oppidum conflagrare ad solum usque, suae cladis spectatores, foedo spectaculo etiam iis ipsis hostibus viderunt. Nostri, cognito barbarorum adventu, cum nondum diluxisset, suis rebus veriti, subito a ducibus pugnandi signo dato, capiunt arma, atque contra hostem eunt. Maius quam pro pugnantium numero proelium commissum, ita acriter Turcarum equitatu nostros urgente, ut neque adnitentibus facilis victoria, neque tutus receptus referentibus pedem esset; quo in rerum discrimi-

ne cum laborarent: Rascius, Boemorum equitum praefectus, quem populares Marsalcum appellant, suos qui principes inierant pugnam, ad capessendum militare decus adhortatus, instaurare proelium praesentibus animis, et pedem inferre in hostem iubet. Inde qua erat densior, hostium cuneos invectus, primo impetum repressit acrius signa inferentium, mox pertinaci robore adnixus in fugam vertit. Interea Turcae, cum fugientes primos accepissent, pugnam profligatam, integri fessis succedentes, restituant. Ac primo nostri inter se adhortati, in se incumbentium impetum magnis animis sustinuerunt, mox cum inter confertos pugnantem praefectum, et cientes proelium hostes interfecissent, cum animorum ardore confectis viribus in fugam pelluntur, multis e suis, qui pertinacius subsistere essent ausi, desideratis. Iam cum eo res perducta esset, ut neque tuto manere deplorata commeatum spe, neque iter facere liceret, infesto hoste euntes a novissimo agmine lacescente: quod mitius malum ratio temporis efficiebat, persequi iter inceptum constituunt, ne proficiscentes temere hostis aut ab extremo agmine lacescere, aut in latera incurrens perturbare ordines posset, ut in accisis rebus non malo consilio, totum agmen carris, quorum erat magnus numerus, circumdari iubent. Quo tamquam vallo obiecto hosti sperabant fore, ut nusquam intermisso itinere, tuto, quo visum esset procederentur. Sed eorum spem facile elusit dux callidus, et regionis peritus; praemissis qui viarum angustias, qua nostris transeundum erat occuparent, per plana quidem loca iter facientibus, sed quae crebris tumultis interiectis nonnumquam impeditis saltibus, prospectum adimerent, ut explorato etiam euntes morarentur. Facile qui ab hoste praemissi erant, per notos col-

les ubi impeditum iter siluae efficiebant, non magno labore caesis arboribus cum transitum suis facilem expediebant, tum in nostros per viarum angustias incedentes ingentem caedem edebant, quominus iis qui praecesserant auxilio insequentes essent, iisdem viarum angustis prohibentibus, qua explicare ordines, et quo usus poscebat occurrere, haud facile paterentur. Nam hostes praeter alia genera telorum, minora tormenta, quae vulgo milites Falcones vocant, in subeuntes, de loco superiore directa habebant, ut raro ictu frustrarentur. Ita et alii multi, et cuius fuit iactura pluris facienda, Paullus Bakithius, rei militaris gloria clarus dux, ictu tormenti traiectus concidit, magno suorum moerore, qui omnem victoriae spem, ubi iusta acie configendum esset, in eius unius virtute positam haberent. Mox dolore in rabiem verso ulciscendi ducis studio subito collectam, tanto se impetu in barbaros intulerunt, ut cum loci iniquitate premerentur, multis e suis amissis, tormenta relinquere, et fuga salutem consulere cogentur. Quo spolio nostris potiri virium imbecillitate et lassitudine confectis non licuit. Nam alii e Ianizerorum cohorte, qui in interiore silua delitescabant, magna glandium vi e ferreis fistulis emissa, nostros, et a persequendis suis, et a tormentis abducendis deterruerunt: quibus recuperatis ad pristinam consuetudinem redierunt, ita nostros per viarum compendia antevertendi, ut interiore malo e cibariorum inopia contracto et vulneribus insuper conficerentur; quae incommoda desperatio augebat effugiendi vim fati imminentis, et haud dubia fama auxiliorum, quae prope diem affutura Mahemeti e longinquiribus locis nunciabantur. Cuius rei fama quo gravior accideret, accedebat aliud manans a suis incommodum. Nam, ne-

que duces habebant quibus verbis aegros animis consolarentur, saepe vanis pollicitationibus frustratos, et quos mercede conduxerant, barbari ex Illirii montanis, quamquam durati homines longo militiae usu, ad omnes belli labores perferendos, nullo accepto commeatu dilabebantur, cum ducis imperium vile suis reddidisset saepe suis data et desiderata fides, quominus discedentes revocare, et continere in officio posset. Tot malis vexatos cum deficeret consilium, cuius expediendi nulla ratio esset, viribus simul atque animis deficientibus, tetra facies malorum, quae praesentibus graviora imminebant, multo perturbabat vehementius. Nam, quod ultimum rerum mortalium est, cum certa urgeret pestis, atque exitium: sublata omnis spes erat in salutis et vitae discrimine laborantibus, in virtute et magnitudine animi, quae nulla supererat, per fugium inveniendi. His conflictati malis ad Garam urbem pervenerant, unde late patet in Posegienses campos despectus. Praeter eam urbem parvus amnis non adeo longo decurso spatio in Savum influit, a Rascia Posegiensem comitatum dirimens. Hic rursus consultari coeptum de reliqua ratione itineris, cum nihil non durum, aut triste in consilio, quod iam nullum erat sententiam dicentibus occurreret. Alia erat via, quae per interiectas silvas ad Valponium duceret brevior quidem itinere (non enim amplius X passuum millibus Gara distabat), sed quam barbari impeditam infestamque reddiderant; succisas enim passim a radicibus arbores, qua nostris iter erat faciendum, continenti fere strue facta, obiciebant transversas, ut aegre quidem singulari militi atque expedito iter pareret, traduci currus et tormenta nulla ratione liceret, quorum iactura praeter ducis infamiam, qui temere



atque inconsulte suos ducendo, ut ea necessaria essent effecisset, miserabilem cuique privatam sortem ostendebat, qui ita cogentur saluti prospicere, ut quae maxime idonea procurandae saluti haberentur, aut sibi relinquenda, aut corrumpenda adeo intelligerent, ne iis hostes potiti, contra se uterentur. Nam vulgo militibus vix ulla ratione poterat persuaderi, ut necessariis rebus, et quae carissima secum quisque adduxissent, aequo animo carerent, cum impedimentis praedae hostibus relictis. Alia erat via tutior, ut credebant, quod minime idonea Turcis persequentibus, propter asperitatem itinerum, et crebro incurrentes viarum anfractus, habebatur. Sed vicit tamen eorum sententia, qui cum exigua spe com meatuum, certum exitii periculum coniunctum habebant, tamen animo parati, ut caedi hostium ferro, quam fame interire mallent: audierant enim a regiis Valponium missam ingentem com meatuum vim ad exercitum sublevandum, et pecuniam militi in stipendium, cuius cupiditate incensi milites omnia tolerabiliora, quam moram, quae in longiorem diem spem proferret, ducebant. Tum coepta tormenta corrumpi faedo miseris spectaculo, sive reipublicae incommodo sive domestico dedecore moverentur. Alterutro vero erat carendum, aut vitae et salutis spe, aut tormentis, quae ducentibus per insessa ab hostibus loca, et perpetuis silvis impedita, erat futurum, ut necessariam iniicerent moram. Aegre quidem permittebatur elitellariorum iumentorum usus, ut essent quae sufficerent vectandis necessariis rebus: Vita incolumi strenuis multas occasiones dari sarcindi ea quae amisissent; impedimenta retinentes, etiamsi thesauros omnes convectos in castra haberent, quos terra suis visceribus et maria abderent, vitam cuius semel iactu-

ram faciant, non recuperaturos. Quae carissima habenda essent, nato homini ad res magnas gerendas, non iumentis, non vehiculis, non baiulis gestari, sed pectore insigni virtute munito, cuius qui semel compotes essent, minime eorum iactura moverentur, quae saepius cum improbitate et nequitia quam cum honestate et rectis studiis fortuna coniungeret. Proficiscentibus fallendi hostes causa placuit tessera signum dari, plenis speculatorum castris, qui nihil eorum, quae agerentur, Mahemetem fugere patiebantur. Nec defuerunt tamen, qui censerent, praesentia animi difficultatibus omnibus superatis, Garam oppidum expugnandum, ita quidem ab hostibus circumsessum, ut si conflicgi oporteret, non esset de victoria dubitandum. Conscientia virium hostes, quibus se minime futuros Germanis pares nossent, cum melioribus congressos, semper a pugnando abhorruisse. Adniterentur modo conversis ad decus et honestatem animis: brevi fore, ut quae inertibus pavorem et trepidationem iniicerent, inedia, fames, assiduus itinerum labor, vires et animos vere Germanis adderent ad eum hostem debellandum, qui non in suorum virtute, sed in hostium desidia et languore spem victoriae positam haberet. In rebus adversis, iis qui sua virtute non temeritate fortunae inniterentur, domestica mala esse usui consuevisse, et quem animum alii admitterent deplorando, feminarum in morem, quae adversa paterentur, eum ipsi erigerent, cogitando quibus a se modis, quae ferrent adversa, constantia, et virili robore fortunae obviam eundo tolerabilia redderent, ita persuasi, in quibus tanta virtus esset, numquam illis aut consilium aut vires defuturas, quas numquam viri fortes magnis gerendis rebus desiderassent. In aliarum rerum delibe-

ratione raro accidere, ut quod expediret, cum honestate non pugnaret, in hac una ita esse decus cum eo quod conduceret coniunctum, ut neque saluti consuli possit, nisi honestatis ratio haberetur, neque honestati, nisi haberetur salutis. Nullum vero turpius consilium posse excogitari, quam fugam, et occultam profectionem posse. Nam quorum essent mentes ad gloriam erectae, tanti flagitii tristem memoriam, acerbam vitam, cum perpetuo infamiae morsu haerentem animis reddituram, et qui primam haberent salutis curam, famae et nominis iactura, per turpem fugam quaesitae, haud eos tamen assequi quod vellent: quem enim ignorare, hanc esse insitam a natura vim humanis ingeniis, ut in virium contentione timor non dissimulatus, et qui timerent imbecilliores, et qui timerentur alacriores redderet ad rem gerendam? Simulatque hostes ab iis timoris et trepidationis edito documento, de sua profectione cognovissent, id pro certo victoriae praeiudicio sumpturos. Namque et illud addebant tam praeclari consilii auctores, aut incredibili cum molestia, per difficile atque impervium iter, sauciorum agmen trahendum, aliorumque, qui permulti castris variis morbis laborarent; aut maiore cum infamia proditae fidei ac violati officii relinquendos immani hosti devotas victimas futuras ad manes interfectorum placandos, ut mitius cum miserrimis hominibus ageretur, tristi servitio immanissimorum hostium emancipandos, quorum superbum iugum ferre omni caede et morte intolerabilius esset. In tanta sententiarum varietate, cum suum quisque haberet ab aliis separatum consilium, quod sequeretur, nemini cum alio conveniret; quem ut se rectius sentire existimaret, praeoccupatum iudicium fallaci opinione sui, pro-

hibebat: duces mitiore profectionis nomine turpis fugae infamiam elevantes, milites secunda vigilia se ad iter adornare iubent; quod iis facile erat, quorum auctoritas ut gravis suis esset, nulla iam unius auctoritas, ad quem summa imperii respiceret, efficiebat. Iam ad haec omnia incommoda, quae quo magis praesentia urgebant, eo angebant vehementius, accedebat intestinum malum, quod in exercitu conflato ex variis nationibus et gentibus aegre vitari poterat, ingens barbarorum perfidia venalis hominum fidei, per quos nihil agi a regiis licebat, quin continuo hosti enunciatum, viam aperiret ad contraria consilia; quibus fiebat, ut nihil eorum quae constituerunt procederet proditis a suis. Itaque barbarus cognito regionum consilio, cum speraret iter facientes facile excipi incautos posse, opportuna loca suos insidere iubet, tantum spatii emensus, ut in sinum ingentem quasi laxatis cassibus evadere nisi magna cum caede iniquo loco circumventis liceret. Quae dum apud hostem geruntur, regii, iam, magna noctis parte exacta, signum profectionis, ut convenerat, exspectabant, tanto pavore et trepidatione, ut non vulgo milites solum, sed duces etiam, et qui magnum usum in re militari habebant, discedendum omnino, et finem tandem imponendum praesentibus malis clamarent. Quibus dux deesset, cuius auctoritate atque imperio regerentur, eos sibi ipsos oportere duces esse. Non nomine modo duces habendos, non quos ornarent speciosi militiae tituli, non quibus subnixis regum gratia potentium hominum suffragatione militare imperium mandaretur, non quibus ipsis duce opus esset, quominus a recta via in muneris functione aberrarent, sed quibus prudentia perspicientibus eventura mala, praesto esset

aut ad evitauda consilio, aut ad propellenda armis par animi virtus. Ergo cum in castris omnia plena tumultus, nihil recte atque ordine, et ex rei militaris disciplina administraretur: non exspectato ducis imperio, ad omnia trepidi, cum nulla essent certa signa, quae sequerentur, temere et ut casus ferebat se incertis ordinibus applicantes fugientium in modum, magis quam iter habentium progrediebantur. Tam foedae fugae initium iam prius ab Huzaronibus factum, quos homines barbaros, et regionis peritos, cum nulla esset religio, quae eos in officio contineret, mobilis fides atque ingenii levitas, quae ad nequitiam et perfidiam sua sponte proclivius incitaret, e castris amentium et furentium similes ruentes intempesta nocte iter arripuerant, non solum suis domestico scelere, sed exemplo etiam sceleris obfuturi, exspectantibus aliis, qui in admittendo flagitio videri modestiores velint, certum quem sequerentur turpis rei auctorem. Ex Vngaris Ladislaus More ab ingenio non discedens, ignominiae nota graviore, communis salutis et patriae desertor, adversus preces atque exhortationes omnes obdurator, in ditionis suae arcem propinquiorem, paratum fugienti receptum, iter intendit. Neque constantia maior aut Stiriorum equitum fuit, aut Hunganoti equitum praefecti; unam salutis curam aliis omnibus praevertentes, ut fidei et officii, ita nominis atque existimationis immemores, se praecipiti fugae mandant. Defendit quidem Iovius Zagrabiensem religionis et sacrorum excusatione, sed non sine acerbitalis aculeo, et mordaci ironiae sale: Sacrum hominem prohibitum pontificio iure et veterum patrum sanctionibus induere arma, fugam quam necessariam efficeret desperata vitae salus, quamdiu sperasset cum nullius iniu-

ria eripi posse imminente malo, sibi honestam duxisse. Namque et illud addit, e tristi et flebili argumento risum captans, eundem quo esset illustrior fuga, neu per noctem in tenebris alucinatus a recta via aberraret, fugae comites, qui laternam ingentem incensam eunti praeferrent, habuisse. Fuit vero hoc semper Vngaris in more, ut non crederent alienum a sacrosancto homine ita belli tempore in acie adversus hostem armatum pugnare, ut pacis pro populo operando obire sacra, numquam non exigente a suis patria hoc pietatis munus, quae non solum pacis artibus instructos cives sed belli etiam ad omnes casus requirit. Accedit, quo id sibi statuunt agendum fiducia maiore, hostis genus, quicum bella gerunt, Christiano nomini infestissimi, quo tollendo non minorem se credunt pietatis cultum deo immortalis offerre, quam ad aras faciendo rem divinam, aut populum religionis mysteria docendo: nullum enim patriam agnoscere ordinum discrimen, ubi cuiuscumque ordinis sit, nato civi datur occasio de illa bene merendi. Sero, et cum iam magna copiarum pars castris exisset, fugae fama ad Catianerum pervenit, ad quem unum pertinebat profectionis signum dare, sive curis et vigiliis fessum ex desperatione rerum omnium, arctior, ut fit, somnus oppressisset, sive quid aliud accidisset, quare minus strepitum exaudiret militum se adornantium ad fugam, qui iam ad hostium aures pervenisset. Ita non a se minus, quam a suis desertus, cum praeter unam salutis alias omnes curas abiecisset: tabernaculo egressus opima praeda referto, copioso argento, multa veste, phaleris equorum, et omni militaris rei apparatu discedit, quo fuga explicatior esset, inermis, ut idem Iovius affirmat. Vnus e ducibus in castris re-

lictus, Lodronius, ultro citroque discursantium clamore, tumultu, et trepidatione excitatus, cum percunctatus, quae tumultus caussa esset, de militum et ducis fuga quae minus vellet cognovisset: quamquam quo essent res loco non ignoraret, confirmatis militum animis, qui integri a tam turpi flagitii labe supererant, reliquum noctis tempus in suis quemque manere stationibus, atque agere vigiliis cura et studio intentiore iubet, ubi diluxisset, ut militares vires deceret, et dignitatis suae memores, sublatis signis et servatis ordinibus profecturos. Nihil sibi certius esse, quam callidum hostem suo ingenio, et rei militaris peritia, cuius multa atque insignia ediderat documenta, ante lucem quidquam moturum, insidias nostrorum veritum per simulatam nocturnam fugam, quam minime necessariam crederet multis quidem incommodis ac detrimentis iactatis, sed quibus integrae adhuc fere vires superessent. Quem vero passurum sibi persuaderi, Ungaros, Germanos, Boemos, bellicosissimas gentes, lectissimum militem ex iuventutis robore, peritissimos rei militaris duces, magna enim eius exercitus fama longe lateque erat pervagata, posse tantum flagitium concipere animis, ut ab eo hoste sibi statuerent fugiendum, quem nullis artibus, nullis consiliis, non aperta vi, non armis, non tormentis lacessitos ad pugnam elicere potuissent. Neque secus atque Lodronius cogitaverat, Mahemetes sibi statuit agendum. Minime ausus exercitus salutem per noctis tempus dubiae fortunae committere, intentos instructosque quasi cum hoste armato esset mox concurrentum, iussit lucem exspectare, quae inertibus ignaviae, fortibus atque industriis virtutis testes clarissimos obiectura, vim ad rem gerendam, atque animorum ardorem iniiceret ani-

mis, diversis studiis hinc cupiditate gloriae, hinc infamiae metu, a volentibus pariter atque ab invitis virtutem expressuris. Interim Lodronius, exigui temporis quiete militum recreatis viribus, experrectus surgit, et iam luce reddente oculis virorum fortium atque inertium discrimen, qui manserunt tristis fugae invidiam animis exsecrati, brevi oratione alloquitur: Quam laudem melioribus concessissent turpi fuga a suis dilapsi, quibus potior fuisset infamis vita pudendo flagitio redempta, quam partum immortale decus, brevis vitae iactura: debere tanto acriore studio appeti a fortissimo milite, quanto maior laus et solidior esset, concessa paucioribus, quam voluptas ex conservata vita, multis quae esset prae immortalis futura perexigua. Quam vitam honesto fine virtus clauderet, ut brevissima etiam esset, multo ea haberi beatior, quam in longum seculum, quasi iustam flagitii poenam, vindex nequitiae numen produxisset. Vires modo atque animos expedirent: aut vi atque armis sibi viam ad salutem explicaturos, id quod rara virtus cupidis verae gloriae hominibus sponderet; aut aeternum sibi monumentum laudis apud posteros per celerrimam vitae occasum, quem ortus exciperet vitae nunquam interiturae, homini unum propositum finem beatissimum consecratos. Carinthiis, Austriis, Boemis, et qui novissimi advenerant, Saxonibus equitibus, hanc constantiae et fortitudinis laudem Iovius impertit (quo maior videri debeat) parum Germanis aequus: Qui quidem Lodronii oratione confirmati, Enimvero, una voce inquirunt, se quem unum rectorem, ducem, imperatorem agnoscerent, quem honorem, ut aequum esset, ex hominum meritis prius, quam ex regum iudicio sibi spectandum censerent, quocumque duceret, praesen-



tibus animis , vultu , pectore impavidos imperterritosque secuturos, nec dubitatuos, quin cuius virilis sententia , et rectissima esset , tum sententiae oratio consentiens, eius etiam virtus gerenda re esset sui aemulatione et exemplo suos ad militare decus capessendum excitatura. Quorum alacritate cognita , cum iis, ut par erat , de tam honorifico de se iudicio gratias egisset, unum honoris titulum deprecatus, inanem ubi virtus desideraretur digna summo honore, quem agnoscere cum cuiusquam iniuria nollet : illud se recipere ait , ut ita sua sponte animatis dux ad rem gerendam in hostem praeiret , non prius oratione , ut dixissent, quam exemplo suos ad virtutem incitatuus. Daturum quidem se operam , ut quod sibi eum honorem habuissent, non se falsos sua opinione intelligerent. Honores hominum meritis praeiri , non merita honoribus debere , alterum enim virtutis semper , raro non alterum fortunae esse. Cum inde proventus oratione in fugae auctores invehetur vehementius, ait Iovius, quod minime nobis silentio praetereundum censuimus , ex iis qui astabant Germanis , veteranum ita ausum dicentem interpellare , serio an ioco , quasi ex contrariis verbis laudis sensum elici vellet. Dissentire, Lodroni, inquit dux, tua sententia ab oratione videtur. Non facile nobis persuadeas te vere abhorrere a fuga , quam nobis quidem indignam , sed te multo magis , qui nos ad decus atque ad virtutem adhortaris , circumspectare ex tam generoso equo te ostendis. Quaecumque huius sententia esset , evellendum hunc suis animo aculeum Lodronius arbitratus , desiliens , equo poplites procidit : nemini post hac, inquiens, Lodronii exemplo inertis esse licebit ; mox eadem magnitudine animi, productos alios e propinquo stabulo notis militibus,

qui ad iter capessendum parum validi aut saucii aut aliis affecti morbis in contuberniis decumbebant, pro cuiusque merito est dilargitus. In eo numero e nobili familia in Insubribus\* Picenardum Iovius recenset, cohortis peditum Cremonensium praefectum, qui tametsi febris horroribus toto corpore contremisceret, quam concitatissimo cursu fugam arripuerat salutis cura, quae urgebat, ab imbecillo vires et robur exprimente. Iam coepta erant signa efferri e castrorum portis non secus peditatu, equitatuque instructo, ac si mox esset cum hoste configendum. Quae ducis providentia, in tam perditis rebus magni animi index, adversus urgentis fati vim nulli usui fuit. Subito impetu egredientes primos Turca adortus; cum temporis exiguitas pugnare volentes suo loco, atque explicare ordines ex usu et rei militaris disciplina haud pateretur, variis partibus, ut casus ferebat, proeliabatur, ita Germanis equitum impressionem excipientibus, qui maxime urgebant, ut quamvis iniqua pugna paucis cum multis esset, appareret tamen virtutem suum robur in minime territis retinere. Nam et saepe redintegrata pugna, hostes summovent acrius contra obnixos impellentes, et, ubi pertinacius inferrent gradum, pauci multorum impetum fortissime sustinuerunt, non animis, non viribus, non virtute, multitudine modo inferiores, ut facile divinari posset, qui eventus fuerit futurus, si integris viribus, quarum magnam partem foeda fuga suorum abstulisset, pugnatum esset. In primo fere congressu cecidit Ioannes Maier, equitum Carinthiorum praefectus, cum proelium instaurantem armorum ornatus, qui erat privato amplior, prodidisset. Existimantes barbari imperatorem esse, facto cuneo adorti interfecerunt, et cum eo, quae non minor iactu-

ra fuit, ex illustribus familiis florentes aetate adolecentes ad XXIV, e quibus primae dignitatis fuisse Iovius ait Andream Reskium, Christophorum Hernaum, et Georgium Heimelbergum. Iam et alia ex parte accerrime eodem tempore pugnatum, voluntariis multis praecipuae nobilitatis e Misnia, Thuringia, et vicina Franconia, inter Saxonum equites hosti infestam pugnam facientibus, quorum XXXVI clari omnes nominis desiderati, insigniorem sua caede tam miserabilem cladem fecerunt. Tetrrior interfectorum fortuna fuit vivi Chuenrici nobilis Saxonum equitum praefecti, quem in potestatem redactum tetri carceris squalore confectum apud Turcas interiisse aiunt. Alios praeterea nominat Iovius, quos aut insignior nobilitas aut honestior militiae ordo commendabat, qui non videntur debita laude fraudandi. Ita enim victi hostibus cesserunt, ut multo sui clariore victoria per vitae contemptum et immortalitatis spem dignos se ostenderint, quorum memoria in omni posteritate perpetua vigeret. Non fuga suorum, proditos per summam iniuriam, non manentium exiguus numerus, non tanto maior hostium multitudo deterrere potuit, quominus audent, attritis viribus, penuria necessariorum rerum, cum hoste conferre signa milite instructissimo, et recentibus viribus, quae ex magna rerum omnium affluentia integrae ad proelii fortunam afferebantur, unius modo nominis et famae memores, quam vitae superstitem integram essent a flagitii infamia relicturi. E Saxonibus Sebastianus Metescus, et Iacobus Schullemburgus, ex inferiore Austria, Fattaius et Hofchirchius, tum his generis nobilitate proximi Hoenfeldeus et Hanspurgerus, atque orti duo e Naidega familia clara multis nobilitatis insignibus. Luxit quoque su-

perior Austria suorum fata, quae provincia nobilis, et oppidis atque urbibus frequens est Rhaetiae finitima, Guilielmi Folgehenstorfi, Leonardi Lambergi, Bernardi Scherfenbergi, Gasparis Bercheimi, et Schellembergi. E Boemis magnae cladis superstes unus Albertus Slichius equitum dux a Iovio perstringitur, quasi maturius, quam suis expediret, in extremo discrimine versantibus, se e media pugna proripuisset. Eorum vero maiorem ait editam stragem, quod in latus apertum Ianizeri incurrentes, magna glandium vi ferreis fistulis emissa, cum iam circumventi equitatu caederentur, nec opinato malo territos straverunt. Eadem peditum, quae equitum fortuna; cum e saltu, qua sensim se attollens subiectam paludem despectat, tum Asapi, tum Ianizeri, vario genere telorum infra positos peterent, Amurathes cum Illirico equitatu parte alia invectus densatis turmis, maiore cum impetu proturbatos disiectosque evertit. Neque foede profligatis plus subsidii in Ladronii virtute fuit. Non minus fortis gerenda re, quam oratione disertus, monendis atque exhortandis suis, cum abreptus a suis cedentibus, atque in proximum locum, qui totus palustris atque uliginosus erat, delatus esset, summae virtutis documentis atque illustribus editis, in hostium potestatem, cum tribus quibus praeerat cohortibus, vivus pervenit. Hic exitus susceptae expeditionis Germanis infesto numine. Multi quidem religione tactis animis, tam tristem eventum rerum secutum, in eius sceleris expiationem, quo esset foederis religio violata, crediderunt. Digna certe res summa admiratione, initum bellum ingenti rerum apparatu, florentissimis copiis, milite maiore ex parte delecto e Germanorum nobilitate, quos adolescentes in magnam spem gloriae et propria virtus et

maiorum aemulatio rapuisset ad bellum, eo exercitus duce, quo rem bellicam administrante reiectus a Vienna moenibus hostis Solimanus esset, Ioannes Rex pulsus Vngariae regno, militum praefectis, quibus plura fixa trophaea de victis hostibus, quam exacta stipendia commemorarentur, adeo male gestum, ut si cui petenda sint militiae praecepta, ei nullo certior disciplina tradi possit, quam ut omnia contra agat, atque in bello acta administrataque animadvertat. Non in duce acrior mens, non vis ulla consilii, auctoritas nulla, miles tum insita ferocia animis, tum ducis prava indulgentia contumax, non in tempore comparata res frumentaria, non commeatus, credita maximarum rerum procuratio barbaris hominibus, in quibus ingenii levitas cum pari perfidia contenderet, nihil recte atque ex peritia rei militaris, omnia temere administrata; quae quidem satis ostendunt, deum immortalem a divini iuris atque humani violatoribus, per alienatam mentem a sanioribus consiliis poenas expetiisse. Tanto vero haec funestior clades, quam quae fracto foedere, avorum memoria est accepta ad Varnam, quanto haec clariore victoria hosti parta. Amurathes enim, a quo victore est Ladislaus cum exercitu caesus, et inter pugnandum, desperata victoria, cogitavit de morte sibi consciscenda desperato pugnae eventu, et adeptus victoriam, deum immortalem dicitur orasse, ne sibi daretur in posterum ita vincere. Cruenta certe victoria hosti ut raro antea veterum memoria fuisse fertur. Inde Mahemetes, iussis militibus hostium signa et ceteram praedam in castra afferre, pro cuiusque merito singulis collaudatis magnificis verbis, praedam cum cura est partitus. Nobiles captivi, quos erat consilium ad Solimanum mittere rei gestae futuros testes,

iussi arctiore custodia asservari: gregarii vulgo militi praedae cesserunt. Nam Lodronius, cum nulla spes esset, vulneribus confectum pati itineris incommoda posse, cervicibus abscissis, vir eo loco dignus in quo erat natus, interfici iussus. Eius caput, atque aliorum qui primos ordines duxerant, Bakithii, Ioannis Macri, aliorum, ad Solimanum missa, immani spectaculo incitarunt crudelem animum ad aequae foedum et tetrum facinus edendum. Tamquam non satis in duces saevitum esset, captivorum turbam, in quibus erant honesti nonnulli, quorum erat redemptio militibus quaestui futura, caedi imperavit, plane barbaro more, iam spatio restincto pugnae ardore, quo tempore ne mitioribus quidem ingeniis facile est a caede temperare. Avarus miles miseris saluti fuit, quo querente sibi detrahi multo sanguine et cruore partam praedam, crudelis animus sententiam mutavit, passus iis cum victoriae praemio suam fidem in deditos constare, quorum virtute insignem de hostibus esset victoriam adeptus. Interea Catianerus infelici fuga et tanta suorum clade superstes, cum famosis carminibus proscissus, quae in ore omnium erant, passim per fora, frequenti hominum coetu, suorum desertor, parricida patriae, Christiani orbis eversor, pestis, lues, militiae labes, et si quae alia nomina apta insigni, execrando, detestandoque flagitio populus mirus maledicendi artifex novit excogitare, vocaretur: tantam infamiam non ferens, ultro ad causam dicendam, accepta a Rege fide vim abfuturam, et iure experiendi potestate factum iri, Viennam proficiscitur, tum Ferdinandi clementia confisus, tum fiducia rerum praeclare a se antea gestarum, quarum memoria sperabat se praesentium criminum invidiam non aegre subterfugere, minime guarus,

quam fallax ratio sit humani ingenii, aestimandis hominum meritis ad laudem. Nam quo illa maiora, eo citius eorum memoria fluit, de ea semper aliquid tristi invidiae morsu arrodente: quae sunt insignia ad dedecus atque infamiam, non pro natura rerum, sed pro cuiusque aut studio, aut odio aestimantur, quod raro non iniustum est, prava nostri indulgentia, dum credimus per alienas laudes nostras minui, augeri nostra dedecora, dum aliorum minuuntur, in nobis facile vincente. Neque tamen erat futurum, ubi utrumvis licuisset, ut sua sponte ipse se sisteret Ferdinando reum. Verum ille iam multis ab inimicis laceratus probris, quorum illi, ut fit, magnum numerum auxerat res infelicitate adversus hostem gesta, edito scripto se defendere, quo ita obiecta diluere conabatur, ut sese ultro iturum Viennam ad dicendam causam polliceretur: cuius rei fama cum ad multos manasset, ad senatum praesertim, ad quem etiam recenti flamma invidiae flagrans litteras dederat, vix poterat recusare, quin ad diem iudicium obiret, non mala coniectura suspicatus, nisi ipse ultro praeveniret, quod causae suae praefidentis esset, fore, ut inimici eum maiestatis postularent, maiore cum causae praeiudicio, e quorum criminationibus vix conscius sui sperabat se evasurum. Ita liberali custodia asservari iussus, cum iudicii dies plus aequo differretur, et magis indies causae diffideret, quam iugulatum iri multorum testimonio sciebat, de fuga consilium cepit, quae illi haud difficilis fuit. Ad breve spatium custodibus per morbi simulationem ablegatis, cum perfosso pavimento, strato latericio opere, quo id commodius fieret, se in subiectum fornacem, atque inde e fenestra, fasciis, quae essent furnium loco, e linteis factis demisisset, ad summam ce-

leritatem nihil sibi reliqui faciens, equis, qui praesto erant cum suis, conscensis, in tutum evasit. Mox ad nova consilia converso animo, cum praesentem rerum commutationem non ferret, perpetua nota infamiae nomini inusta, apud quos summo in honore fuisset, transire ad Solimanum nobilis transfuga, ut sperabat, ob partam superioribus bellis fortitudinis laudem, constituit. Ita ad Mahemetem profectus cum illum magnificis pollicitationibus et prolixis implevisset: facile quibus visum erat conditionibus, de transitione transiit. Nam praeter desponsa uberrima transfugii praemia, navanti imperatori fidelem fortemque operam recipiendis provinciis, quae in Ferdinandi ditione erant, spes fiebat Croatiae principatus, ut eum Solimani beneficiarius, quemadmodum Ioannes Rex Vngariae regnum, possideret. In haec ultro citroque data atque accepta fide, quo maiore cum compendio ad delendam insignis sceleris et flagitii infamiam transiret, consilium cum Nicolao Zrinio communicavit, cum eum pro vetere necessitudine adhortatus esset, ut magno cum fortunae incremento secum eadem de transitione statueret, et praesentem rerum statum, suo exemplo, cum multo ampliore et luculentiore commutaret. Tam foedum facinus Zrinus exsecratus, tantisper habuit tamen animum in potestate, quoad incautum per amicitiae simulationem, quo vellet perduceret, numquam sibi probò datum iri arbitratus, ubi periurum et perfidum hominem suis elusum artibus sustulisset. Enimvero, inquit, eius consilio collaudato, desperare se illi, pro illius in se merito, pares gratias agere, certe quod et deberet et posset, quoad viveret habiturum. Rem non videri consilii aut morae. Vbi visum esset, cum magna clientium manu et delectis equitum una transiturum.



Id credere utrique ad officii commendationem speciosius apud Solimanum fore. Hac simulatione amicitiae delinitum, cum se vino et crapula onustus quieti tradidisset, immisso percussore Zrinus interficiendum curavit. Inde gratum inimicis futurum spectaculo interfecti caput ad Regem misit, cuius clementiam transitionis fama Viennam perlata iam vicerat. Nemo quidem dubitabat, quamquam tam gravis offensio alte in animum descendisset, atque hominis scelus omnem spem veniae sustulisset, quin Rege connivente esset fuga elapsus. Nam praeter cetera, producta dies causae dicendae, cum nemo non videret maiestatis reum moribus regni capitis poenam sequi oportere, tacitam clementiae significationem in Ferdinandi mitissimo ingenio ostendit. Tota enim causa multorum testium conscientia nitebatur, quibus ut aequissimis uteretur, non licebat volentibus etiam de iis, quae palam atque in omnium oculis acta essent, secus quam eorum religio postulabat, interrogatis respondere; et non esset dubitandum, quin causam dicenti haud liceret effugere iudicum severitatem, et in Ferdinandi clementia, ubi simul vellet suae gravitatis et constantiae habere rationem, parum perfugii esset, qua uti in tam convictum et iugulatum reum vix sine ingenti invidia, et nota dissoluti animi haud poterat.

FINIS LIBRI OCTAVI ET TOMI SECVNDI.

---

